ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXVIII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
M-DCCCC.LXXXVI

An. et rol. LXXVHI 7 Ianuarii 1986 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beato Michaeli Febres Cordero Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sanctus Ioannes Baptista de la Salle, venerabilis Instituti Fratrum Scholarum Christianarum conditor, haec in altero Regulae capite statuit : « Propria huius Instituti indoles est fides, qua Sodales inducantur ad res considerandas oculo fidei; ad omnia in Dei gloriam agenda, cui omnia referant ... Secundo, eo spectat nostrum Institutum, ut pueri sollicito studio erudiantur, ad Dei timorem educentur et omnino adiuventur ut suam ipsorum innocentiam servent ... Praeterea ut divino numine instinoti, peccatum horreant ac quidquid illorum integritatem rapiat » Reg. 1718. Haec autem propria Instituti Lasalliani natura, hominem per fidem Deo coniungens, Fratris Michaelis — fuit autem in saeculo Franciscus Febres Cordero — animum penitus informavit : qui fuit simul homo Dei, simul hominibus deditus, utpote verus christianus magister caelestem vocem in imo corde condens, atque apostolus sitim hanc cum discipulis communicans. Liquet etiam ex eius vita « Spiritum Domini vere replere orbem terrarum » sicut in Sapientiae libro legimus. Ceterum, si Ecclesia per Sanctos suos Christi dilectionem diffundere pergit, Michael id idem congruenter fecit, maxime praeparando et ornando pueros ad Primam Eucharisticam Communionem. Quod si S. Paulus « sanctos)) eos omnes

vocat qui baptizati sunt, omnesque christiani ob susceptum Baptismum invitantur ad sanctitatem, beatus Michael divino Spiritu motus ac sensu sui conditoris imbutus e Regula manante, homo novus evasit, qui non solum solida fide vivit, sed etiam urgeri se sentit ad Christum evangelizandum; atque sic divina consilia de hominum salute in rem deduxit, quam maxime potuit, idque potissimum per christianam educationem et institutionem. Quod si nunc, pauca prooemiati, de beati vita quaeramus, est ille Conchae, in Aequatoria, die vii mensis Novembris, anno MDCCCLIV, haud obscuro genere natus : nam Franciscus, pater eius, vir egregius ac multa doctus, Britannorum linguam in Collegio ecclesiastico Conchensi docebat; mater, haec est Anna Muñoz, qua praecellebat virtute, pauperum domos celebrabat. Ad Franciscum nostrum vero quod attinet, omnium fratrum natu maximum, iam a sui exordio sequacem dolorem habuit : nam, praeter quam quod erat imbecillus et gracilis, eheu ! vitio pedum erat ad ambulandum impar. Cum autem quintum aetatis annum attigisset, dum rosas in horto admiratur odoras, repente o mirum ! saliit de sella ac nonnullos gradus fecit a pulcherrima Domina nempe vocatus, quam omnes pie crediderunt fuisse Mariam, Christi Matrem. Sed his graviores et acerbiores fuerunt animi cruciatus, religiosae pueri vocationis causa, ad quam inclinabat: parentibus enim, ac maxime patri, non sane probabatur humilis Religiosorum vita Fratrum Scholarum Christianarum, magistrorum Francisci, in quorum Instituto nimirum nihil humanae gloriae et amplitudinis inesset ; quare, si se Deo sacrari filio placebat, fieret sacerdos ordinis dioecesani ! Huc ergo spectantes eum in Seminarium mittunt ; sed, cum alia esset illius via, et cor alibi demoraretur, id est apud Fratres, quorum et studia erga Deum admirabatur, et salutis proximi amorem, idcirco Seminarii contubernium ei molestum fuit ac intolerabile; ac post tres menses, taedio atque gravi cephalea oppresso, domum ei redeundum fuit; ubi iam valetudine in peius vertente, parentes tandem expostulationibus eius cesserunt, atque facta est ei potestas ut Fratrum Scholarum Christianarum Institutum cape: ret : quin et mater scripto rem permisit. Licuit ergo forti iuveni beata illa iterare verba: « Laetatus sum...» *Ps.* 122, 1. Cum veste Franciscus et nomen, ut est in usu, immutavit, sumpto Michaele, atque noviciatum Conchae egit, in urbe natali. Num cari iuvenis mentem eo tempore iam discrimina ac ferenda dissidia praeoccupabant ad sacram vocationem tuendam? Fortasse. Sed hoc unum certum : in vitae ipsius caelo tam saevam parari tempestatem, cuius violentia pueri animum

radicitus conturbarci. Nam pater, id sollicitus, ne filium tam dilectum amitteret — sic enim iudicabat —, iterum iterumque eum ab instituto suo conatur avertere, dum ille in studia atque pietatem intenderet, et apostolatui alacer deditus esset; idque severissime. Sed nequiquam. Nam prudens Collegii Moderator repetenti patri iniquum esse ait eum e Fratrum gremio abstrahi, qui certo consilio abnuat. Petatur igitur ab illo ut scripto significet utrum in proposito perseveret, necne. Cui expostulationi ita responsum a Michaele : « Sentire se certissime ad Congregationem Fratrum Scholarum Christianarum amplectendam vocari, in qua una suo commodo vivere posse. Si pater filium esse felicem desideret, iter a Domino praestitutum sinat eum ingredi ». Responsum pater in contumeliam accepit. Qua re, tametsi filium e nidulo non rapuit, tamen eum omni sui conspectu privavit ; perque sex annos — quam longi ! — siluit cum filio. Michael, dolore mersus, rem caelesti Patri commisit, tuta fiducia fore ut praesto esset. Neque spes eum fefellit. Nam, cum publici magistratus patris amicum in carcerem civilibus nempe de causis, contrusissent, pater filio scripsit in beneficii loco petens ut a Garcia Moreno, Rei publicae Aequatorianae Praeside, de liberando amico impetraret. Quod filius obtinuit. Quin et pro ipso patre Michaeli intercedendum fuit, cum ille, furente partium tempestate, raptus est ut domo deportaretur. Ac tum etiam res feliciter cessit : tam egregia erat apud supremam auctoritatem de iuvene opinio. Scilicet, his compositis rebus, mutuae pietatis rationes patrem inter et filium, firmissimae factae sunt. Cum autem praegelida paternae irae hiems abiisset, tunc patuit, quasi spirante vere, sic ut erat in votis, integerrimi pueri animus tum gaudiis redditae pacis, tum etiam operosissimae industriae. Qui, cum bene sciret se in iuvenum educatione merum esse instrumentum quo uteretur Deus, idcirco amoris, humilitatis, docilitatis fundamenta iecit ; quibus nixus, fabricam virtutum erexit, longos nempe per annos, maxime Quiti, in urbe patriae principe ; in ea enim ab anno MDCCCLXIX ad MDCCCCVII, et magistrum, et scriptorem, et educatorem egit, ad id animum potissimum intendens, qua meliore ratione iuvenes legibus institutisque christianis ad religionem formaret ; etenim eo quilibet Scholarum Christianarum Sodalis respicit, e suae Congregationis instituto, ut in iuvenilibus animis tam alte religiosa atque moralia principia insculpat, quae per totum vitae spatium haereant in pectore. Haec autem Frater Michael, utpote qui omni genere virtutum floreret, mirifice praestitit. Admirabantur enim omnes in illo christiani institutoris tum

studium ac supernum amorem, tum etiam doctrinam certam, ac rationem docendi variis audientium ordinibus accommodam : quod tum omne eius opus ostendit, tum maxime ea adulescentium manus, a S. Corde Iesu, quos singulari diligentia emngere aggressus est, quasi curarum, precum atque macerationum suarum filios, e quorumque numero multae sane sacerdotum ac Religiosorum vocationes enatae sunt. Qui autem recte adulescentes formabat, non minore labore, cura, fructu, mollia puerorum ingenia finxit: quos per annos septem et viginti ad primam Communionem eximia pietate instituit, quorum in animos, arte propria Sanctorum, miríficos sensus suos, quasi sanguinem in venas, transfudit. Ceterum religionem suam ex ipso pietatis fonte, Christo, alebat : mane quidem, per Missae sacrum, reliquis diei temporibus, per crebras Sacramenti altaris visitationes. Ac fortasse haec praecipua causa est, cur, divinae Sapientiae tam arcte coniunctus, ((Respicite ad eum, et illuminamini », *Ps* 34, 6, in caelestia omnino penetraverit, ac de rebus tam certo sensu iudicaverit, seu erat Collegiorum rector; seu Noviciorum magister. Diuturnus praeterea oboedientiae usus, ad auctoritatem exercendam eum sensim paraverat : adeo ut qui se imparem ad ceteros regendos iudicabat, eum quam quem maxime idoneum facerent egregiae ingenii et animi laudes, quae sunt : cognitio et exercitatio regulae, studium orationis, sui castigandi amor, prudentia in eligendo, patientia, pietas eximia. Quae profecto virtutes efiiciebant ut simul opus gratiae atque divini Spiritus in Noviciis pie sancteque coleret, sive eos apte doceret qua meliore ratione caelesti Patri placerent. Binae autem sunt alae quibus Lasalliani Sodales insistunt: zelum, seu studium alienae salutis; fides, qua nimirum omnia ex alto respicientes, omnia superno spiritu imbuant. Verum enimvero beatus Michael hanc rerum iudicandarum facultatem miram habuit, utpote qui sive in cogitando, sive in amando fide viveret. Quae sane fides id efficit ut ille se facile colligat, modumque in omnibus servet. Movet praeterea fides ut peritura bona spernat : quare facile intellegitur cur, furente bello rerum novarum, anno. MDCCCXCV, prompto animo condicionem repudiaverit, inlustrem et honestam iuxta hostium opinionem, modo Congregationi suae valediceret. Eadem sane mente et animo iudicavit electionem suam, cum Sodalis Academiae Aequatorianae Quitensis creatus est. Tunc « me iudice, ait contubernali suo, sprevissem talem honorem. Quandoquidem autem id Moderatores mei iussere, idcirco assentior, persuasum habens me bonum opus gessisse, quod Academicus per oboedientiam factus sim ». Nam

in prosperis, in adversis, semper in superiorum suorum voluntate, Dei voluntatem deprehendit, grata ingrata naturae essent. Sane vir Dei in sinu gavisus est, cum, anno MDCCCLXXXVIII, per occasionem beatificationis Ioannis Baptistae de La Salle, ei Romam eundum fuit, ut omnium Fratrum Scholarum Christianarum Aequatorianae Rei publicae personam gereret. Profecto illi dies fuerunt ei candidissimi: nam non solum gratam quietem e diutino labore praestiterunt, sed et animum recrearunt. Ceterum, ut erat pius in Mariam, Christi Matrem, non ante Italia cessit, quam Lauretanam illius Domum visitavit. Ac voluerat quidem Lapurdum petere, nisi inspirasset ei Mater caelestis non oportere bonis eum uti pedibus, qui perfectionis itinera fuerit ingressus. Ob iniquas autem leges, quae anno MDCCCCIV in Gallia latae sunt ad Religiosarum Congregationum libertatem in scholis opprimendam, multi Fratrum obligati sunt patria migrare; ac quo facilius possent hi pueros Castellana lingua in America Latina erudire, oportuit profecto seriem librorum, qui a Fratribus iam foras dati essent, compleri et consummari. Haec autem causa fuit cur supremus Lasalliani Instituti Moderator Michaelem Lembecq-Lez-Hal invitaverit, in Domum nempe Societatis principem, ut necessarios textus pararet. Cui talia roganti haec respondit humilis et amabilis Vir: ((Id unum se velle, quod ipse iuberet; atque in eo quod ei placitum esset, se stare, persuasum habentem se ita servire nutibus Dei ». Antequam autem Guayaquilio solveret, ad sepulchrum patris, matris, fratrisque Aurelii preces fudit, id fore praesagiens, ut non ipse in patriam rediret, ob caeli Europae asperitatem, funestam sibi et noxiam. Et impleta fata, ut ipse praedixerat. Nam Lutetiae Parisiorum breviter moratus, cum inde ad urbem Lembecq contendisset, apud Bruxellas, ibique annum egisset, coepit valetudo eius tenuissima rigidissima hieme infirmari, ceu herbae mutato aere languentes. Quiescit tamen in solitario labore beatus, id gaudens quod, tametsi febris saepe inhaereat, ad Dei voluntatem omnia fiant. Quare cum ita essent, timentes Moderatores ne nova laederet hiems inclemens, miserunt eum in Hispaniam, in urbem vulgo Premia de Mar cognominatam, quae ad Barcinonem adiacet; ubi, sub mitiore caelo, sive textus composuit, sive futuros magistros linguam Castellanam docuit. Referre autem quae de eius virtute a Fratribus ac discipulis novo in domicilio dicerentur, impossibile: ceterum, eadem de illo opinio quae Quiti, Lutetiae ac Lembecquii fuisset. Tempore autem Cataloniensis tumultus, anno MDCCCCIX, iam Religiosa ac numerosa Fratrum familia Premiensis, rv».indignas direptiones perferret,

a Fratribus Collegii ((a Bonanova » hospitio recepta. In supremo vero illo rerum discrimine, Michael inexpugnabilis constantiae ac virilis animi documentum, iuvenes sic hortatus est : « Ne timueritis : benignissimae enim Virgini in tutelam traditi, sane nihil detrimenti capiemus ! ». Scilicet Virgo Maria, cuius imaginem antequam proficiscerentur in cubiculi sui fenestra collocaverat, tum domum ipsam protexit, tum incolas custodivit. Sed, tametsi sextum vix ac quinquagesimum annum agebat, iam iam beati viri inminebat occasus; et fuit exitus, sic ut fuerat vita : lucidus ac serenus. Qui enim datum aevum in fide et oboedientia transegerat, iisdem animi sensibus vocanti Deo adhaesit, iisdemque verbis uti potuit quibus Psalmista : ((Ego autem in te speravi, Domine... in manibus tuis sortes meae» *Ps* 30 [31], 15-16. Quare iis qui, eius excessum verentes, monent eum non adhuc ultimam manum operi suo admovisse, fidei plenus et humilitatis ille respondet : « Si quidem coepti labores in Dei gloriam utilitatem habent, excitabit Deus alios, qui me dignius laborent ». Nulla ergo querela bonus Patris familias operarius agrum reliquit, quem tantopere exercuerat. Moriens autem, anno MDCCCCX, die ix Februarii, beatissimus Dei famulus duplicem hereditatem reliquit : scripta, nempe, raro talento composita, ac vitae memoriam, pro uno Christo actae proximorumque salute. Ceterum fama atque opinio sanctitatis, quae eo vivo late manaverant, post eius mortem accreverunt, confirmante Deo famuli memoriam caelestibus signis. Itaque est Causa coepta de obtinenda Servi Dei beatificatione. Ad quam rem, annis MDCCCCXXIII-MDCCCCXXIV, tum Barcinone, tum etiam Quiti processus introducti sunt, actaque Romam transmissa. Post autem factum Decretum de Michaelis scriptis, Causa est Ecclesiae auctoritate introducta, probante summo Pontifice Pio XI, die xin mensis Novembris, anno MDCCCCXXXV. QUO facto, per annos MDCCCCXXXVIII- MDCCCCXLV Processus Apostolici instituti sunt de virtutibus, simul in Barcinonensi, Quitensi et Conchensi Sedibus in Aequatoria; ac Decretum de legitima forma et vi omnium Processuum factum est die iv Maii, anno MDCCCCIII. De theologalibus autem et cardinalibus virtutibus, atque de ceteris cum his conexis, etiam apud Sacram Rituum Congregationem actum est": in conventibus videlicet antepraeparatorio et praeparatorio; in quo conventu, die xxiv Ianuarii, anno MDCCCCLXVII habito, Aloisius S. R. E. Cardinalis Masella, Causam Ponens ac Relator, dubium discutiendum proposuit : An Dei famulus Michael Febres Cordero virtutes omnes heroum more exercuerit. Ac de illo singuli sive

Cardinales, sive Officiales, sive Consultores, suffragia tulerunt. Rem autem fideliter relatam Summus Pontifex Paulus VI die ix mensis Februarii, eodem anno probavit. Cumque S. Rituum Congregatio in S. Congregationis formam pro Causis Sanctorum redacta esset, Pontifex ille et a lege conventus seu Congregationis Generalis habendae exemit, et Decretum de virtutibus fieri iussit, die xi mensis Septembris, anno MDCCCCLXIX. Tandem per Decretum die vii mensis Iulii, anno MDCCCCLXXVII factum, Paulus VI, Decessor Noster, miraculum a Deo patratum ob intercessionem Servi Dei Michaelis probavit, facta quidem benigna dispensatione ab altero miraculo, et diem xxx proximi mensis Octobris eodem anno ad eius beatificationem dixit. Quo nimirum, in sollemnissima illa caerimonia, qua Michael in Beatorum album relatus est, Paulus VI, Decessor Noster, postquam de eius vita locutus est, momentum atque opportunitatem operis illius ita in luce collocavit : '((Michael, ait, spiritualem hereditatem Ecclesiae, maxime vero Religiosis ac Sociis Fratribus, reliquit : ut, videlicet, formandae iuventutis iter pergant, eo spectantes ut schola christiana, qua nihil aptius et efficacius in civili societate, sedes ac quasi domicilium sit ad adulescentes fortiter ac generose educandos, ut sint optimis imbuti consiliis, ad commune bonum apti, neque dubitent in id certare, ut omnium iura, maxime pauperum, obtineantur, in dies videlicet spei renovationis christianae aptiores et apertiores : mirum sane et urgens invitamentum, magnoque animo ac studio suscipiendum ! Haec sunt profecto quae Frater Michael diligenda atque complenda suadet. Die autem ipsa beatificationis, hoc est xxx mensis Octobris, anno MDCCCCLXXVII, aliud mirum intercedente beato Michaele a Deo factum est : perfectam, dicimus, sanationem Beatricis Gómez de Nuñez ; per quam sanationem iter ad Canonizationem patuit. Facto vero Decreto die XXV Februarii, anno MDCCCCLXXXIV Causa iterum tractanda sumitur; atque die xx Decembris insequentis anni theologi Consultores miraculum probant, quod medicorum coetus seu Commissio factum probaverat. Ceterum, die xxi mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXIV, etiam plenarius Patrum Cardinalium conventus naturam miraculi confirmavit. Decretum super miraculum, die VII Aprilis hoc anno, est a Nobis ipsis probatum; qui in Consistorio die xxv Iunii eodem anno habito, diem hunc, xxi Octobris videlicet, ad sollemnem Canonizationem statuimus. Hodie ergo Missam sollemnissima caerimonia in Basilica Vaticana celebrantes fidelibus stipatam, maxime ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum formulam canonizationis sic ut

sequitur protulimus : « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exarationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatum Michaelem Febres Cordero Sanctum esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eum in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Post haec iniuncto Protonotariis apostolicis ut has Litteras Decretales conscriberent, sermonem habuimus de vita atque egregia S. Michaelis Febres Cordero virtute, eumque invocavimus. Ceterum, quae egimus ac decrevimus sancta sunto, nunc et in posterum.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri septimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*



In Secret. Status tai)., n. 145.1181.

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Servae Dei Mariae Leoniae Paradis Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me» *(Ps* 24, 4). Haec precatio, qua psalmista semitas Domini exquirebat, ut cognitae eius voluntati obsequeretur, optime potest Servae Dei Mariae Leoniae Paradis et animum significare et totam colligere vitam; sedulo namque Dei consilium est perscrutata, ut illud perficeret iter, quod eidem congrueret consilio. In pago Acadie, intra fines dioecesis Sancti Ioannis Quebecensis in Canada, eodem die 12 mensis Maii, quo est nata, anno 1840, est etiam baptizata, eique imposita sunt nomina Aloisia Verginia. In familia primum a parentibus, agrorum cultoribus, ad bonos instituta mores, est dein ingressa Sacrum ephebeum Religiosarum Congregationis a Domina Nostra in vico Laprairie, ubi et in litteris est erudita et pietate enituit. Cum duodecimum annum ageret, de altari primum sacra libavit; et exinde in studio perfectionis adipiscendae profecit et in proposito se in ministerium sacerdotum consociandi. Anno 1854 Congregationem Sororum Marianitarum a Sancta Cruce introivit et novitiatum iniit, nomine sumpto Sorore Maria a Sancta Leonia; quo peracto, die 22 mensis Augusti anno 1857 coram Basilio Moreau, Congregationis Instituere, prima vota suscepit. Postea varia explevit munera; fuit enim institutrix, curam domesticam de domibus presbyterorum egit in quibusdam Canadensibus pagis, donec Novum Eboracum petiit ut orphanis consuleret et Antistitae asyli puellorum administrae officio fungeretur; ibique octo fere annos magno animi ardore laboravit. Sed circiter annum 1870 Serva Dei acerbam spiritus perturbationem est experta ob immutationes et dissensiones in Congregatione Sororum Marianitarum ortas, cum haec anno 1867 famulatum in domibus presbyterorum deseruisset. Sed tamen anno 1869 ex eadem Congregatione per interpositam Apostolicam Auctoritatem exstitit nova Congregatio Sororum Sanctae Crucis, quae illud retinuit ministerium. Post varias vicissitudines et non parvas difficultates fortiter et Domini fiducia superatas, obtento permissu, Serva Dei ad novam Congregationem transiit et ilico Superioribus se probavit. Primum etenim missa est ad urbem Marquette,

in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis, ut ibi domum conderet, et deinde ad urbem Memramcook, in dioecesis Sancti Ioannis Canadensis finibus sitam, in qua est ei domus concredita puellis instituendis, quae domorum sacerdotum curam agerent aut in ecclesiasticis collegiis. His puellis numero crescentibus vitamque religiosam vivere exoptantibus, Serva Dei haec Superioribus exposuit, et anno 1880 in urbe Memramcook familiam religiosam a Congregatione Sororum Sanctae Crucis disiunctam constituit, cui nomen datum « Parvae Sorores a Sacra Familia », quae hoc unum sibi proposuit, ut clero ministraret. Serva Dei, etsi in oboedientia et regula Sororum Sanctae Crucis manens, Antistita novae familiae facta est et statim mira prudentia in suum Institutum firmandum incubuit et in Parvas Sorores educandas, quibus Directorium et iam anno 1883 Constitutiones dedit, proposito Instituto perappositas. Post unum et viginti annos, domus princeps Instituti et novitiatus, urbe Memramcook mutata, Sherbrooki collocata sunt; cuius Ordinarius loci, die 26 mensis Ianuarii anno 1896 canonicae institutionis decretum edidit. Die 2 mensis Octobris anno 1904 Serva Dei, Ordinarii rogatu, deposita veste Sororum Sanctae Crucis, habitum induit Congregationis a se statutae. Denique anno 1905, die 1 mensis Maii, ex indulto Apostolico S. Pii X, ab omnibus obligationibus, quibus Congregationi Sanctae Crucis adstringebatur, liberata, Regulis sui Instituti expeditius adhaesit. Supremo die propinquante, Servae Dei ex uberrimis exanclatorum laborum fructibus magnam licuit percipere laetitiam, quandoquidem eius Congregatio multo aucta incremento iam 40 domus et 635 Sorores numerabat, quae etiam alibi vitam religiosam fovebant et clero in apostolico ministerio auxiliaban tur. Meritis locuples, virtutibus ornata, venerationem adepta, tranquillo et sereno vultu, et quasi ex inopinato, die 3 mensis Maii anno 1912 Sherbrooki de hac vita decessit. Ex eius scriptis manifestum apparet quanto sanctitatis ardore flagraverit, ex eius vita quo modo inde ad christianas religiosasque virtutes exercendas sit incitata atque ad, magna et ardua aggredienda, firmissima Dei fisa fiducia. Ipse autem eius Instituti finis in peculiarem lucem profert ardentissimum Servae Dei in Christum Eucharisticum amorem et in sacerdotium obsequium et pietatem, per quod Dominus Iesus semper praesens manet in hominibus. Quamobrem fama sanctitatis, qua vivens floruit, post eius obitum increbuit latius diffusa et supernis signis confirmata. Hinc instructis Processibus : Ordinario in Curia Sherbrookensi anno 1952 et rogatoriis in Curiis Monctonensi et Mariapolitana, editoque super scriptis Decreto die 8

mensis Octobris anno 1956, factaque disceptatione in Coetu Ordinario Sacrae id temporis Rituum Congregationis die 17 mensis Maii anno 1966 faventibus suffragiis, Summus Pontifex Paulus VI Causam Servae Dei rite introducendam esse statuit Decreto Sacrae Congregationis die 13 mensis Iunii anno 1866 prodito. Dein acto Processu Apostolico Sherbrooki super virtutibus in specie Servae Dei anno 1968, hisque tractatis die 3 mensis Iunii anno 1980 in Congressu Peculiari Officialium Praelatorum Patrumque Consultorum, et postea die 25 Novembris eodem anno in Coetu Plenario eiusdem Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, die 31 Ianuarii anno 1981 Servam Dei Mariam Leoniam Paradis christianarum virtutum culmen attigisse Nos ediximus. Postquam autem disputatum recte est de mira Sororis a Sancto Sebastiano a phthisi pulmonum sanatione, intercessioni Servae Dei tributa, eaque recognita, et per Nostrum Decretum die 17 mensis Februarii anno Iubilaeo 1984 sancita, decrevimus sollemnem beatificationem Venerabilis Mariae Leoniae Paradis, die 11 mensis Septembris anno 1984, durante Nostro itinere in Canada peragere. Qua re inter ritum coram frequentissima fidelium multitudine sub divo celebratum, haec protulimus verba : « Par notre autorité apostolique, accueillant les vœux de notre frère Jean-Marie Fortier, archevêque de Sherbrooke, de beaucoup d'autres frères dans l'épiscopat, de nombreux fidèles, et après avoir entendu l'avis de la Sacrée Congrégation pour les causes des saints, nous déclarons que dorénavant la vénérable servante de Dieu Marie-Leonie Paradis, fondatrice de l'Institut des Petites Soeurs de la Sainte Famille, peut être appelée bienheureuse, et que, le 3 mai, jour de son départ pour le ciel, on pourra célébrer sa fête, dans les lieux fixés, et selon les règles établies par le droit. Au nom du Père, et du Fils, et du Saint-Esprit ». Amen. Atque sermonem de vita atque virtutibus Beatae illius habuimus. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Marianopoli, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Septembris, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £& Sigilli

In Secret. Status tab., n. llß.121.

ALLOCUTIONES

I

Ad Bangladesae episcopos, occasione oblata « ad Limina » visitationis coram admissos.*

My Brothers in the episcopate,

1. I am very pleased to greet you on the occasion of your pilgrimage to Rome, as you visit the tombs of Saints Peter and Paul and express your communion with the Successor of the Head of the Apostles.

Our meeting today has deep ecclesial significance. It manifests the richness of diversity within the unity of Christ's Church. It also offers us the opportunity to renew our commitment to each other as brothers in the Episcopate : you, by your very présence here today in Rome; and I, by sharing with each of you my concern for your local Ohurches and by expressing to you my fraternal support and love as the one to whom has been entrusted the care of ali the Churches.

With Saint Paul we can say : *Great is the mystery of the Church.*[1] It is a mystery that is one complex reality which comes together from a human and a divine élément.[2] Ohrist established and ever sustains the community of faith, hope and charity, which is the Church, and through her he communicates truth and grace to ali humanity. The pastoral care of this one Church was entrusted to Peter and the other Apostles, who likewise were commissioned to extend it and govern it.

This charge has been transmitted to us, their successors. However unworthy we may be for this sacred onice, *we are called* nevertheless *to serve God's people by offering* to them what we ourselves have received, namely, *Christ and him crucified and risen from the dead.* The treasure we bear, though carried in vessels of day, has immense value. We présent it to others as Christ's own treasure, the Good News of salvation proclaimed by Jesus our Saviour. The words of the Apostle to the Gentiles ring in our ears : "It was God who gave us the courage to proclaim the Good News to you in the face of great opposition. ...(It) was God who decided that we were fit to be entrusted with the Good News, and when we are speaking, we are not trying to please

*** Die 3 m. Septembris a. 1985.**

[1] **Cf. *Eph* 5:42.**

[2] **Cf. *Lumen G-entium,* 8.**

men but God, who can read our inmost thoughts".[3] We must see every service we give to the Church from this perspective.

2. The *Church in Bangladesh* is indeed the *pusillus grex,* the little flock which Christ the Good Shepherd looks upon with special love and care. The seed of God's word was sown in your land centuries ago, as witnessed by the présence of the so-called "Dacca Christians". This seed sprouted and matured ; it has taken root and flourished in the hearts of Christian believers, impelling them to nurture their faith and then to share it with others.

This outward thrust, the dynamism of Christian révélation, can never be thwarted, since it is the word of God himself which we speak of—the word of him who created and who rules heaven and earth and everything contained within them, and whose all-provident plan for us and for the world we are striving continually to understand.

3. In order to carry out more effectively the Lord's command to preach the Gospel within the context of your own cultural and national setting, you, as *Bishops,* are called to be ever mindful of an important task which is yours by virtue of your office, namely, to serve as "the visible *source and foundation of unity"*[4] in your *locai Churches.* You must cali your people to ever greater unity in Christ, while you serve as the focus and the fulcrum of unity for them. This task has many dimensions which should be examined and explored.

The *unity of faith* in the one Lord is the foundation of ali ecclesial life. Drawing your people together to be nourished by God's word must be centrai to your ministry. This *unity must extend to* the *discipline* of the Church too. This requirement has many dimensions which form an integral part of the call to unity which Christ desires for his Church. Identifying and meeting the special needs of your local circumstances must always be accompanied by respect for the bonds of unity that the Catholic Church shares on all levéis; it must, in effect, lead towards greater unity of the Spiri t in the bond of peace.[5] Ali the baptized need to be made aware of their responsibility for seeking personal holiness and for working for the good of the whole Church, as well as for hearing witness before the world. Christian believers divided among themselves are an occasion of scandal, a real

[3] ***1 Thess 2:2,* 4.**

[4] ***Lumen Gentium,* 23.**

[5] **Cf. *Eph* 4:3.**

obstacle to the spread of the Gospel. As the movement towards solidarity among peoples is increasing more and more, every believer should be the leaven of concord, unity and peace in the world.

Unity of faith and discipline should likewise find ample expression in concerted service of others, especially those most in need of compassion and concern. Such *unit ed action in worTcs o f charity* has long been a *hallmark of the Church in your country.* The many educational and charitable institutions sponsored by the Catholic Church are a source of great édification to all, Christians and non-Christians alike. These accomplishments deserve special récognition and I express my appréciation for ail that has been done in this regard. The *Christian présence* should always clearly reflect its ultímate purpose, which is, to *proclaim Christ to others,* whether it be through teaching, caring for the sick, feeding the starving, clothing the naked, sheltering the homeless, or assisting those suffering persécution for the sake of righteousness. When fraternal love is sincere and shown by deeds, there can be no doubt that God's "love is perfected in us".[6]

4. The union of the Church in Bangladesh with the Church universal continues to be manifested in many ways. I am grateful for the initiatives undertaken this year through your célébration of *International Youth Year.* Your communion with the Church in Rome in marking this occasion illustrâtes your sensitivity to the importance of giving *young people a prominent place in your pastoral activities.* Encouraging them to deepen their commitment to today's Church so that they can make a contribution to the Church of tomorrow is a marvellous priority for your time and efforts. I encourage you to be generous and zealous in this area, particularly in urging young men and women to live their faith to the full as dedicated lay persons, and in challenging them to accept the Master's special cali to the priesthood and religious life.

5. The *common bond* which you share as Bishops, représentatives of Christ in your locai Churches, is not a statio link but one that needs to be *strengthened constantly.* This strengtheñing is brought about, in the first place, by ever greater collégial unity *with the Bishop of Rome,* head of the Episcopal College, but it *also* requires a strengtheñing of the *collégial spirit among yourselves* as a group of Pastors

[6] *1 Jn* **4:12.**

belonging to one *Episcopal Conference.* Collégial action should never of course préjudice your role as pastor s and teachers in the respective local Churches entrusted to your care. Yet the *impact* of the Church upon your country, especially *in the area of evangelization,* will be immensely increased *by your united action* as Bishops of God's people, members of a new nation which has a rich cultural héritage and which is a meeting-place for many religious traditions. Forging new bonds of ecclesial communion within that environment should help to make the voice of Christ and his message of salvation heard ever more clearly in Bangladesh.

6. In recent years the Church has become more and more aware of the need for *dialogue* as a principie of action both inside and outside herself. As a resuit, she has examined with greater care her relation *with non-Christian religions.* This dialogue has special relevance for the Church in Bangladesh. Greater knowledge of Islam has led Christians to grow in their appréciation of it. The spiritual ties between Muslims and Christians, especially in their common belief in God who is one, merciful and almighty, and who has revealed himself to man, are a sound foundation for fostering mutual under - standing and for joint efforts aimed at preserving and promoting peace, freedom, social justice and moral values. The witness of Christians to authentic evangelical living should be borne above all in this sphère, so that the light of Christ may shine forth and give "light to ali in the house".[7]

Meeting the demands of preaching the Gospel in thèse circumstances requires, on the part of the minister, patience, courage and steadfast persévérance. Yet he must make his own Saint Paul's conviction : "If I preach the gospel, that is no ground for boasting. For necessity is laid upon me. *Woe to me if I do not preach the gospel!".*[8]

7. Christ carried out the work of rédemption in poverty and obscurity and the Church accomplishes her mission by following the path traced out for her by her Divine Founder. She must encompass with her love ail those who are amicted. This too has particular significance for the *Church in Bangladesh, which bear s so clearly the marks o f the poor and suffering Christ.* The conditions in which so many people of

[7] ***Mt* 5:15.**
[8] ***1 Cor* 9:16.**

your country are living impel me to make an appeal for the compassion and help of all people of good will who can see on the faces of the multitudes of suffering men, women and children the image and likeness of the Son of Man.

In the name of thèse "least of the brethren" I wish to express deep *gratitude to the many priests, religious and laity* of Bangladesh who are spending themselves so selflessly on their behalf. These dedicated individuáis, who include the many generous missionaries as well as the local clergy, religious and lay apostles, are *in the forefront of evangelization* and serve as beacons of hope for all to see.

8. Our participation, my Brothers, in the saving mission of Christ compels us to stri ve for ever greater unity in him. May the Holy Spirit be with you all, he who was sent on the day of Pentecost to sanctify the Church and unify her in communion and in the works of ministry.[9] May this same Holy Spirit strengthen you and sustain you in your labours on behalf of the Gospel and may he bestow abundant blessings upon those who collaborate with you in this sacred charge—the priests, the men and women religious, the lay catechists and ali who witness to Christ by their li ves of charity and generosi ty.

Through the intercession of Mary, the Mother of God and the Mother of the Church, I pray to Christ her Son and our Lord for you and for all the belo ved people of Bangladesh. With my special Apostolic Blessing.

II

Lichtensteni, in festo Nativitatis B. Mariae Virginis habita.*

Liebe Brüder und Schwestern!

1. Als festlich versammelte Kirche Christi feiern wir heute die Geburt der seligen Jungfrau Maria. Die Liturgie lädt uns ein, der Heiligsten Dreifaltigkeit zu danken; denn es wird die Mutter unseres Erlösers geboren, »deren heiliges Leben die ganze Kirche erleuchtet«.[1]

Die Geburt Mariens bringt Licht und Hoffnung für alle Gemeinden Christi und heute besonders für die Kirche in Liechtenstein. Dieses

' Cf. *Lumen Gentium,* 4.

* Die 8 m. Septembris a. 1985.

[1] Terz-Antiphon.

Festgeheimnis bildet den geistlichen Rahmen für den Pastoralbesuch des Nachfolgers Petri in eurer Ortskirche. In ihr grüße ich einen Teil der altehrwürdigen Diözese Chur, deren Wurzeln bis in die römische Provinz Rätien zurückreichen. Ihr verehrt als erste Väter eures Glaubens die Heiligen Luzius und Gallus und seid durch ihr missionarisches Wirken seit den frühen Anfängen des Christentums im Alpenraum Kirche Christi am völkerverbindenden Rheinstrom. Vielfältig habt ihr in Vergangenheit und Gegenwart bezeugt, daß ihr Maria auch als Mutter eurer Ortskirche anerkennt, sie als Schutzpatronin eures Landes, als Vorbild und Hoffnung eures Glaubens verehrt und ihrem »heiligen Leben« nacheifert.

2. Die Schrifttexte der heutigen Liturgie lassen uns auf das Geheimnis Mariens gleichsam aus zwei verschiedenen Entfernungen schauen".

Aus der Ferne des Alten Bundes betrachtet es der Prophet Micha. Seine Weissagung kündigt die Geburt des Messias und Gesalbten an : » . . . der über Israel herrschen soll. Sein Ursprung liegt in ferner Vorzeit«.[2] Hiermit ist das ewige Wort Gottes gemeint, der wesensgleiche Sohn des Vaters. Er wird unser »Hirt sein in der Kraft des Herrn«; mit ihm werden wir »in Sicherheit leben« ; denn er wird unser »Friede« sein.

Zugleich spricht der Prophet von der Frau, »die gebären wird«.[3] Ein Geschöpf, eine Frau, ist auserwählt, beim erlösenden Handeln Gottes entscheidend mitzuwirken; an ihr werden sich zuerst jene messianische »Sicherheit« und der »Friede« konkret erfüllen. Sie wird gesegnet sein unter allen Frauen ; ein Geschenk wird sie sein für die ganze Menscheit, da sie ihr den Erlöser gebiert.

3. Ganz aus der Nähe betrachtet hingegen der Evangelist Matthäus das heutige Festgeheimnis. Hier befinden wir uns schon mitten in jenem Geschehen, das der Prophet Micha nur aus der Ferne andeuten konnte.

Maria tritt in das Licht der Öffentlichkeit als schwangere Frau. Die Menschen sind zunächst verwirrt; man scheint sich ihrer zu schämen. Dann erfährt jedoch Josef, ihr angetrauter Mann, die Bedeutung dieses zu erwartenden Kindes : Es ist in einzigartiger Weise von Gott gewollt; es ist »vom Heiligen Geist«. Sein Name wird »Jesus« sein

[2] *Mi* 5, 1.
[3] *Mi* 5, 2.

und so bereits seine künftige Aufgabe andeuten: »Er wird sein Volk von seinen Sünden erlösen«. Ja, er wird ein wahrer »Immanuel« sein: In ihm ist »Gott mit uns«. Und Josef nahm seine Frau zu sich.[4] So bekennt er sich zu Maria und zur Frucht ihres Leibes; mutig tritt er an die Seite der Mutter des Erlösers und besteht somit die große Prüfung seines Lebens.

4. Auf diese Weise lassen uns die heutigen Lesungen aus zwei verschiedenen Abständen auf das große Geheimnis der Menschwerdung des ewigen Wortes schauen und damit zugleich auf das Geheimnis der Mutterschaft Mariens.

Diese enge Verbindung der beiden Geheimnisse betrachten wir jedes Jahr vor allem zwischen Weihnachten und Neujahr, zwischen dem Tag der Geburt Christi und dem Tag der Mutterschaft Mariens; besonders deutlich aber muß sie uns werden im Verlauf der Vorbereitung auf die bevorstehende Zweitausendjahrfeier der Menschwerdung unseres Erlösers.

Gott hat Maria dazu erwählt, die Mutter Jesu Christi zu werden. Nach dem Glauben der Kirche ist Maria durch diese außerordentliche Berufung in ihrer ganzen Person und ihrem ganzen Dasein geprägt worden. Das ist der Grund, warum wir mit Verehrung und Dank auch auf ihren Eintritt in diese Welt schauen, auf ihre Geburt; und wenn uns auch das genaue Datum dieser Geburt unbekannt ist, so fällt es doch in die Jahre unmittelbar vor jener heiligen Nacht in Betlehem.

5. Die Liturgie spricht heute aber nicht nur über vergangenes Geschehen. Die Lesung aus dem Brief des heiligen Paulus an die Römer erinnert uns an den ewigen Erlösungsplan Gottes mit seiner stets aktuellen Bedeutung auch für unsere Gegenwart. Dieser Plan erwächst unmittelbar aus der Menschwerdung des Gottessohnes, »dem Erstgeborenen von vielen Brüdern«.[5]

Es ist Gottes Wille, daß wir Brüder und Schwestern Jesu werden und »an Wesen und Gestalt seines Sohnes teilhaben«; in Jesus hat er bereits alle, die er in seine Nachfolge berufen hat, »gerecht gemacht« und »verherrlicht«. In der Tat, erstaunliche Worte des Apostels, in denen die Kirche aber Gottes Wort selbst erblickt! Ja, Großes hat

[4] Vgl. *Mt 1*, 18-24.
[5] *Rom* 8, 29.

der Herr an uns getan, indem er uns zu Gliedern seiner Kirche gemacht hat. Spontane Freude und Dankbarkeit müssen in uns darüber aufbrechen ; unsere Antwort muß sein, Gott zu lieben mit Leib und Seele, mit Herz und Verstand, mit allen unseren Kräften. Dann kann sich auch an uns erfüllen, was die Pauluslesung so großartig zu Anfang feststellt: »Wir wissen, daß Gott bei denen, die ihn lieben, alles zum Guten führt«.[6] Wie wahr sind diese Worte geworden für Jesus selbst, der durch sein Lebensopfer unser Erlöser geworden ist, wie wahr aber auch für Maria, die Ersterlöste, die um ihres Sohnes willen vor der Sünde bewahrt geblieben und so die Mutter aller Erlösten geworden ist.

Auf diese Weise nimmt Maria durch ihre Berufung zur Mutter Christi in besonderem Maße teil an jener gemeinsamen Berufung, die an alle Menschen durch Christus ergeht und in heiliger Gemeinschaft mit ihm verwirklicht werden kann.

Wenn wir das Geheimnis der Geburt Mariens in Liebe verehren, wird uns dabei immer deutlicher bewußt, daß durch ihr Jawort und durch ihre Mutterschaft Gott mit uns ist. »Immanuel« — »Gott mit uns« : das ist ja der Name für den Sohn Gottes, der in diese Welt gekommen ist und durch seine brüderliche Gegenwart jede menschliche Wirklichkeit heiligt und auf Gott hin öffnet.

6. Das gilt auch für jene Urquelle menschlicher Gemeinschaft, die wir Familie nennen : Auf sie lenken das heutige Fest von der Geburt Mariens und das Geheimnis der Menschwerdung Gottes im Schoß der Heiligen Familie heute bei dieser Eucharistiefeier unsere besondere Aufmerksamkeit.

Von der Familie und ihrer hohen Bedeutung für das natürliche und übernatürliche Leben des einzelnen und für die Gesellschaft habe ich bei der Sonderaudienz für die Liechtensteiner Rompilger vor zwei Jahren unter anderem gesagt : »Die persönliche Versöhnung mit Gott ist die notwendige Vorbedingung dafür, daß Versöhnung und Frieden auch in der menschlichen Gemeinschaft Wirklichkeit werden können. Jeder einzelne ist aufgerufen, dazu seinen persönlichen Beitrag zu leisten. Beginnt damit vor allem im engstenBereich der Familie ! Die Kirche ist davon überzeugt, daß das Wohl der Gesellschaft und ihr eigenes besonders mit dem Wohl der Familie eng verbunden ist. Alles, was zur Gesundung und Festigung der Familie geschieht, kommt dem

[6] ***Rom* 8, 28-30.**

ganzen Gemeinwesen zugute«.[7] Nachdrücklich habe ich damals gemahnt : »Die heutige Menschheit bedarf so dringend der christlichen Versöhnung. Stiften und schenken wir sie dort, wo wir sie anderen zu vermitteln vermögen : in unseren Familien, am Arbeitsplatz, in der Gemeinde, in der ganzen Volksgemeinschaft!«.[8]

Gerade im engen Familienkreis oder im nachbarschaftlichen Bereich können wir mitunter die Härte von Streit und Unversöhnlichkeit unter Menschen sehr schmerzlich erfahren. Als Christen müssen wir immer bereit sein, ein versöhnliches Wort zu sprechen und die Hand zur Versöhnung zu reichen.

7. Eine Ehe, welche in eine Krise geraten ist; eine Ehe, welche, menschlich gesehen, dem Scheitern nahe ist; eine Ehe, welche durch eine gegenseitige Entfremdung der Partner belastet ist, retten die betroffenen Eheleute nur dann, wenn sie einander verzeihen können und beharrlich auf eine Aussöhnung hinwirken. Was für das partnerschaftliche Verhältnis der Ehegatten untereinander gilt, trifft auch auf die Beziehung der Eltern zu den Kindern und der Kinder zu den Eltern zu. Wenn in einer Familie zwischen Jung und Alt, zwischen Vater oder Mutter und Sohn oder Tochter Konflikte entstehen, müssen diese in gegenseitigem Verstehen und Verzeihen ausgetragen werden. Kinder und Jugendliche, Väter und Mütter, seid nie zu stolz oder zu eigensinnig, um einander die Hand zur Versöhnung zu reichen, wenn eine Auseinandersetzung stattgefunden hat ! Seid nie hartnäckig und nachtragend, wenn es darum geht, einen Streit beizulegen !

Dazu gehört aber wesentlich auch die Versöhnung mit Gott in einer guten persönlichen Beichte, weil jede Beleidigung unserer Mitmenschen immer auch eine Beleidigung Gottes selber ist, dessen geliebte Geschöpfe wir alle sind. Schließt also bei der zwischenmenschlichen Versöhnung Gott nicht aus und greift nach jenem Heilsmittel, das Bußsakament heißt und das den inneren Frieden schenkt, den nur der Herr geben kann ! Ehe und Familie können nur dann ihrer hohen christlichen Berufung entsprechen, wenn die regelmäßige Praxis der persönlichen Umkehr und Buße sowie der Versöhnung durch die Beichte im Leben der Ehegatten und Familienmitglieder ihren festen Platz hat.

Die bald beginnende liechtensteinische Volksmission würde eine wesentliche Aufgabe versäumen, ja, sie könnte den »Aufbruch zum

[7] *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* **Bd. VI, 2, S. 767 f.**

[8] *Eod.*

Leben« in Christus kaum in die Wege leiten, wenn sie darauf verzichten würde, die Gläubigen auch zu einer guten Beichte zu führen. Ich bitte daher die Volksmissionare sehr, diesem Anliegen ihr besonderes Augenmerk zu widmen ; vor allem empfehle ich hierfür die gemeinschaftliche Bußfeier mit anschließender persönlicher Beichte und Lossprechung der einzelnen.

»Aufbruch zum Leben« — wie das Leitmotiv der Mission lautet — ist zunächst ein Ausbruch aus Sünde und Schuld, aus Unfreiheit und Ichsucht, aus Irrtum und Verwirrung und dann ein Aufbruch zur persönlichen Heiligkeit und zur Heiligung des gemeinschaftlichen Lebens. Maria, die selber ohne Makel der Sünde geboren wurde und lebte, steht uns als das große Vorbild solcher Heiligkeit vor Augen. Ihr Beispiel sei uns Licht und Kraft !

8. Die Familie als Kernzelle der Gesellschaft und lebendiger Baustein der kirchlichen Gemeinschaft ist zugleich auch der erste Ort des Gebetes. Das Zweite Vatikanische Konzil sagt : »Wenn die Eltern durch ihr Beispiel und ihr gemeinsames Gebet auf dem Weg vorausgehen, werden auch die Kinder und alle, die in der Familiengemeinschaft leben, leichter diesen Weg des echten Menschentums, des Heils und der Heiligkeit finden. Die Gatten aber müssen in ihrer Würde und Aufgabe als Vater und Mutter die Pflicht der Erziehung, vornehmlich der religiösen, die ihnen in ganz besonderer Weise zukommt, sorgfältig erfüllen.[9] Ebenso aber gilt, daß auch die Kinder als von Gott geschenkte Glieder der Familie auf ihre Weise zur Heiligung der Eltern beitragen.

In dieser Diözese und damit auch in eurem Land Liechtenstein wurde vor wenigen Jahren mit der Aktion »Hauskirche« begonnen, die dem gemeinsamen Gebet in der Familie dienen möchte. Tragt dieses wichtige Anliegen mit und fördert es nach Kräften ! Das gemeinschaftlich verrichtete Tischgebet sollte in keiner christlichen Familie fehlen. Ich bin mir bewußt, daß es für manche eine gewisse Uberwindung kostet, damit wieder anzufangen. Doch legt alle falsche religiöse Scham ab und betet gemeinsam ! »Denn wo zwei oder drei in meinem Namen versammelt sind, da bin ich mitten unter ihnen«, verspricht uns der Herr.[10]

Mit Recht dürfen wir annehmen, daß die Mutter des Herrn in eine religiöse und fromme Familie hineingeboren wurde. Maria selbst ist

[9] ***Gaudium et spes*, Nr. 48.**

[10] ***Lk* 1, 53.**

eine große Beterin. Im Magnifikat, diesem berühmten Lobgesang auf die Macht und Herrlichkeit Gottes, lehrt sie uns die Hauptrichtung allen Betens: »Meine Seele preist die Größe des Herrn, und mein Geist jubelt über Gott, meinen Retter«.[11] Stimmt ein in diesen Lobpreis Gottes! Zeigt Gott durch treue Mitfeier des sonn- und feiertäglichen Gottesdienstes, daß ihr ihn über alles liebt und ehrt und zugleich bereit seid, dieser Liebe einen konkreten, gemeinschaftlichen Ausdruck zu geben! Geht hin zum eucharistischen Herrn im Tabernakel und betet dort zum geheimnisvoll gegenwärtigen Gott für euch selber, für die eigene Familie, für die Familien eures Vaterlandes, für die Menschheitsfamilie und für die Gottesfamilie der Kirche! Ich bitte euch alle, Kinder, Jugendliche und Erwachsene, Laien und Kleriker, Ordensmänner und Ordensfrauen, Gesunde und Kranke, Behinderte und Betagte: Betet! Ja, laßt nicht nach im täglichen Gebet! Das Gebet ist die wahrhaft verändernde und befreiende Kraft unseres Lebens; im Gebet geschieht der echte »Aufbruch zum Leben«.

Tria tandem adhuc memoranda sunt quae incensum eius zelum pro Ecclesiae bono provehendo nostris temporibus aperte patefaciunt : nempe fundatio Actionis Catholicae, vigor quo sodalitates catholicas operariorum promovit, renovatio et nova ordinatio studiorum ecclesiasticorum ad meliorem profectum cleri assequendum, S. Thomae vestigiis inhaerens, quod quidem coeptum postea eius successores uberius adauxerunt.

Fons autem omnium quae Pius IX operatus est a flagrante vita spirituali ipsius promanant. Inde ab initio sacerdotii sui sibi proposuerat : « omnia in Deo, cum Deo, propter Deum ». Omnia igitur quae fecit et docuit nonnisi ratione habita huius principii spectanda sunt et omnia sic diiudicanda. Si quis hanc intentionem praecipuam vel inscio animo oblivioni mandat et ab eius navitate separat, iudicium mancum et irritum profert.

Ut sacerdos, ut episcopus, ut Summus Pontifex, Servus Dei indesinenter, immo magis ac magis, « homo Dei » vere et apparuit et fuit vir orationis adsiduae, nihil amplius ambiens nisi gloriam Dei, bonum Ecclesiae, salutem animarum ; nihil quaerens nisi voluntatem Dei in omnibus implere, eique semper libentissime inhaerebat, quantacumque pati debuisset. Hoc unum semper fuit praecipua norma vitae et pastoralis navitatis. Hoc unum prospiciens, ipse conatus est solvere problemata interdum difficillima, quae in summo pastorali munere non raro aggredi coactus est. « Non voglio scostarmi un apice dalla divina volontà» (A. Serafini, *Pio IX*, Vaticano 1958, p. 1682).

Quia voluit divinae Voluntati inhaerere, quamvis trepido animo, episcopatum ex oboedientia recepit, cum pavore et tremore Summi Pontificatus oneri sese subiecit. In omnimoda adhaesione divinae Voluntati graves aggressiones contra Apostolicam Sedem forti semper animo sustulit. Semper coram Deo ambulans, quasi suis oculis Ipsum videret, in oratione fulcimen in omnibus difficultatibus et doloribus

invenit. Quae quidem diuturnum Pontificatum in diuturnam viam crucis permutarunt.

Pietas marialis quodammodo insignis nota spiritualitatis Servi Dei Pii IX dicenda est, quae tamen nonnisi facilior via ad Christum fuit. Per Mariam ascendere solebat ad SS. Cor Iesu in augusto Eucharistiae Sacramento, in cuius adoratione non modicum tempus tum in privato sacello, tum publice, cum fieri poterat, impendere solebat. Devotio erga Beatissimam Virginem Mariam ad maximam manifestationem pertulit anno 1854 cum sollemniter Immaculatae Conceptionis veritatem definivit, coram plurimis episcopis undique ex universo Orbe Romam congregatis, quam ipsa Beatissima Virgo, quasi de caelo lapsa sereno, materne confirmavit, cum apparens in Gallia, dixit : « Ego sum Immaculata Conceptio ».

Pietas autem ex fide procedit et ad fidem ducit, quae per caritatem operatur. Quo autem maior est caritas eo operosior : « Non est amor Dei otiosus. Operatur autem magna si est. Si enim operari renuit, amor non est. Probatio enim dilectionis exhibitio est operis » (S. Thomas, *In Ep. ad Hebr.,* lect. 12, ed. Cai, n. 211).

Ex caritate in Deum et in proximum omnia quae Pius IX operatus est ortum habent. Ex caritate processit fortitudo qua tot adversos casus sereno animo sustulit, ita ut eius hilaritas in proverbium venerit.

Eius tamen vita spiritualis, cum esset Summus Pontifex, in populum christianum et dictis et factis transfusa est. Periti historici affirmare non dubitant, regnante Pio IX, populum christianum, Christum ipsum, iterum detexisse ut centrum totius spiritualitatis catholicae (cfr. Aubert-Martina, *Il Pontificato di Pio IX,* vol. II, p. 714). Princeps centrum Christo adiudicatum, beatissima Virgine praeeunte et auxiliante, pietatem catholicam funditus renovavit, ita ut reflorescerent. Haec autem restauratio internam Ecclesiae cohaesionem roboravit, ut ipsa ad nova et difficiliora tempora adeunda parata esset.

Idcirco Servo Dei Pio IX plane et plene congruunt verba Domini : ((Dicit Simoni Petro Iesus : "Simon Ioannis, diliges me plus his? Dicit ei : etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas" » (Io 21, 15 ss.).

Fama sanctitatis quae dum in humanis ageret, iam universalis erat, et a Sanctis hodie canonizatis, aperte conclamata est. Mors eius die 7 Februarii a. 1878 ut mors viri sancti in Ecclesia reputata est.

Post eius mortem fama sanctitatis et signorum integra servata est et percrebruit. Id maxime constat innumeris fere epistolis Leoni XIII eiusque successoribus missis, quibus Ecclesiae antistites et christifideles « Angelici » Pontificis canonizationem instanter postularunt. S. Pius X initium Causae fecit et concessit introductionem processuum dioecesanorum Romae, Spoleti, Senogalliae, Fori Cornelii, Neapolis, in quibus 243 testes excussi sunt.

Die autem 7 Decembris a. 1954, instante R. P. D. Alberto Canestri, Causae postulatore, servatis de iure servandis, Pius Papa XII commissionem Introductionis Causae, propria, uti moris erat, manu obsignavit.

Apostolico processo concluso, die 28 Iunii a. 1956, exhumatio Servi Dei facta est, die 23 Septembris a. 1956, in patriarchali Basilica S. Laurentii extra moenia, ubi integrum tanti Pontificis corpus asservatur in sepulcro affabre ornato.

Quibus omnibus rite peractis, instituta est apud Sacram tunc Congregationem Rituum disceptatio super virtutibus theologalibus et cardinalibus iisque adnexis eiusdem Servi Dei Pii Papae IX; et quidem primum, die 2 Octobris a. 1962, in Congregatione, quae dicebatur, Antepraeparatoria, deinde, die 28 Maii a. 1963, in Congregatione Praeparatoria, ponente Em.mo Cardinali Benedicto Aloisi-Masella. Facta autem relatione Summo Pontifici Paulo VI, die 6 Iulii eodem anno, Sanctitas Sua benigne decrevit procedendum esse ad ulteriora.

Tandem, ad instantiam R. P. D. Antonii Piolan ti, Canonici Vaticani, sedulissimi Causae novi postulatoris, die 11 Decembris anno 1984, habita est Congregatio Ordinaria Cardinalium et Episcoporum qui, relatore Cardinali Francisco Carpino, votum affirmativum protulerunt, ad dubium : *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia iisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Facta de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli relatione, Sanctitas Sua vota Patrum Cardinalium et Episcoporum accepit atque mandavit ut decretum super virtutibus appararetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto, necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, Servi*

Dei Pii Papae IX, heroum ad modum exercitis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 6 Iulii A. D. 1985.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. 68 S.

£B Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

BONONIEN.

Canonizationis Servi Dei Iosephi Bedetti, Sacerdotis saecularis, III Ordinis Servorum Mariae ascripti.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Si Christus dicitur *innocens, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus {Heb* 7, 26), quomodo nos dici poterimus amici Dei et imitatores Iesu Christi Summi Sacerdotis, absque sanctitate? Eritis utique huius saeculi, sed sapientia mundi huius ad finem aeternum non perducit. Ad finem hunc persequendum debetis esse sancti, pii, perfecti.

Revera sacerdotes sunt Dei amici, legati, ministri. Sed *amicitia aut pares invenit aut facit* (cf. S. HIERONYMUS, *In Mi.* 7, 5-7; ML 25, 1219). *Eadem velle, eadem nolle, ea demum firma amicitia est* (Sallustius, *Catil.* 20, 4). Si volumus esse Iesu Christi amici, debemus esse sancti.

Sumus Dei legati. Sed ad legationem feliciter implendam, non sufficit vestire tantum verba, sed et sensus et amorem illius qui nos mittit. Si sumus Dei legati, debemus vestire sensum et amorem Dei.

Sumus Dei ministri. Sed quomodo poterimus ascendere ad altare, si non sumus sancti, immaculati; si, personam Christi portantes, non sumus participes sanctitatis eius? » (S. Pius X, in : S. Congregatio

pro Institutione Catholica, *Enchiridion Clericorum,* Typis Polyglottis Vaticanis, MCMLXXV, p. 464).

Amicitia cum Deo, sanctitas, studium reddendi in se imaginem Christi, maxima fuerunt, ad quae etiam sacerdos Iosephus Bedetti contendit, qui constantissime in vocatione manens, res animi continuo cum fervore appetens, assidue sobrius et vigilans, austeram et simplicem vitam agens, indefatigata industria apostolica laborans, magnam est spiritus pulchritudinem consecutus, et Christi Domini, Ecclesiae, animarum amoris dedit testimonium.

Ab Aloisio Bedetti et Teresia Bugamelli Bononiae natus die 23 mensis Iulii anno 1799, eodem die est sacramenti baptismi gratia regenerata. Die 19 mensis Octobris a. 1806 Confirmationem accepit; decem annos natus primum est Eucharistia refectus, cum haec ad eum, gravi morbo aegrum, est ut Viaticum allata. Valetudine recuperata, peculiari pietate ad Dominicam mensam accedere cupiebat et rebus divinis deservire. Iam tum tractabili et miti indole eminebat, benignitate erga pauperes, sedulitate precationis, praeclarum praebens exemplum fratribus et amicis imitandum.

Eius religiosae formationi parentes prospere consuluerunt, praesertim vero pia mater, et deinde Schola Christianae Doctrinae, quam ab anno 1806 ad annum 1815 assiduo exercitio et vigili labore fre-. quentavit. Patrum Barnabitarum fuit alumnus in gymnasio S. Luciae ; postea, animadvertens se ad statum sacerdotalem vocari, anno 1815 tonsuram accepit et, domi manens, ut tum mos erat, diligenter et feliciter ad studia philosophica se contulit in seminario dioecesano suae urbis, spem faciens de optimo exitu, cum navum se ostenderet et bonum. Uti praescriptum erat, Congregationem Clericorum ven titabat, quae alumnis externis seminarii formandis quoad spiritum et mores operam dabat. Interea christianam doctrinam pueris tradebat in sua paroeciali ecclesia.

Anno 1818 Genuae novitiatum Societatis Iesu est ingressus, sed paulo post incommodae valetudinis causa illum reliquit. Domum re versus solita alacritate praeparationem ad sacerdotium perrexit; studia philosophica in seminario recoluit, quibus peractis, theologiae Facultatem frequentava (annis 1819-1822) apud Pontificiam Studiorum Universitatem Bononiensem. Denique, die 22 mensis Martii a. 1822 presbyteratus ordinem accepit.

Multiplex et fructuosa fuit eius pastoralis industria, quam Servus Dei in urbe sua explicavit. Operam navavit nonnullis Congrega-

tionibus, quae opem ferebant tum religiosam tum caritatis diversis ordinibus, sicut, exempli causa, scholasticis Studiorum Universitatis, inclusis in carceribus, in nosocomiis iacentibus, petasorum opificibus, sutoribus.

Ad necessitates eius temporis intentus et cupidus regnum Dei in animas dilatandi, anno 1827 per peculiaria incepta curare coepit formationem humanam et christianam puerorum pauperum et derelictorum, sed anno 1831 opportunum putavit hoc opus interrumpere ob motus seditiosos. Ab anno 1833 ad annum 1839 rector fuit templi « S. Maria del Baraccano » appellati ; dein rector ecclesiae S. Donati. Anno 1834 se ad curam revocavit puerorum egenorum, et anno 1838 condidit pro iis « Scholam nocturnam », ubi, congruenter adiutus, multimodis prospiciebat eorum educationi, quod ad mentem, ad mores, ad religionem et ad professionem pertinebat, eripiens eos ex viarum periculis et ita instituens, ut societati et Ecclesiae bene insererentur. Nam « Vera ... educatio prosequitur formationem personae humanae in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum officiis, adultus effectus, partem habebit » (Conc. Oec. Vat. II, Declaratio de Educatione Christiana *Gravissimum educationis,* 1).

Servus Dei omnia omnibus factus est et Domini imitans exemplum, qui singulari amore pueros diligebat (cf. *Mt* 19, 14 ss.), vitae alumnorum particeps erat, eis quae ad animam et quae ad corpus sunt necessaria comparabat, eosdemque adiuvabat ut se in provinciam operum insérèrent, atque, numquam educatoris et amici munere deposito, ad eorum vitae iter attendebat. « Schola nocturna », quam ad centum pueri frequentabat, copiosos et diuturnos exitus habuit, et est laudem adepta auctoritatum illius loci et populi. Quin exemplum Servi Dei alii sacerdotes Bononienses sunt imitati, qui alias scholas nocturnas aperuerunt, quarum idem Servus Dei factus est praefectus et inspector. Anno 1861, nolens in sententiam novarum Potestatum discedere, magno cum dolore et animi firmitate, maluit scholam claudere ; non tamen muneri patris et pastoris suorum puerorum defuit, quorum cuique consulere non destitit.

Anno 1845 nominatus est archipresbyter Capituli Basilicae S. Petronii; religiose choro intererat et sacris, sed anno 1886, ob longissimam aetatem et infirmam valetudinem, indultum iubilationis, ut aiunt, ab Apostolica Sede impetravit. Deversante Pio IX Bononiae (anno 1857) insignitus est honorifico titulo Cubicularii intimi Suae Sanctitatis.

Anno 1864 ad III Ordinem Servorum Mariae se ascripsit, nomine sumpto Peregrino Maria et, die 7 mensis Iunii anno 1865, professionem fecit.

Laudabiliter aliis muniis est functus, quae fidenter archiepiscopi Bononienses ei commiserunt.

Singulari sedulitate, etsi aetate provectus, se dedidit operibus caritatis et institutioni catecheticae, quae est primum subsidium ut Ecclesia suum educandi munus exsequatur (cf. Conc. Oec. Vat. II, *ibidem,* 4).

Non communem adhibebat curam de peccatoribus ad virtutem revocandis, ac felici exitu incumbebat in pastorale adiumentum eorum, qui in carceribus custodiebantur. Eodem impulsus fervore baiulos et caminorum purgatores coluit qui, ut omnibus notum erat, auxilio indigebant quod ad mores et ad religionem attinebat. Magna caritate etiam usus est pro iis, qui erant ab operibus vacui, subveniendo ut honestum opus invenirent. Pauperibus non solum verba humani solacii largiebatur et panem verbi Dei frangebat, sed liberaliter erogabat victum, vestes, medicinas quibus valetudinem suam tuerentur, ligna quibus corpore calefacerent, varia subsidia nummaria. Totum patrimonium dispertivit stipes conferendo, ipse factus pauper, et, cum nihil amplius sui habuit, est factus mendicus apud divites urbis, qui libenter operam dabant malis pauperum levandis, qui crebriores in dies auxilium Servi Dei tum pro animis tum pro corporibus exquirebant.

Assidue ministerium confessionis exercuit, praesertim in valetudinariis, in Institutis ad corrigendum aptis et in ecclesiis, quarum fuit rector. Ipse autem, cum integerrimae esset conscientiae et fortiter peccatum horreret, cotidie ad sacramentum reconciliationis accedebat. Miro fervore sacrificium eucharisticum celebrabat, sacramenta ministrabat et liturgiam horarum recitabat. Longis et piis adorationibus eucharisticis insistebat, maxime in ecclesiis ubi SS. Sacramentum propalam collocatum erat. Item multum tempus diei et noctis in precatione conterebat. Ardenti pietate filii Virginem Perdolentem et Virginem a S. Luca colebat.

Per omnes sacerdotii annos acriter sensit suum esse ad perfectionem et ad sanctitatem tendere. Qui eum cognoverunt testati sunt, per exercitium constans suorum officiorum, per usum praesentiae Dei, per sui castigationem perque paenitentiam, eum cotidie profecisse in Dei et proximi caritate, et difficultatibus superatis, omnibus dedisse splendidum Evangelii testimonium.

Innumerabilia et admiranda reliquit exempla fidei vivae et diffu-

silis, perfectae fiduciae Providentiae et divinae misericordiae, laeti et sereni obsequii voluntatis Dei, factis ostendens se credere verbo Christi : « Sine me nihil potestis facere » *(Io* 15, 5). Praestantissimo prudentiam, temperantiam, fortitudinem et iustitiam exercitavit; magnopere virtutem humilitatis dilexit, nutricem et altricem caritatis, voluitque in populo esse sicut qui ministrat (cf. *Lc* 22, 27), tantummodo gloriae Dei et salutis animarum studiosus. Enituit perfecto paupertatis exercitio, cum esset omnino sui neglegens et a bonis et inanibus terrestribus alienus, seque vel rebus necessariis privasset ut pauperibus succurreret atque divini Magistri, qui egenus factus est, cum esset dives (cf. *2 Cor* 8, 9), imitaretur exempla. Exemplar fuit, omnibus spectatum, perfectae et perpetuae continentiae propter regnum caelorum (cf. *Mt* 19, 12) ; quae quidem est « signum simul et stimulus caritatis pastoralis atque peculiaris fons spiritualis foecunditatis in mundo » (CONC. OEC. VAT. II, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* 16). Nec minus egregio modo exercuit oboedientiam erga Summum Pontificem, suum archiepiscopum suosque superiores, adeo ut eosdem sensus habuerit ac Iesus Christus, qui «semetipsum exinani vit formam servi accipiens... factus oboediens usque ad mortem » *(Phil* 2, 7-8). Concorditer semper vixit cum ceteris presbyteris et in fraterna cum eis communione, quibuscum libenter laborabat, omnium ultimum se habens.

Hanc vitae rationem egit usque ad mortem, quae Bononiae supervenit ei die 4 mensis Ianuarii anno 1889. Clerus, auctoritates et populus, sanctum eum existimantes, frequentes venerunt eius corpus, quod indui iusserat veste Tertiariorum Servorum Mariae, visuri, et postea sollemnes exsequias funeris eius prosecuti sunt, quae in eius eximiarum virtutum summam laudem et communem consensum cesserunt.

Fama sanctitatis, qua vivus innotuerat, aucta est post mortem. Unde, anno 1923, apud Curiam archiepiscopalem Bononiensem inita est causa Beatificationis, acto Processu Ordinario Informativo. Anno 1924 instructus est Processiculus Rogatorialis Romanus. Secutus est (annis 1935-1941) Processus Ordinarius additionalis Bononiensis. Die 18 mensis Iunii anno 1930 editum est Decretum super scriptis. Introducta Causa die 14 mensis Decembris anno 1948 et prodito Decreto de non cultu (anno 1950), celebratus est apud eandem Curiam Bononiensem Processus Apostolicus super virtutibus in specie (an-

nis 1951-1953). Horum Processuum auctoritas agnita est die 20 mensis Iunii anno 1958.

Die 14 mensis Maii anno 1985 convenit Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, qui ad unum omnes professi sunt Servum Dei Iosephum Bedetti virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse. Idem confessi sunt Patres Cardinales in Congregatione Ordinaria die 5 Novembris eodem anno, Ponente Causae Em.mo Cardinali Silvio Oddi.

Quibus de rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum rata habens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus appararetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater, declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Bedetti, in casu et ad effectum de quo ogitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 16 Novembris A. D. 1985.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

h. © S.

® Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III
SENEN.

Canonizationis Servae Dei Sabinae Petrilli, Fundatricis Instituti Sororum Pauperorum a S. Catharina Senensi.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Sine caritate nullus virtutis actus in se vitam haberet; quaevis namque virtus vitam habet ex caritate. Mater ea est, quae virtutum filios parit vivos, et non mortuos. Haec dulcis caritas lumen secum habet sanctissimae fidei; quae ob amorem, quo suum Creatorem diligit, vere credit nihil aliud a Deo exoptari quam bonum suum; omniaque, quae is dat et permittit, ad suam sanctificationem dari. Per hanc intellegentiam et lucem, quam ex affectu caritatis accipit, ad patientiam venit; nec in ulla re, quae accidat, offendit, nec mente turbatur; quin contra eam reveretur » (S. CATHARINA SENENSIS, *Epistula 80 k).*

Caritas, vinculum perfectionis et plenitudo legis (cf. *Col* 3, 14; *Rom* 13, 10), species summa virtutis fuit etiam Servae Dei Sabinae Petrilli, quae per cursum vitae suae nihil aliud optavit, quam proficere in dies in amore Dei et proximi. Hanc elatam et salutarem appetitionem mirandum in modum ostendit operibus, verbis, scriptis, in quibus ita eloqui solebat: « Vita est amare Te, Deus cordis mei ! Sed si tota amore perirem Tui, sentio hoc non suffecturum ad satiandam aviditatem, quam in pectore habeo, amandi Te. Toto corde Te amo, tota anima, tota voluntate, sed ne sic quidem possum reddere Tibi unum pro mille »; et item: « Sicut piscem viventem in aquis numquam taedet in eis esse, ita mihi videtur anima mea vivere non posse, nisi Iesum amet, in eo omnino quiescat, et numquam eam taedere cum Iesu loqui et eum audire loquentem ».

Ea nata est a Celso Petrilli et Matelda Vetturini die 29 mensis Augusti anno 1851 Senae Iuliae, in urbe toto orbe terrarum praeclara ob monumentorum pulchritudinem et opera summo artificio facta, quae intra eius moenia custodiuntur, sed praeclariore ob ortum inde ductum fulgidissimi eius sanctitatis luminis, quod fuit S. Catharina

Benincasa (1347-1380), Ecclesiae doctor et, simul cum S. Francisco Asisinati, Italiae Patrona. In finibus antiquae Reipublicae Senensis, et quidem Massae Veternensis, natus est etiam S. Bernardinus Albizzeschi (1380-1444), qui verbo, doctrina et exemplo terram suam et insignem Franciscanam familiam illustravit.

Serva Dei gratia baptismatis est renata die 31 mensis Augusti a. 1851; postridie calendas Septembres anno 1852, cum in periculo mortis versaretur, sacramentum Confirmationis accepit. Die 31 mensis Maii a. 1863, magno cum fervore et optima cum praeparatione, primum ad sacram Eucharistiae mensam accessit et iam tum coepit animadvertere se ad vitam consecratam vocari. A familia et a Filiabus Caritatis S. Hieronymi, quarum fuit alumna in ludis elementariis, est accurate ad christianam educationem informata, cui semper consentanea sane fuit.

Iuveniles annos egit matrem adiuvans in educandis sororibus et fratribus minoribus natu et diligenter se ad res spiritus conferens et ad opera caritatis. Peculiarem adhibuit curam de religionibus, de precatione, de pietate erga Sanctissimum Sacramentum, de studio deque christiana catechesi tradenda, de mundi inanibus fugiendis. In consociatione Filiarum Mariae fuit, cuius postea etiam fuit praeses et demum moderatrix.

Serva Dei, exemplis Christi illecta, qui a Patre est missus ut laetum nuntium redemptionis pauperibus afferret (cf. *Lc* 4, 18), acrius in dies, cum aliis puellis, voluit se dedere puellulis pauperibus et derelictis iuvandis tum in rebus externis tum in rebus ad spiritum pertinentibus, et institutioni catechismi. Hoc modo evidenter testabatur Ecclesiam, per operam filiorum suorum, omnes infirmitate humana afflictos circumdare, in pauperibus et patientibus imaginem Fundatoris sui agnoscere, eorum inopiam sublevare satagere et Christo in eis inservire intendere (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio Dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium,* 8).

Consilium, diu excultum, condendi Institutum Religiosum, quod subveniret necessitatibus puellularum egenarum et pauperum, est ad effectum adductum die 7 mensis Septembris anno 1874, instituta Congregatione Sororum a S. Catharina Senensi, cuius Regulae approbatae sunt insequenti anno ab Archiepiscopo Senensi Henrico Bindi. Die 5 mensis Septembris anno 1899 Sancta Sedes approbationem Constitutionum concessit ad sexennium, quae semel probatae sunt anno 1906. Cum Sororibus sodalibus Serva Dei, die 8 mensis Decem-

bris anno 1900, vota religiosa suscepit, quae privatim iam nuncupaverat septemdecim annos nata.

Per totam vitam suam consecratam Serva Dei, tamquam Antistita Generalis, praefuit familiae religiosae a se conditae. Hoc officio est iuncta magna sedulitate et alacritate, suscipiens et vincens non paucas difficultates et gravia negotia tum ad disciplinam, cum ad res domesticas spectantia, Indole forti, firma voluntate et acuta intellegentia praedita, manu usu perita et stabili, Instituti sui naviculam gubernavit per scopulos, conatibus disiunctionis et recusationis tribuendis parvorum globorum Sororum sodalium aut non legitimis extraneorum interventibus. Magna prudentia, firmitate ac suavitate curavit formationem perennem Sororum, quas matris corde amabat, et a quibus exigebat impensam vitam interiorem, summam de pauperibus curam, mutuam caritatem, humilitatem, studium piorum exercitiorum, oboedientiae, silentii. Immemor incommodorum et tenuis suae valetudinis, frequenter varias domus visebat, quae brevi tempore in Italia et in America Latina multiplicatae erant, et continuum cum filiabus suis epistularum commercium habebat.

Nec ingens laboris moles, quae in eam incumbebat, nec multiplices sollicitudines, quae ad regimen Congregationis attinebant, eam exsolverunt munere christianam perfectionem persequendi, ad quam gradatim pervenit, maxime ex anno 1907, cum Providentia favente, P. Odilonem Otten cognovit, monachum benedictinum, qui ut eius magister spiritus, vehementem sanctitatis aviditatem Servae Dei direxit adduxitque ad summa perfectionis culmina. Eius moderatione rigida, sapienti et prudenti, Mater Sabina didicit conciliare precationem labori, coram Deo vivere, res carissimas deponere, manibus Dei totam se permittere. Singulares progressus fecit in continentia indolis suae, natura ardentis, animosae et impotentis. Cum sitiens esset perfectionis, ita profecit, ut se ex consuetudine et perfecte in sua potestate haberet, Dei auxilium per preces exquirendo, consiliis et praeceptis P. Otten obtemperando, atque et assidue providendo de motibus spiritus deque sensu, de sermone, interdum salso et asperiore, de ratione Sorores corrigendi. Extremis vitae annis, sic eius lenitas et mansuetudo patebant, ut alia facta esse videretur.

Scripserat : « Deo adiuvante omnimodis nitar ut sancta **nam** et magna quidem sancta, simpliciter quo melius amem Sponsum animae meae, ut magis ac magis illi soli placeam, amans nesciri et **a** mundo despici ».

Omnes qui eam cognoverunt, testificantur eam in eiusmodi proposito mansisse et virtutum christianarum atque religiosarum splendidum exemplar factam esse. Fervida et industria fide illuminata, affirmavit : ((Fides per omnia, per omnia Deum videre : haec est vita mea. Alia ratione vivere non possem ». Libenter et diu animam suam reficiebat et alebat meditatione verbi Dei, precatione, ardenti pietate erga Eucharistiam et Virginem Mariam. Diligentiam maximam adhibebat de fide propaganda, praesertim inter iuvenes et non credentes, illamque virtutem diversimode animis Sororum infigebat. Deum toto corde, totis viribus, tota anima amavit; ad eum omnes cogitationes, affectus, facta revocabat; pro eo parce ac duriter se habuit. Peccati odium habebat; unde diligentissime tuebatur munditiam animae suae, et incumbebat in peccatores ad frugem compellendus. Amor in pauperes, in puellulas derelictas, in Sorores, constans studium eius fuit et amoris, quo Dominum Iesum diligebat,, repercussus. Providentiae auxilio confisa, aliena sibi et omnibus terrestribus bonis, nihil aliud optabat, quam Dei gloriam et animarum salutem. Maxime prudentiam exercita vit, fortitudinem, iustitiam, temperantiam. Vota religiosa et Instituti sui Regulas servavit; cum se peccatricem et ultimam omnium putaret, multa humilitatis praebuit exempla.

Per totam vitam Serva Dei incommoda valetudine est usa, et ab anno 1890, eius corpus est multiplicibus tumoribus affectus, qui procedentibus annis ita quoquoversus manarunt, ut totius corporis corruptionem suscitaverint. Acerbos dolores mirabili cum patientia et animi tranquillitate tulit, in suis officiis sedulo permanens et vitam communem participans. Nec aegritudines ei defuerunt, adeo ut dies, quos agebat, tormentum esse viderentur; sed peculiare votum fecerat se non esse dolituram de aerumnis, et ut id perficeret mirabiliter evaluit. Sacramentorum solacio firmata pie de vita decessit Senae Iuliae die 18 mensis Aprilis anno 1923. Amor et existimatio, quibus Serva Dei viva est fruita ob suum apostolatum apud diversos ordines obque virtutum splendorem, eminuerunt in exsequiis, quibus proceres et plebs magno numero interfuerunt.

Fama sanctitatis, qua in vita claruit, post mortem non intermisit. Eam ob rem annis 1941-1952 apud Curiam archiepiscopalem Senensem instructus est Processus Ordinarius, et eodem tempore Processus Rogatoriales Romanus (annis 1943-1945), Tarvisinus (anno 1948), Bononiensis (anno 1948), Senogalliensis (anno 1949), Florentinus (annis 1948-1950), Rottenburgensis (annis 1948-1950), Faventinus (anno

1949), Calaritanus (anno 1950). Post Decretum super scriptis Servae Dei tributis (die 21 mensis Decembris anno 1968), Causa est introducta (die 15 mensis Octobris anno 1981), facta dispensatione a Processu Apostolico super virtutibus in specie celebrando. Auctoritas iuridica Processuum agnita est die 3 mensis Iulii anno 1982; quo die editum est et Decretum de non cultu. Die 28 mensis Maii Consultores Theologi Congressum Peculiarem super virtutibus egerunt, fuitque exitus felix.

Patres deinde Cardinales, in Congregatione Ordinaria, die 15 mensis Octobris a. 1985 habita, Ponente Causae Cardinali Mario Aloisio Ciappi, professi sunt Servam Dei Sabinam Petrilli heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Super quibus omnibus facta per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis rata habuit et confirmavit atque ut Decretum de heroicis Servae Dei virtutibus conscriberetur mandavit.

Quod cum rite esset factum, accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, Beatissimus Pater, hodierna die declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, Servae Dei Sabinae Petrilli, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 16 Novembris A. D. 1985.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

68 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA

MESSANEN.

DECRETUM

quo Institutum Superius Theologicum, in Messanensi Seminario Salesiano Sancti Thomae, Facultati Theologicae Universitatis Pontificiae Salesianae academice aggregatur.

Singularem prorsus a Salesiana Sancti Ioannis Bosco Congregatione inde ab exordiis suis impensam operam in civilem religiosamque assequendam iuventutis efformationem innumeros uberesque fructus continuo rettulisse, omnes et plane norunt et plurimi libenter faciunt. Eodem modo omnibus compertum est tanti Fundatoris asseclas speciali charismate iamdiu connotari catholicam catechesim omnimode excolendi, quippe quae manifestum fundamentum ac necessarium instrumentum manet catholicae fidei tum efficaciter diffundendae tum ex animo amplectendae, prout ipsum quoque Concilium Vaticanum secundum, catecheseos laudes et necessitatem non semel graviter affirmans, aperte proclamat (cf. ex. gr. *Christ. Dom.*, nn. 13-14).

Re quidem vera, Salesiani Patres, praeter quam in ordinario pastorali ministerio suum praecipue duxerunt in proprio Pontificio Athenaeo — a. D. MCMLXXIII in « Universitatem Pontificiam Salesianam » a PAULO VI fauste evecto — « Institutum Superius Paedagogiae » condere, cuius esset, cooperante ac praelucente Salesiana Facultate Theologica, peculiaria studiorum programmata explere ad catecheticam funditus explorandam et docendam.

Facile ex his patet, quanta voluntate Provincia Salesianorum Sicula gloriosa Patris sui vestigia sibi quoque premenda proposuerit, cum a. D. MCMLXVII propriam theologicorum studiorum domum, « Seminarium a Sancto Thoma Aquinate » nuncupatam ac Messana in urbe sitam, peculiari inita conventione, liberaliter adhibendam obtulerit Exc.mo D.no Francisco Fasola, Ordinario loci, necnon Adm. rev.do

P. Terentio a Gangi, Fratrum Minorum Gapuccinorum Provinciali, ut in ea ipsorum quoque ad sacerdotium adspirantibus theologica institutio impertietur. Duobus vix elapsis annis, programmatum structura, docentium qualitas et scholarium subsidiorum copia ita in Seminario effloruerunt, ut Rev.dus Dominus Oalogerus Conti, Salesianorum Siciliae Inspectons Provincialis, unanimi suffultus Sicaniae suffragio Episcoporum, Congregationem pro Institutione Catholica adiverit, affiliationem theologicam pro Seminario suo efflagitans. Quam quidem eadem Congregatio, Pontificii Athenaei Salesiani Rectore postulante ac Athenaei Facultate Theologica spondente, die XXIV m. Octobris a. D. MCMLXX libenter concessit.

Nova paulo post sacrorum studiorum aetas in Sicana Ecclesia incepit : enixe, enim, instante Insulae Episcopatu ac approbante Italica episcopali Conferentia, Congregatio pro Institutione Catholica die VIII m. Decembris a. D. MCMLXXX in Panormitana urbe « Facultatem Theologicam Sicilianam » canonice erexit. Quam ob rem laudata Sicula Conferentia, ad mentem art. 60, § 2 Apostolicae Constitutionis « Sapientia Christiana », negotium planificationis Theologicorum Insulae Studiorum sibi aggrediendum statuit, ut Sanctae Sedi de quibusdam affiliandis vel aggregandos Ecclesiasticis Centris quam aptas solutiones proponeret. Quod cum attente perpenderetur, mira ac diuturna patuit Sancti Thomae Seminarii ecclesialis opera, propter quam postremis sexdecim elabentibus annis in eodem Seminario quotannis centum circiter studentes accurate efformabantur, ex quibus centum quadraginta in universum, per quindecim suae affiliationis annos, academicum Baccalaureatus gradum assecuti sunt. Pariter quoque apparuit moderatores docentesque Seminarii exemplari obsequio ac concordia cum Siciliae Ordinariis tum dioecesanis tum religiosis, in primis cum Messanensi Archiepiscopo, continuo se gessisse, inceptaque immo quaedam pastoralia, veluti « Cursus Paedagogiae Catecheticae », provide suscepisse, ad clericos laicosque catechesi exercendae religionique in scholis docendae congrue apparandos.

His perlibenter compertis, laudata Siciliae Conferentia Episcopalis, per Praesidem suum E.mum Salvatorem S. R. E. Cardinalem Pappalardo, Panormitanum Archiepiscopum ac Facultatis Theologicae Sicilianae Magnum Cancellarium, consensum suum expresse declaravit ut Rev.mus Aegidius Vigano, Congregationis Salesianae Rector Ma-

ximus ac Universitatis Pontificiae Salesianae Magnus Cancellarius — fervide accedentibus rev.do d.no Calogero Montani, Provinciae Salesianae Siculae Inspectore, et maxime, Exc.mo D.no Ignatio Cannavo, Messanensi Archiepiscopo, nomine quoque suae ecclesiasticae provinciae Ordinariorum — a Congregatione pro Institutione Catholica promotionem instanter postularet hucusque affiliati Studii Theologici Seminarii Sancti Thomae Aquinatis in academicum Institutum Theologicum aggregatum.

Quibus omnibus considerate perspectis, Congregatio pro Institutione Catholica, perpenso laudibusque elato ecclesiali pretioso servitio a Salesiana Familia non paucis Siciliae dioecesibus perite fideliterque his annis praestito, ac pro certo habens probatam studiorum condicionem ad rem requisitam, Salesiana Facultate Theologica testante, in Seminario prospere iam vigere, sibi porrectas preces omnino excipiendas censuit.

Quare sacrum idem Dicasterium, potestate a Summo Pontifice Ioanne Paulo div. Prov. Pp. II sibi concredita, ad Optimi Maximi gloriam atque Ecclesiae Siculae itemque Sicanae Provinciae Salesianae decus et incrementum, INSTITUTUM SUPERIUS THEOLOGICUM in Messanensi Seminario a Sancto Thoma Aquinate vigens THEOLOGICAE FACULTATI UNIVERSITATIS PONTIPICIAE SALESIANAE hoc Decreto aggregat atque aggregatum declarat, cuius studiorum curriculum ad primum et ad secundum cyclum Theologicae Facultatis protrahatur, ad academicos gradus *Baccalaureatus et Licentiae Specializatae* in Catechetica ex Facultate aggregante per Institutum assequendos, sub ductu et vigilantia memoratae Facultatis positum, ad normam tum Apostolicae Constitutionis « Sapientia Christiana » adnexarumque <(Ordinationum » tum peculiarium Instituti *Statutorum,* ab eadem Congregatione approbatorum, sedulo regendum.

Eadem demum Congregatio novo Centro Academico Aggregato obligationem facit cum Theologica Facultate Siciliana cumque Messanen Instituto Superiore Scientiarum Humanarum ac Religiosarum concorditer naviterque cooperandi, in tuto positis uniuscuiusque Centri iuribus ac officiis, obsequenterque iugiter servatis episcopalis Siciliae Conferentiae pastoralibus normis ac praescriptis.

Ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Institutione Catholica, die **XV** m. Augusti, in Sollemnitate Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, a. D. MCMLXXXV, centesimo septuagesimo anno vertente a nativitate sancti Ioannis Bosco.

VILLELMUS Card. BAUM, *Praefectus*

© Antonius M. Javierre Ortas, Archiep. tit. Metensis, *a Secretis*

In Congr. pro Institutione Catholica tab., n. $50/85/18.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 9 Dicembre 1985, S. E. il Generale SIMHA PRATAP SHAH, Ambasciatore del Nepal presso la Santa Sede.

Giovedì, 12 Dicembre 1985, S. E. il Signor BEN KUFAKUNESU JAMBGA, Ambasciatore di Zimbabwe presso la Santa Sede.

Giovedì, 19 Dicembre 1985, S. E. il Signor STEFAN CIGOJ, Ambasciatore della Repubblica Socialista Federativa di Iugoslavia presso la Santa Sede.

Sabato, 21 Dicembro 1985, S. E. il Signor ANDREA CAGIATI, Ambasciatore d'Italia presso la Santa Sede.

Sabato, 28 Dicembre 1985, S. E. il Signor ATUAL KARIM, Ambasciatore del Bangladesh presso la Santa Sede.

Lunedì, 30 Dicembre 1985, S. E. il Signor CARLOS MELENDEZ CHAVERRI, Ambasciatore di Costa Rica presso la Santa Sede.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 16 Dicembre 1985, S. E. il Signor EL GIZOULI DAFALLA, Primo Ministro e S. E. il Signor IBRAHIM TAHA AYOUS, Ministro per gli Affari Esteri del Sudan.

Sabato, 28 Dicembre 1985, l'On. ULYSSES GUIMARÂES, Presidente della Camera dei Deputati del Brasile.

Da domenica 2á Novembre a domenica 8 Dicembre 1985 il Santo Padre ha presieduto una Assemblea straordinaria del Sinodo dei Vescovi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici Sua Santità Giovanni Paolo II ha nominato:

12 dicembre 1985. Mons. Pier Luigi Celata, Arcivescovo tit. eletto di Doclea, *Nunzio Apostolico a Malta.*

30 » » S. E. Mons. Luigi Dossena, Arcivescovo titolare di Carpi, *Nunzio Apostolico in Perù.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

4 dicembre 1985. Il sac. John A. Badano, *Delegato presso il Segretariato per V Unione dei Cristiani.*

14 » » Le LL. EE. i Monsignori: Francis John Spence, Arciv. di Kingston; Jean-Baptiste Ama, Vesc. di Sangmélima ; John R. Keating, Vesc. di Arlington; Adam J. Maida, Vesc. di Green Bay; — il P. D. Viktor Dammertz, Abate Primate O. S. B.; — i Monsignori Luis Alessio; Ellsworth Kneal; Lamberto de Echeverría; Hugo Schwendenwein ; — i sacerdoti : Amedeo de Fuenmayor; Józef Krukowski; Jean Thorn; Lawrence Wrenn; — i padri: Andrea Boni, O.F.M.; José Manuel Castaño Fernández, O.P.; Velasio de Paolis, O.S.; Giuseppe Di Mattia, O.F.M. Conv.; Ignacio Gordon Couvillo, S.I.; Germain Lesage, O.M.I.; Piero Giorgio Marcuzzi, S.D.B.; Francis Morrisey, O.M.I. ; Bruno Primetshofer, C. SS. R. ; Francisco Javier Urrutia, S.I.; Marian Zurowski, S.I.; — i signori: Giorgio Feliciani e Alberto de la Hera ; — le suore : Giuliana Accornero, Figlia di Maria Ausiliatrice ; Jeanne Charry, delle Suore del Sacro Cuore; Mercedes Codorniu, delle Serve del Sacro Cuore; Agnès Sauvage, Figlia della Carità; — la signora Adele Zannoni Messina, *Consultori della Pontificia Commissione per r Interpretazione autentica del Codice di Diritto Canonico.*

20 » » Mons. Cosimo Petino, *Consultore della Congregazione per le Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

Protonotari Apostolici soprannumerari:

15	febbraio	1985.	Mons. Manuel Cardoso de Carvalho (Lamego]
30	marzo	»	Mons. Giuseppe Notarpasquale (Termoli).
10	aprile	»	Mons. Franco Monticelli (Milano).
15	»	»	Mons. Hermann Berg (Mainz).
15	luglio	»	Mons. Josip Sojat (Rijeka-Senj).
17	»	»	Mons. Garlos Sánchez Espejo (San Cristóbal).
19		»	Mons. Federico Arguello (Managua).
25	»	»	Mons. Giovanni Papa (Andria).
7	ottobre	»	Mons. Wawrzyniec Wnuk (Gniezno).
»		»	Mons. Feliks Kloniecki (Gniezno).
»			Mons. Michele Caruso (Cosenza).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

21	dicembre	1984.	Mons. Vincenzo Ferrara (Trivento).
15	gennaio	1985.	Mons. Fabián José Ramos Gómez (Cumaná).
.9	marzo	»	Mons. Darío Munera Vélez (Medellín).
10	»	»	Mons. Antonio Silvestrelli (Tursi-Lagonegro).
28	»	»	Mons. Raymond John Lahey (St. John's, Nfld).
2	aprile		Mons. Gerardo Marcello (Calvi).
»	»	»	Mons. Carmine Latina (Teano).
»			Mons. Arcangelo Mercone (Calvi).
15		»	Mons. Josef Ludwig (Mainz).
18	»	»	Mons. Denis Kiwanuka (Tororo).
22	»	»	Mons. Winfried Aymans (Köln).
»	»	»	Mons. Renhard Angenendt (Köln).
19	maggio	»	Mons. Salvador Santana David (Culiacán).
		»	Mons. Francisco Sarabia Barraza (Culiacán).
»	»		Mons. Francisco Méndez Aguirre (Culiacán).
21	»	»	Mons. Michel Thiriez (Lille).
24		»	Mons. Benedictus Santacruz (Ponce).
28	»		Mons. Denis Hayes (Cork and Ross).
1	giugno	»	Mons. Jean Baptiste Comeau (Nicolet).
»		»	Mons. Charles Edouard Doucet (Nicolet).
»			Mons. Maurice Fleurent (Nicolet).
»	»	»	Mons. Jean Jacques Fortier (Nicolet).
	»	»	Mons. Jean-Yves Frechétte (Nicolet).
»	»		Mons. René Véronneau (Nicolet).
		»	Mons. Simon Héroux (Nicolet).
	»	»	Mons. Gilbert Lemire (Nicolet).
»	»		Mons. Martin Courchesne (Nicolet).
»	»	»	Mons. Charles Henri Paul (Nicolet).
5		»	Mons. James Ardle MacMahon (Dublin).
		»	Mons. Owen Sweeney (Nicolet).
	»		Mons. Stephen Greene (Nicolet).

5	giugno	1985.	Mons. Richard Mäher (Nicolet).
18	»	»	Mons. Leonardo Molfetta (Oastellaneta).
»	»	»	Mons. Natale Ginelli (Crema).
»	»	»	Mons. Luigi Comandulli (Crema).
»	»	»	Mons. Primo Guerini Rocco (Crema).
21	»	»	Mons. Agbon Iyselenin Ogbeide (Benin City).
»	»	»	Mons. Paul Okoebor (Benin City).
»	»	»	Mons. Charles Travers (Elphin).
24	»	»	Mons. Mario Vincelli (Termoli).
26	»	»	Mons. Patrick Byrne (Peterborough).
2	luglio	»	Mons. Antoine Barniol Vedaguer (Vieh).
4	»	»	Mons. Jean Louis Sivieude (Perpignan-Elne).
6	»	»	Mons. Josef Rief (Regensburg).
12	»	»	Mons. Daniel J. Long (Kerry).
»	»	»	Mons. Ostelio Pacini (Siena).
»	»	»	Mons. Alois Lang (Fulda).
22	»	»	Mons. George W. Martin (Saint-John, N.B.).
25	»	»	Mons. Miguel Angel Matonte (Florida).
»	»	»	Mons. Emilio Greulich (Florida).
»	»	»	Mons. Francesco Spaduzzi (Salerno).
4	agosto	»	Mons. Hilarius M. Y. Senoo (Keta-Ho).
3	settembre	»	Mons. Joseph V. Adamec (Nitra).
4	»	»	Mons. Francisco Gil Hellin (Valencia).
9	»	»	Mons. Karl Bossung (Speyer).
»	»	»	Mons. Alfred Haffner (Speyer).
»	»	»	Mons. Friedrich Schutt (Speyer).
»	»	»	Mons. Ludwig Staufen (Speyer).
»	»	»	Mons. Pirmin Stoltz (Speyer).
11	»	»	Mons. Anselmo Oliva (Legazpi).
14	»	»	Mons. Raffaele Calabro (Otranto).
»	»	»	Mons. Osvaldo Padilla (Cebú).
»	»	»	Mons. Antonio Franco (Télese).
24	»	»	Mons. Michael Ledwith (Feras).
»	»	»	Mons. Sergio Pintor (Oristano).
»	»	»	Mons. Antonio Uras (Oristano).
»	»	»	Mons. Francesco Corrias (Oristano).
»	»	»	Mons. Giovanni Cossu (Oristano).
»	»	y>	Mons. Mario Carrus (Oristano).
»	»	»	Mons. Orazio Ortu (Oristano).
»	»	»	Mons. Italo Schirra (Oristano).
3	ottobre	»	Mons. Stanislaw Dziwisz (Krakow).
9	ottobre	»	Mons. Pranas Vaseris (Telsiai).
12	»	»	Mons. Petro Romanyshyn (Winnipeg degli Ucraini).
19	»	»	Mons. Algimantas Bartkus Telsiai (Allentown).
29	»	»	Mons. Stefan Cichy (Katowice).
»	»	»	Mons. Stanislaw Tkocz (Katowice).
18	dicembre	»	Mons. Vincent Tran Ngoc Thu (Dalat).

Cappellani di Sua Santità:

10	novembre	1984.	Il sac. Jean Anatole (Kamina).
17	»	»	Il sac. Joseph Kung (Taipeh).
»	»	>>	Il sac. Peter Lin (Taipeh).
28	dicembre	»	Il sac. Laureano Vicente Nuin Juango (La Guaira).
»	»	»	Il sac. Francisco Javier Porras San Mames (La Guaira).
15	gennaio	1985.	Il sac. José Parra Sandoval (Cumaná).
»	»	»	Il sac. Manuel Fernández Martínez (Cumaná).
2	marzo	»	Il sac. Adolf Berka (Linz).
»	»	»	Il sac. Josef Janda (Linz).
»	»	»	Il sac. Eudolf Panhofer (Linz).
»	»	»	Il sac. Johannes Kierner (Linz).
»	»	»	Il sac. Josef Thöne (Linz).
7	»	»	Il sac. Erich Redle (Rottenburg-Stuttgart).
18	»	«	Il sac. Patriz Hauser (Rottenburg-Stuttgart).
»	»	»	Il sac. Hermann Weber (Köln).
»	»	»	Il sac. Josef Hoffmann (Köln).
21	»	»	Il sac. Ernst Borchert (München und Freising).
28	»	»	Il sac. Henry Docherty (Motherwell).
2	aprile	»	Il sac. Franco Futile (Calvi).
»	»	»	Il sac. Roberto Mitrano (Calvi).
18	»	»	Il sac. Biagio Bisongo Kanyoka (Kalemie-Kirungu).
22	»	»	Il sac. Arnold Otto (Kalemie-Kirungu).
20	maggio	»	Il sac. Silvester Cuk (Koper).
»	»	»	Il sac. Drago Klemenéié (Koper).
»	»	»	Il sac. Franc Bole (Koper).
»	»	»	Il sac. Bojan Ravbar (Koper).
21	»	»	Il sac. Mark Swaby (Koper).
5	giugno	»	Il sac. Josef Schiker (Bamberg).
18	»	»	Il sac. Giuseppe Buttiglione (Castellaneta).
21	»	»	Il sac. Patrick Osayamen Usenbor (Benin City).
»	»	»	Il sac. Stephen Okotete (Benin City).
»	»	»	Il sac. Thomas Oleghe (Benin City).
»	»	»	Il sac. Joseph Perkins Ogienini Omesa (Benin City).
24	»	»	Il sac. Jacques Masson (Meaux).
26	»	»	Il sac. Antonio T. dei Rosario (San Fernando).
»	»	»	Il sac. Antonio M. Bustos (San Fernando).
2	luglio	»	Il sac. Antonino Orlando (Monreale).
»	»	»	Il sac. Giuseppe Cannaliato (Monreale).
»	»	»	Il sac. Vincenzo Ferrante (Monreale).
»	»	»	Il sac. Girolamo Liggio (Monreale).
»	»	»	Il sac. Filippo Giambanco (Monreale).
»	»	»	Il sac. Antonino Cusumano (Monreale).
»	»	»	Il sac. Giuseppe Blanda (Monreale).
8	»	»	Il sac. Giuseppe Covelli (Crotone).
4	settembre	»	Il sac. Diarmuid Martin (Dublin).
»	»	»	Il sac. Anthony La Femina (Saint-Jérôme).
9	»	»	Il sac. Camillus Archibong Etokudoh (Ikot Ekpene).

9	settembre	1985.	II	sac. Ludwig Braunberger (Speyer).
»		»	II	sac. Georg Lindemann (Speyer).
»	»	»	II	sac. Erich Bamstetter (Speyer).
»	»	»	II	sac. Heinz Römer (Speyer).
»	»	»	II	sac. Ernst August Roth (Speyer).
»	»	»	II	sac. Wolfgang Simon (Speyer).
»	»	»	II	sac. Erich Wolf er (Speyer).
11	»	»	II	sac. Timothy Moran (Boston).
	»	»	II	sac. Francesco Oeriotti (Milano).
»	»	»	II	sac. Franco Costa (Padova).
»	»	»	II	sac. Michelangelo Giannotti (Lucca).
»	»	»	II	sac. Cesare Nosiglia (Acqui).
»		»	II	sac. Giambattista Targhetti (Brescia).
14	»	»	II	sac. Gilbert Ngindu Kalumbu (Kananga).
»	»		II	sac. Celestino Migliore (Cuneo).
18	»	»	II	sac. Alvaro Ramírez García (Cartagena).
24		»	II	sac. Giuseppe Pirisi (Oristano).
»	»	»	II	sac. Giovanni Marceddu (Oristano).
»	»		U	sac. Nicolò Deriu (Oristano).
			II	sac. Dominador D. Dagondon (Zamboanga).
»	»	»	II	sac. Engracio S. Rivera (Zamboanga).
		»	II	sac. Peter Garces (Zamboanga).
			II	sac. Salvatore Rausa (Otranto).
»	»	»	II	sac. Franco Pedio (Otranto).
»	»		II	sac. Beniamino Guida (Otranto).
»			II	sac. Antonio Giannuzzi (Otranto).
	»		II	sac. Pasquale Giannuzzi (Otranto).
7	ottobre		II	sac. Eugenio Magarò (Cosenza).
	»	»	II	sac. Gabriele Billotti (Cosenza).
		»	II	sac. Wladislaus Kierzek (Gniezno).
	»		II	sac. Heliodorus Grabias (Gniezno).
»	»		II	sac. Wieslaus Kreisner (Gniezno).
»	»	»	II	sac. Eugenius Nowak (Gniezno).
»	»	»	II	sac. Joannes Katny (Gniezno).
	»	»	II	sac. Thaddeus Kujawski (Gniezno).
10	»	»	II	sac. Lorenzo Cozzarin (Concordia-Pordenone).
»	»	»	II	sac. Luciano Padovese (Concordia-Pordenone).
»	»	»	II	sac. Carlos Bravo Gonzaga (Guayaquil).
»	»	»	II	sac. Carlos Cuadrado Gavilanez (Guayaquil).
	»	»	II	sac. Juan Moriarty (Guayaquil).
»	»		II	sac. José Heissenberger (Guayaquil).
12			II	sac. Francisco Prados (San Felipe).
»	»	»	II	sac. Francisco Hyos (San Felipe).
»	»	»	II	sac. Angel Abad Bustamante (San Felipe).
»	»	»	II	sac. Yaroslaw Rudachek (Winnipeg degli Ucraini).
»	»	»	II	sac. Mychaylo Buychok (Winnipeg).
13	»	»	II	sac. Clemente Caria (Oristano).
23	»	»	II	sac. Vincenzo Sauto (Piazza Armerina).
18	novembre		II	sac. Francesco Magni (Siena).

23 novembre 1985. Il sac. Gottfried Amberg (Köln).
19 » » Il sac. Francesco Massara (Nicastro).
» » » Il sac. Pietro Bonacci (Nicastro).
27 » » Il sac. Marek Starowieyski (Warszawa).
30 » » Il sac. Francesco Teani (Lucca).
4 dicembre » Il sac. Mario Assogna (Boma).
11 » » Il sac. Zigfrids Naglis (Riga).
» » » Il sac. Olgerts Daleckis (Riga).
» » » Il sac. Vihelms Nukss (Riga).

Gentiluomini di Sua Santità:

17 ottobre 1985. Il Sig. Paolo Dodero (Genova).
» » » Il Sig. Jeffrey Lyman Dewitt King (Ottawa).
» » » Il Sig. Pier Giuseppe Magnani (Roma).
» » » Il Sig. Marcello Pellegrini (Roma).
» » » Il Sig. Enrico Venanzi (Roma).
» » » Il Sig. Emilio Acerna (Roma).

NECROLOGIO

5 dicembre 1985. Mons. John Peter Leonard, Arcivescovo emerito di Madurai *(India).*
8 » » Card. Ermenegildo Florit, del Titolo di Regina Apostolorum.
Anno autem 1806 Marcus Antonius munus abdicavit et, dum Venetiis baccanalia furerent, ecclesiasticam vestem induit; tunc scholae insperato auctu creverunt et opera amplificari ulterius coepit.

Anno 1808 primum officinam typographicam inchoaverunt pro iuvenibus illis qui ne studiis vacarent impediebantur; deinde hospitium et scholam caritatis pro puellis pauperibus et derelictis aperuerunt, ut eas in bonos mores formarent et a periculis removerent.

Igitur incremento operae considerato, ambo simul, iam ab anno 1812, cogitaverunt quomodo in posterum consulerent; attamen solum anno 1820, post obtentum assensum Francisci I imperatoris Austriae et Francisci Mariae Milesi Venetiarum Patriarchae, fundamenta Congregationis Scholarum Caritatis iacere potuerunt. Cumque Antonius Angelus in egenam et humilem domunculam demigrass'et, Marcus Antonius domi remansit ut matris octogenariae curam filiali pietate ageret; numquam autem ei socius esse desivit, et mortua matre (a. 1832) ipse quoque palatium reliquit ut denique Congregationis particeps fieret.

Operam igitur fratre regente, Servus Dei saepe domo egrediebatur, modo eleemosynas quaesiturus, modo ut officiorum sedes adirei vel patrocinia postularet. Ipse relationes et supplicia libella iis

qui reipublicae praeerant, scribebat et porrigebat; ipse, fratris consensu, itinera et peregrinationes ingrediebatur, hoc unum fere spectans, ut necessitatibus operae provideret. Septies Mediolanum petiit, ter Vindobonam in Austria, semel Mutinam, Romam, Augustam Taurinorum ; ut praetereantur plurima itinera intra Venetorum fines.

Anno 1835 Romae plures menses commoratus, Congregationis adprobationem pontificiam obtinuit; insequentibus autem annis impetravit ut reipublicae moderatores scholas ratas facerent, et studium philosophicum ac theologicum clericorum Congregationis confirmarent.

Quoad vixit rebus adversis, laboribus, iacturis nec victus est nec umquam fractus. Ubique cum peritia et prudentia, invicta cum perseverantia et singulari fiducia orationis se gessit, pro certo habens suas partes quavis ratione sibi esse explendas, simulque Deum precandum ut laboribus propitius esset. Omnis quidem peregrinatio animi divitias aperiendi occasionem Servo Dei dabat, praesertim epistulis ad fratrem et sodales. Cum diuturnas defatigationes aggrederetur ut implicatas quaestiones expediret vel eleemosynas quaeritaret aliquando ad fratrem scripsit : ((Hanc legem mihi statui, tu probe scis, adversis obniti donec felicem exitum habeam)). Semper autem tota fiducia ((in manus adorabilis Providentiae » sese tradebat, sive in secundis sive in adversis rebus; et precationes etiam atque etiam flagitabat. Quam saepe verba his similia scripsit : « Omnia nobis a bonis manibus proveniunt, quae infinita quidem bonitate et sapientia iucunda cum acerbis tempérant ». Et alias : « Quid est cur contristemur, si cor nostrum vere Deo innititur? ». Vel etiam : « Cum de operis ad Dei gloriam agitur et plures ac férvidas preces adhibemus, in maximis quoque difficultatibus semper bene sperandum ».

Cum laborum et difficultatum onere premeretur, gaudium amore Dei patiendi renovabat : « Quanto maior est aegritudo, tanto maius est solacium quod quietus experior; video enim Dominum mihi occasionem dare amore suo aliquantulum patiendi » ; vel S. Pauli verba usurpabat : « Patior, sed non confundor ».

Quod si tot eius labores infelicem exitum habebant, dicere solebat : « Sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum » ; vel etiam : « Tot precationes usque adhuc peractae, irritae esse nequeunt : ideo securus quiesco in sinu divinae et benevolae Providentiae ». Et iam senex : « Penitus fiat voluntas Dei a quo toto corde flagito : hic ure, hic seca, hic nihil parcas ut in aeternum parcas ».

Absque eius opera haud facile institutum tot tantisque difiicul-

tatibus superiuisset; tamen is perpetuo se ineptum patronum et peccatorem profitebatur; quantoque difficiliores et magni momenti res tractandae erant, eo magis se abiciebat atque instabat ut orationibus sustentantur : ((Nunc ergo orate et obsécrate ; secus, qui maius et miser sum, mihi credite, omnia pessumdo ». Et alias : « Mihi, quaeso, succurrite, ne tantum inceptum perdam, in quo nonnisi propter peccata mea et meam indignitatem est formidandum ».

Usque ad extremam senectutem, donec eius vires suffecerunt, labori non pepercit. Brevi morbo correptus, die 11 Octobris vita functus est, anno 1853. In eius exequiis pietas triumphavit et gratiarum actio : nam omnes pro certo habebant eum vere esse sanctum.

Cuius fama sanctitatis permota Congregatio Scholarum Caritatis per suum praepositum P. Sebastianum Casàra die 20 Ianuarii anno 1861 a Venetiarum Patriarcha Angelo Ramazzotti postulavit ut testimonia ordine colligerentur.

Sed ob rationes Causae omnino extrínsecas, Processus Ordinarius Informativus inceptus est tantum anno 1919 et confectus anno 1925, cuius acta Romam, ad Sacram tunc Rituum Congregationem missa sunt. Cum autem Causa scriptis documentis potissimum esset innixa et testibus de auditu, ipsa commissa est Sectioni Historicae eiusdem Congregationis. Atvero opus colligendi documenta omne genus et ad criticae normas perpendendi diutius perduravit, donec Ofiicium Historicum-Hagiographicum novae interea institutae Congregationis pro Causis Sanctorum amplissimam *Positionem* super Causae Introductione et super virtutibus Servorum Dei Antonii Angeli et Marci Antonii Cavanis concinnavit. Quam positionem Consultores historici in coetu diei 27 Februarii a. 1980 laudaverunt. Introducta est deinde Causa utriusque germani fratris Cavanis, probante Ioanne Paulo II, die 4 Decembris eodem exeunte anno. Et edito, die 21 Maii a. 1982, Decreto super cultu liturgico numquam praestito, quaestio instituta est apud Congregationem pro Causis Sanctorum super virtutibus in specie praedicti Servi Dei : et quidem primum, die 21 Martii anno 1985, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Promotore Fidei ; et postea, die 1 Octobris eodem anno, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Ponente Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Porro, utroque in Coetu suffragia fuere affirmativa, videlicet Servum Dei Marcum Antonium Cavanis virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum coluisse.

De hisce omnibus peractis certior est factus Summus Pontifex Ioannes Paulus II per subscriptum Cardinalem Praefectum; et Sanc^ titas Sua vota Congregationis pro Causas Sanctorum rata habens, mandavit ut super heroicis eiusdem Servi Dei virtutibus Decretum appararetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus fide, spe et caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia et fortitudine iisque adnexis Servi Dei Marci Antonii Cavanis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 16 Novembris A. D. 1985.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. ffi S.

ffi Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

VENETIARUM

Canonizationis Servi Dei Antonii Angeli Cavanis, Sacerdotis, Fundatoris una cum germano fratre Marco Antonio Congregationis Scholarum Caritatis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Superiore saeculo plurium fidelium vita et virtutibus Deus Ecclesiam suam decorare voluit; inter quos duo humiles et fortes fratres eminent, Servi Dei Antonius Angelus et Marcus Antonius Comites De Cavanis, sacerdotes atque fundatores Congregationis Scholarum

Caritatis. Yenetiis orti et conversati ab exeunte saeculo xvui ad dimidium saeculum xix et amplius, virtutibus insignibus et ardentissimo erga pueros studio eluxerunt.

Quamvis natura inter se differrent, uno atque laeto animo se suaque omnia in bonum iuventutis ut consumèrent sibi proposuerunt. Caritatis enim vi compulsi omnes familiares opes necnon honorificum atque optabile curriculum reliquerunt, seque pauperes effecerunt, ut iuvenes amore Christi ditarent et societati optimos cives fingerent. Qua re pro iuvenibus, educatione et institutione fraudatis — ut ipsi asserere consueverant — scholas caritatis Venetiis inierunt, omni lucro et commodo libenter renuntiantes, et profitentes se erga eos parentum officia exercere velle.

Ita manifeste significarunt se, iam suis temporibus, perspexisse quod Sacrosanctum Concilium Vaticanum Secundum docet, nempe : ((Omnibus hominibus cuiusvis stirpis, condicionis et aetatis utpote dignitate personae pollentibus, ius est inalienabile ad educationem, proprio fini respondentem, propriae indoli, sexus differentiae, culturae patriisque traditionibus accommodatam...»; et praeterea declarat : ((Pueris ac adolescentibus ius esse ut in valoribus moralibus recta conscientia aestimandis et adhaesione personali amplectendis necnon in Deo perfectius cognoscendo et diligendo instimulentur » *(Gravissimum Educationis,* 1).

Ipsi igitur « adiuventur oportet ad dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvendas, ad gradatim acquirendum perfectiorem sensum responsabilitatis, in propria vita continuo nisu recte excolenda et in vera libertate prosequenda, obstaculis magno et constanti animo superatis » *(ib.).*

Ex quo manifeste consequitur quod idem Concilium asserit: « Pulchra igitur et gravis quidem ponderis est vocatio illorum omnium qui parentes in eorumdem officio implendo iuvantes, et communitatis humanae vices gerentes, munus educandi in scholis suscipiunt » *(ib.,* 5). Est enim «horum magistrorum ministerium veri nominis apostolatum » *(ib.,* 8).

Nec minoris ponderis existimandae sunt ipsorum fratrum fortitudo et constantia in defendenda scholarum suarum libertate a republica eas sibi vindicante, et suis educandi rationibus, secundum quas eae essent : « Scholae caritatis praecipue, at non solum pro pauperibus institutae sunt ; alii multi enim educatione christiana quam maxime egent ».

Est insuper alia fratrum Cavanis nota maxime propria, in lucem proferenda, videlicet unanimitatis exempla, in quibus egregie mente et opera necnon labore concordes fuerunt. In hac propositorum consensione et convenientia uterque merita sua humilitate occultavit, ita quidem ut ex animi sententia dicere posset : « Omnia frater meus fecit ».

Servus Dei Antonius Angelus Maria Venetiis anno 1772 die 16 Ianuarii natus est ex Ioanne Comite De Cavanis et nobili muliere Christina Pasqualigo Basadonna, et die 22 baptizatus est. A pientissimis parentibus una cum fratre christiano et institutorio sensu educatus, summa veneratione et oboedientia eos prosecutus est. Pueritiam et adolescentiam pie transegit studiis vacans, magistro P. Ioachim Calderari, O. P. Duodeviginti annos natus officia publica adiit. Attamen demortuo patre die 23 Novembris anno 1793, licentiam deponendi munus a matre impetravit, sicut iamdiu vehementer optabat, ut totum se Deo dederet; et anno 1795 sacerdos ordinatus est. Qua tempestate hoc sibi proposuit : « Solummodo Deus divitiae meae atque bonum meum sit et nunc et in aeternum ».

Post collapsam Venetiarum rempublicam (anno 1797), adhortante fratre, nonnullos pueros domi gratis edocere coepit; atque ita suam vocationem cognovit ad iuventutem educandam et instituendam.

Anno vero 1802 postridie calendas Maii, una cum eodem fratre Marco Antonio in sua S. Agnetis paroecia Congregationem Marianam instituit, quae brevi tempore mire percrebuit.

Hoc initium multorum operum fuit, ex apostolico studio manantium, quae utriusque vires distinuerunt. Anno 1804 scholam caritatis pro pueris praesertim pauperibus inchoarunt, ut eos ab otio, vitiis atque ignorantia arcerent.

Anno vero 1808 officinam typographicam pro iuvenibus illis qui ne studiis vacarent impediebantur, instruxerunt.

Eodem anno hospitium et scholas caritatis pro puellis pauperibus et derelictis aperuerunt, ut eas in bonos mores formarent et a periculis removerent.

At exeunte anno 1809, Servus Dei nosocomium, quod insanabilium dicebatur, frequentans ad confessiones infirmorum audiendas, in gravissimum convulsionum morbum incidit, eoque, quoad vixit, excruciatus est. Adhuc convalescens libros ad iuventutem erudiendam conscribere coepit et, fratre adiuvante, seriem plurium voluminum gradatim edidit.

Extremo anno 1810 pro iuvenibus natu maioribus octavo quoque die acroases de re morali incepit, quibus viri adulti et etiam sacerdotes brevi tempore interfuerunt.

Cum igitur ipse et frater operae considerarent incrementum, ambo simul, iam ab anno 1812 cogitaverunt quomodo in posterum consulerent; attamen solum anno 1820, post obtentum Francisci I imperatoris Austriae assensum necnon Francisci Mariae Milesi Venetiarum Patriarchae, fundamenta iacere potuerunt Congregationis Scholarum Caritatis. Quod ut consequeretur die 27 mensis Augusti in festo S. Iosephi Calasanctii, quem iamdiu exemplum et protectorem constituerat, Antonius Angelus palatium reliquit ut in egena et humili domuncula habitaret. Frater autem Marcus Antonius domi remansit, ut matris octogenariae curam ageret ; numquam tamen ei socius esse destitit.

Servus Dei Antonius Angelus in suo munere fideliter adimplendo maxime enituit. Cum etenim susceptum superioris ofiicium per triginta annos exsecutus esset, regiminis lenitate simulque fortitudine, nec non inaestimabili humanitate omnibus admirationi fuit.

Per totam vitam insignis cum Deo coniunctionis exemplum se praebuit. Numquam fracto, semper autem aequo ac tranquillo animo fuit, sive in diuturnis molestiis, quas ob convulsionum morbum patiebatur, sive in crebris rebus adversis, sive cura plurimos annos aere alieno Opera premeretur. Qui eius animus esset in illis rerum temporumque adiunctis, clare - epistulae aperiunt, praesertim ad fratrem et sodales. Tunc enim haec vel similia verba dicere solebat : ((Pro omnibus Deo gratias agamus » ; vel : ((Omnia laeto animo a suavissimis divinae Providentiae manibus accipiamus » ; et insuper : <(Dei Providentiae satis est pecuniae, quae necessitatibus omnibus sufficere potest. Pro certo afirmo me neque perturbato animo, neque parumper maestum esse ». Qua re P. Sebastianus Casara asseverat : ((Ille quidem cum Apostolo Paulo dicere poterat : superabundo gaudio in omni tribulatione ».

Insuper Servus Dei, ex oculis laborans, caecitatem tulit, ad Dei voluntatem omnino se conformans, semperque sanationem recusavit, dicens : « Si hoc labore me afficere Deo placuit, non tollam libenter? Omnia Deo permittamus ».

Anno 1851 in gravem morbum incidit, nec amplius plenam sanitatem recuperavit. Longam infirmitatem atque plenam caecitatem aequo animo usque ad mortem tulit. E vita discessit die 12 Martii anno

1858, magna sanctitatis fama circumdatus. Plurimi enim dictitabant: « Mortuus est vir sanctus : visitemus sanctum ». Et omnibus admirationi fuit fiducia qua pueri eius cadaver circumstabant.

Magnis laudibus in funere elatus est, eiusque naturam et vitam P. Casara his verbis complexus est : « Vita abscondita cum Christo in Deo ».

Sanctitatis autem fama quam Servus Dei post se reliquit in dies percrebuit atque supernis signis a Deo confirmari visa est. Qua fama permota Congregatio Scholarum Caritatis per suum praepositum P. Sebastianum Casàra die 20 Ianuarii anno 1861 a Venetiarum Patriarcha Angelo Ramazzotti postulavit ut testimonia ordine colligerentur.

Sed ob rationes Causae omnino extrínsecas, Processus Ordinarius Informativus inceptus est tantum anno 1919 et confectus anno 1925, cuius acta Romam, ad Sacram tunc Rituum Congregationem missa sunt. Cum autem Causa scriptis documentis potissimum esset innixa et testibus de auditu, ipsa commissa est Sectioni Historicae eiusdem Congregationis. Atvero opus colligendi documenta omne genus et ad criticae normas perpendendi diutius perduravit, donec Ofiicium Historicum-Hagiographicum novae interea institutae Congregationis pro Causis Sanctorum amplissimam *Positionem* super Causae Introductione et super virtutibus Servorum Dei Antonii Angeli et Marci Antonii Cavanis concinnavit. Quam Positionem Consultores historici in coetu diei 27 Februarii a. 1980 laudaverunt. Introducta est deinde Causa utriusque germani fratris Cavanis, probante Ioanne Paulo II, die 4 Decembris eodem exeunte anno. Et edito, die 21 Maii a. 1982, Decreto super cultu liturgico numquam praestito, quaestio instituta est apud Congregationem pro Causis Sanctorum super virtutibus in specie praedicti Servi Dei : et quidem primum, die 21 mensis Martii anno 1985, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Promotore Fidei; et postea, die 1 Octobris eodem anno, in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, Ponente Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi. Porro, utroque in Coetu suffragia fuere affirmativa, videlicet Servum Dei Antonium Angelum Cavanis virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modum coluisse.

De hisce omnibus peractis certior est factus Summus Pontifex Ioannes Paulus II per subscriptum Cardinalem Praefectum; et Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum rata habens,

mandavit ut super heroicis eiusdem Servi Dei virtutibus Decretum appararetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare **de virtutibus** theologalibus fide, spe et caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia **et fortitudine,** iisque adnexis Servi Dei Antonii Angeli Cavanis, **in gradu heroico,** in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 16 Novembris A. D. 1985.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Giovedì, 6 Marzo 1986, il Santo Padre ha ricevuto in Visita Ufficiale S. E. la Signora JEANNE SAUVÉ, Governatore Generale del Canada.

Ha altresì ricevuto :

in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali :

Lunedì, 3 Marzo 1986, S. E. il Signor AFEONSO ARINOS DE MELLO-FRANCO, Ambasciatore del Brasile presso la Santa Sede.

Lunedì, 24 Marzo 1986, S. E. la Signora THERESE STRIGGNER SCOTT, Ambasciatore del Ghana presso la Santa Sede.

in Udienza:

Giovedì, 8 Marzo 1986, S. E. il Signor VERNON WALTERS, Ambasciatore degli Stati Uniti d'America alTO.N.U.

Lunedì, 17 Marzo 1986, la Signora ROSA HELENA DE BETANCOUR, Consorte del Presidente della Repubblica di Colombia.

Martedì, 11 Marzo 1986, nel Palazzo Apostolico Vaticano, il Santo Padre ha presieduto una riunione del Consiglio della Segreteria del Sinodo dei Vescovi.

Mercoledì, 19 Marzo 1986, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Prato, in Italia.

Sabato, 22 Marzo 1986, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è riunita alla presenza del Santo Padre la Congregazione per le Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici Sua Santità Giovanni Paolo II ha nominato :

15 marzo 1986. S. E. mons. Pablo Puente, Arcivescovo tit. di Macri, *Pro-Nunzio apostolico in Senegal e nelle Isole di Capo Verde, nonché Delegato Apostolico nella Mauritania e in Guinea-Bissau.*

20 » » S. E. mons. Bernard Jacqueline, Arcivescovo tit. di Abbir maggiore, *Pro-Nunzio Apostolico in Marocco.*

24 » » L'Ili.mo Signor Avvocato Carlo Tricerri, *Avvocato Concistoriale.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

13 febbraio 1986. L'E.mo Signor Cardinale Silvio Oddi, *Membro del Consiglio per gli Affari Pubblici della Chiesa e della Congregazione per i Vescovi.*

» » » Mons. Giacomo Drago, *Consultore della Congregazione per le Cause dei Santi.*

» » » S. E. mons. Alfons Nossol, Vescovo di Opole, *Membro del Segretariato per i non credenti « in aliud quinquennium ».*

10 ». » S. E. mons. Mark Hurley, *Consultore della Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

24 » » Mons. Milan Siméic, *Capo Ufficio nella Congregazione per il Clero.*

4 marzo » P. Jacques Guillet, S. J., *Membro della Pontificia Commissione Biblica.*

8 » » Mons. Jorge Mejía, Vescovo tit el. di Apollonia, *Vice-Presidente della Pontificia Commissione a Iustitia et Pax».*

» » » Il Sac. Fernando Ocariz, dell'Opus Dei, e O.P. Bonifacio Honings, O.C.D., *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede.*

» » » P. Urbano Navarrete, S. J., *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium ».*

» » » Gli E.mi Signori Cardinali Godfried Danneels e Jozef Tomko; gli Ecc.mi monsignori Egon Kapellari,

Vescovo di Gurk e Mark Hurley, Vescovo di Santa Rosa in California, *Membri del Segretariato per i non credenti.*

10 marzo 1986. Gli E.mi Signori Cardinali Silvio Oddi e Alfons Stickler, *Membri dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*

12 » Mons. Javier Echevarría Rodríguez e P. Gaetano Stano, O.F.M. Conv., *Consultori della Congregazione per le Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

21 » Il sac. prof. Raffaele Farina, S. D. B., *Segretario del Pontificio Comitato di Scienze Storiche, « in aliud quinquennium »,*

» I professori sac. Walter Brandmüller, Konrad Hepgen e Teobaldo Filesi, *Membri del Pontificio Comitato di Scienze Storiche.*

» Gli E.mi Signori Cardinali Simon D. Lourdusamy e Antonio Innocenti, *Membri della Congregazione per le Cause dei Santi.*

» S. E. mons. Ambrogio Marchioni, Arcivescovo tit. di Severiana, *Membro Vescovo soprannumerario della Congregazione per le Cause dei Santi.*

Protonotari Apostolici soprannumerari,

10 dicembre 1984. Mons. Johannes Grieser (Innsbruck).
4 settembre 1985. Mons. Wilhelm Schoenartz (Köln).
12 ottobre » Mons. Kalph Salazar (Legazpi).
23 » » Mons. Tadeusz Federowicz (Lwów dei Latini).
» » » Mons. Wladyslaw Poplatek (Lwów dei Latini).
» » » Mons. Marian Kumala (Lwów dei Latini).
27 novembre » Mons. Yves Marchasson (Paris).
29 » » Mons. Nicola Di Matteo (Teramo).
7 gennaio 1986. Mons. Rodolfo Mari (Arecibo).
13 Mons. Benedetto Marchetta (Agrigento).
18 Mons. Paolo Pollicita (Roma).
27 Mons. Michel J. Barry (Pembroke).
28 Mons. Francesco Chiaurri (Cesena).
31 Mons. Stanislaw Piotrowski (Wloclawek).
18 febbraio Mons. Giacomo Drago (Bergamo).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

21 maggio 1981. Mons. Lawrence Jennings (Bathurst).
18 marzo 1985. Mons. Ramiro Lizcano Mantilla (Bucaramanga).
» » » Mons. Jesús Quirós Crispin (Bucaramanga).
3 aprile » Mons. Hugo Schwendenwein (Gurk).
17 » » Mons. Anton Kolk (Graz-Seckau).

21	maggio	1985.	Mons. Anton Gmachl (Salzburg).
22	»	»	Mons. Hermann Nagele (Innsbruck).
6	luglio	»	Mons. Antonio Macedo Tenllado (México).
15	»	»	Mons. Simon Fang Huei-Cheng (Kiayi).
»	»	»	Mons. Nicholas Miaohuai-Chu (Kiayi).
11	settembre	»	Mons. Eligio Saliu (Iglesias).
18	»	»	Mons. Allen Reynolds (Edmonton).
»	»	»	Mons. Walter Fitzgerald (Edmonton).
»	»	»	Mons. Francis Patsula (Edmonton).
23	»	»	Mons. Jean Désocry (Montréal).
»	»	»	Mons. Jacques Laramée (Montréal).
»	»	»	Mons. Gerard McGlynn (Montréal).
»	»	»	Mons. Norbert Lacoste (Montréal).
»	»	»	Mons. Robert Riendeau (Montréal).
24	»	»	Mons. Baudilius Merino (San Juan de Puerto Rico).
»	»	»	Mons. Victorino Cobeaga (San Juan de Puerto Rico).
»	»	»	Mons. Constantino Baños (Calahorra La Calzada-Logroño).
»	»	»	Mons. Perfectus Pérez Hermida (Lugo).
7	ottobre	»	Mons. Thomas Herbert (Graz-Seckau).
10	»	»	Mons. Adolf Adam (Mainz).
16	»	»	Mons. Johann Emminghaus (Wien).
18	»	»	Mons. Denis Moussavou (Nkayi).
»	»	»	Mons. Alphonse Nsumbu a Matona (Boma).
4	novembre	»	Mons. José Manuel Couce Zchaurren (Barquisimeto).
6	»	»	Mons. Georg Aschemann (Hildesheim).
8	»	»	Mons. Domenico Calcagno (Genova).
14	»	»	Mons. Lino Fumagalli (Porto e Santa Rufina).
»	»	»	Mons. Domenico Toscano (Caserta).
»	»	»	Mons. Pietro Farina (Caserta).
»	»	»	Mons. Mario Vallarelli (Caserta).
»	»	»	Mons. Stanislaw Szwajkosz (Szczecin-Kamien).
16	»	»	Mons. Lino Ricci (Pergola).
19	»	»	Mons. Michel Spelman (Galway).
29	»	»	Mons. Stanislaw Paras (Czestochowa).
»	»	»	Mons. Bronislaw Dombrowicz (Wloclawek).
4	dicembre	»	Mons. Pierre Michaud (Hauterive).
6	»	»	Mons. Oscar Robles Toledano (Santo Domingo).
10	»	»	Mons. Franz Wolper (Sankt Pölten).
»	»	»	Mons. Venceslao E. Margwed (Mbulu).
28	»	»	Möns. Jerpme Tsoang (Kiayi).
»	»	»	Mons. William Joseph (Hamilton).
3	gennaio	1986.	Mons. Reinaldo Del Prette Lissot (Valencia, Venezuela).
4	»	»	Mons. Pierfranco Pastore (Novara).
7	»	»	Mons. Maurice Plano (Aix).
»	»	»	Mons. Buenaventura Ballester Puig (Arecibo).
»	»	»	Mons. Antonio Salvador Romero (Arecibo).
»	»	»	Mons. Ernesto Muñoz Pérez (Arecibo).
14	»	»	Mons. Leonard McCabe (Taichung).

16	gennaio	1986.	Mons. Rodolphe Benzmuller (Metz).
»	»	»	Mons. Maurice Reibel (Metz).
»	»	»	Mons. Jean Spir (Metz).
		»	Mons. Lucien Stenger (Metz).
	»	»	Mons. Alfredo Bastogi (Chiavari).
»	»	»	Mons. Guido De Benedetti (Chiavari).
18		»	Mons. Vittorio Paci (Fermo).
22	»	»	Mons. Joseph Arsene Saint-Pierre (Prince Albert).
»		»	Mons. Giuseppe Raccagni (Rieti).
24	»	»	Mons. Pierre Jarry (Angers).
27	»	»	Mons. Douglas N. Bridge (Pembroke).
»		»	Mons. Francis Adrian Flynn (Pembroke).
	»	»	Mons. John Francis Harrington (Pembroke).
	»	»	Mons. Maurice Silvius Gaudreault (Pembroke).
»	»	»	Mons. Ambrose Robert Pick (Pembroke).
29	»	»	Mons. Vito Ciuf oli (Gubbio).
31	»	»	Mons. Józef Sieradzan (Wloclawek).
»			Mons. Serafín Opalko (Wloclawek).
»	»	»	Mons. John B. Brady (Dublin).
6	febbraio	»	Mons. Gustavo Naranjo (Quito).
18	»		Mons. Nicola Pavoni (Osimo).

Cappellani di Sua Santità:

23	novembre	1984.	Il	sac. Anton Berger (Wien).
»	»	»	II	sac. Johannes Ev. Joss (Wien).
17	aprile	1985.	II	sac. Franz Fink (Graz-Seckau).
»	»	»	II	sac. Richard Bruch (Graz-Seckau).
21	maggio	1985.	II	sac. Alois Nussbaumer (Sankt Pölten).
»	»	»	II	sac. Gerhard Wende (Sankt Pölten).
4	luglio		II	sac. Leopold Kaupeny (Wien).
»	»	»	II	sac. Franz Merschl (Wien).
12		»	II	sac. Lucio da Veiga Coutinho (Goa).
15		»	II	sac. Alberto Mata Oreamuno (San José de Costa Rica).
17	»	»	II	sac. Felix TJ Lin (Mandalay).
18	settembre	»	II	sac. Paul Kopf (Rottenburg-Stuttgart).
4	ottobre	»	II	sac. Domingo Cirilos (Manila).
7	»	»	II	sac. Michele Di Lazzaro (Larino).
10	»	»	II	sac. Klaus Mayer (Mainz).
12		»	II	sac. Ernest Tatarko (Rottenburg-Stuttgart).
18	»	»	II	sac. Antonio Mattalia (Mondovì).
29	»	»	II	sac. Henryk Bolczyk (Katowice).
»	»	»	II	sac. Marian Malcher (Katowice).
»	»	»	II	sac. Franciszek 2¡ebrok (Katowice).
4	novembre	»	II	sac. Arsenio Castells Batanero (Barquisimeto).
8	»	»	II	sac. Caviglione Carlo (Genova).
»	»	»	II	sac. Mario Mazzoni (Genova).
»	»	»	II	sac. Giulio Venturini (Genova).
11	»	»	II	sac. Angelo Revelant (Udine).
»	»	»	II	sac. Jan Górny (Warmia).

14	novembre	1985.	II	sac. Albino Casati (Porto e Santa Rufina).
	»	»	II	sac. Antonio Pasquariello (Caserta).
	»	»	II	sac. Antonius Chodakowski (Szczecin-Kamien).
25	»	»	II	sac. Nazareno Moneta (Camerino).
»	»	»	II	sac. Gregorio Bello Carranza (Acapulco).
29	»	»	II	sac. Lepold Szweblik (Czestochowa).
»	»	»	II	sac. Franciszek Karol Koseiów (Czestochowa).
	»	»	II	sac. Józef Slomian (Czestochowa).
»	»	»	II	sac. Marian Dumala (Czestochowa).
	»	»	II	sac. Jan Zwiazek (Czestochowa).
»	»	»	II	sac. Domenico Pozzi (Piacenza).
»	»	»	II	sac. Silvio Losini (Piacenza).
»	»	»	II	sac. Riccardo Serena (Piacenza).
			II	sac. Luigi Molinari (Piacenza).
»	»	»	II	sac. Enrico Perazzi (Piacenza).
»			II	sac. Giuseppe Braceschi (Piacenza).
»	»	»	II	sac. Luigi Bottazzi (Piacenza).
»	»	»	II	sac. Luigi Bergamaschi (Piacenza).
4	dicembre	»	II	sac. Augusto Bifaretti (Marsi).
	»	»	II	sac. Michele Marotto (Oristano).
	»	»	II	sac. Salvatore Sanna (Oristano).
»	»	»	II	sac. Francesco Zanda (Oristano).
7	»	»	II	sac. Giuseppe Giordano (Nocera de' Pagani).
10	»	»	II	sac. Giovanni Musolino (Viterbo).
»	»	»	II	sac. Henryk Hallada (Wroclaw).
»	»	»	II	sac. Jan Czaplinski (Wroclaw).
»	»	»	II	sac. Zdzisìaw Ostapiuk (Wroclaw).
	»	»	II	sac. Julian Zralko (Wroclaw).
	»	»	II	sac. Saverio Beinat (Udine).
	»	»	II	sac. Orfeo Domini (Udine).
»	»	»	II	sac. Gelindo Lavaroni (Udine).
16	»	» ,	II	sac. Eugenio Angeloni (San Severino Marche).
	»	»	II	sac. Quinto Domizi (San Severino Marche).
	»	»	II	sac. Angiolino Serpicelli (San Severino Marche).
»	»	»	II	sac. Lino Valeri (San Severino Marche).
3	gennaio	1986.	II	sac. Jairo Villamizar Ruiz (Valencia en Venezuela).
»	»	»	II	sac. Diego Rafael Padrón Sánchez (Valencia en Venezuela).
»	»	»	II	sac. William Alberto Guerra Marrero (Valencia en Venezuela).
	»	»	II	sac. José Sotero Valero Ruz (Valencia en Venezuela).
»	»	»	II	sac. Francisco Sanz (Valencia en Venezuela).
11	»	»	II	sac. Valentin Lippert (Wurzburg).
»	»	»	II	sac. Ewalol Brandstetter (Wurzburg).
»	»	»	II	sac. Alois Egger (Augsburg).
»	»	»	II	sac. Konstantin Kohler (Augsburg).
20	»	»	II	sac. Renato Boccardo (Susa).
»			II	sac. Salvatore Pennacchio (Aversa).
22	»	»	II	sac. Ercole La Pietra (Rieti).

27 gennaio 1986. Il sac. Raffaello Martinelli (Bergamo).
» » » Il sac. Robert Lloyd Borne (Pembroke).
28 » » Il sac. Luigi Cavaliere (Udine).
29 » Il sac. Umberto Tavernari (Parma).
» » » Il sac. Pietro Baldelli (Gubbio).
» » Il sac. Agenore Bazzucchi (Gubbio).
» » Il sac. Giuseppe Filippi (Gubbio).
» » Il sac. Carlo Pierini (Gubbio).
31 » » Il sac. Witoldus Bura (Wloclawek).
» » » Il sac. Leonardus Karolewski (Wloclawek).
» » Il sac. Joseph Malkiewicz (Lwów dei Latini).
» » » Il sac. John Audary (Saint Maron of Brooklyn).
6 febbraio » Il sac. Piero Mazzucchelli (Vigevano).
» » » Il sac. Baldassarre Bai (Vigevano).
» » » Il sac. Giglio Savini (Vigevano).
12 » » Il sac. Antonio Mei (Amelia).
20 » » Il sac. Georgius Wolny (Czestochowa).
24 » » Il sac. Enzo Severini (Urbino).
21 marzo » Il sac. Alfonso Badini Confalonieri (Susa).
» » » Il sac. Silvio Gilli (Trento).

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito :

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

18 febbraio 1986. A S. E. l'on. Bettino Crasi *(Italia).*
» » » A S. E. Pon. Arnaldo Forlani *(Italia).*
11 aprile » A S. E. il signor Helder de Mendonça Cunha *(Portogallo).*

La Gran Croce dell'Ordine di san Gregorio Magno:

18 febbraio 1986. A S. E. l'on. Giulio Amato *(Italia).*
9 aprile » Al sig. Rudolph Sallinger (Wien).

NECROLOGIO

7	marzo	1986.	Mons. Emilio de Brigard Ortiz , Arcivescovo tit. di Disti.
13	»	»	Mons. José Vieira Alvernaz, Patriarca emerito delle Indie Orientali e Arcivescovo emerito di Goa e Damao *(India).*
14	»	»	Mons. James V. Casey, Arcivescovo di Denver *(Stati Uniti d'America).*
15	»	»	Card. Miguel Dario Miranda y Gómez, del Titolo di Nostra Signora di Guadalupe a Monte Mario.
»	»	»	Mons. Raymond Etteldorf, Arcivescovo tit. di Tindari.
19	»	»	Mons. Henry L'Heureux, Vescovo emerito di Perpignan *(Francia).*
20	»	»	Mons. John Dougherty, Vescovo tit. di Cotenna.
22	»	»	Mons. Denys Gaith, Arcivescovo di Homs dei Greci Melkiti Cattolici *(Siria).*
31	»	»	Mons. Paulus Rusch, Vescovo emerito di Innsbruck *(Austria).*

An. et vol. LXXVIII 5 Maii 1986 N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città dei Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

FLORENTIAE

Vicariatus Apostolicus Florentiae ad dignitatem dioecesis evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo expeditius quidem pleniusque Evangelii nuntiandi opus inter populum Rei Publicae Columbianae, immo nominatim civili degentem in regione cui appellatio *Caqueta,* prosperam posset, Venerabilis Frater Iosephus Aloisius Serna Alzate Episcopus titulo Cartennitanus ipseque Vicarius Apostolicus Florentiae, cum ea scilicet de re Conferentiam Episcopalem Columbiae rite esset percontatus sententiamque accepisset faventem, intento studio ab hac flagitavit Apostolica Sede ut, latissimis sane eiusdem Vicariatus Apostolici finibus divisis contractisque, nova ibidem excitaretur dioecesis. Nos ipsi proinde, auditis suo tempore tam Consilio pro Publicis Ecclesiae Negotiis quam Congregatione pro Gentium Evangelizatione declaratoque iudicio secundo Venerabilis Fratris Angeli Acerbi, Archiepiscopi titulo Zellensis ac Nuntii Apostolici eandem apud civitatem Columbiae, totam hanc rem et rationem plurimum spiritali illic habitantium Christifidelium commoditati profuturam rati perlibenter preces sic admotas suscipimus propositumque illud iubemus ad effectum, prout singillatim iam con-

tinuo describetur, deduci. Suppleto, quatenus id opus est, eorum consensu omnium quorum interest aut qui sua interesse adserunt, de plenitudine Apostolicae potestatis Nostrae, segregamus a Vicariatu Apostolico Florentiae loca illa quae complectuntur municipia ita vulgari sermone nuncupata: *Florencia, Montañita, Paujil, Belén, Doncello* et *Puerto Rico,* necnon partitiones — <(corregimientos departamentales)) vocatas — sic pariter vulgo nominatas: *Morelia, San José del Fragua, Gurillo, Puerto Milán, Valparaíso* et *Albania,* tum denique etiam regiones sive ita dictas « inspecciones departamentales » quibus nomina haec : *Solita, Maguaré, Puerto Manrique, Santuario, Norcasia-Pará* et *La Unión Peneya.* Quibus universis ex tali modo decerptis locis novam componimus iure dioecesim, in posterum videlicet *Florentiae* appellandam, iisdem locorum finibus terminatam et circumscriptam quibus singillatim memorata modo loca civilesque diciones continebantur adhuc, eamque legitime harum Litterarum virtute constituimus atque condimus. Sedem vero episcopalem sic conditae dioecesis novae in urbe collocamus, vulgo Florencia, ubi templum Deo dicatum in honorem Beatissimae Mariae Virginis celeberrimo titulo invocatae « Nuestra Señora de Lourdes » ad gradum evehimus dignitatemque Ecclesiae Cathedralis cui ipsi eiusque pro tempore Episcopo omnes honores et insignia, privilegia et iura tribuimus quibus ceterae pariter episcopales sedes atque earum Pastores sacris ex canonibus fruuntur; Ordinarium autem Episcopum iisdem oneribus obstringimus et obligationibus quibus ceteri eiusdem gradus et auctoritatis devinciuntur. Volumus praeterea Florentiae dioecesim hanc suffraganeam subiacere metropolitanae Ecclesiae Ibaguensi eiusque Episcopum pro tempore metropolitico iuri subicimus Archiepiscopi Ibaguensis simulque praecipimus ut Pastori ipsi sic effectae communitatis validum proprio in regimine adiutorium concedatur per Collegium Consultorum ad normam iuris quam primum instruendum. Congruae ac dignae sustentationi Praesulis novae huius ecclesiasticae dicionis provideatur e Curiae emolumentis, fidelium stipibus, dote a civili Regimine danda, atque etiam portione ei obtingente ex bonorum divisione ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda quae hucusque pertinuerunt ad Vicariatum Apostolicum Florentiae. De seminarii exstruendi ibi agendique ratione necnon de sacrorum alumnorum institutione adservari iubemus normas iuris communis, ante oculos regulis praesertim constitutis ac normis quas Congregatio pro Institutione Catholica ediderit; selectos vero iuvenes, philosophicis et theologicis disciplinis imbuendos, Romam

ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe mitti. Quod insuper ad novae dioecesis regimen spectat, bonorum ecclesiasticorum curam, Administratoris dioecesani sede vacante electionem aliaque id genus, ad amussim singula servantor ea quae sacri praescribunt canones. Ut primum Florentiae dioecesis peracta erit legitima erectio, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censebuntur in cuius finibus ecclesiasticum detinent ofiicium; ceteri vero sacerdotes, clerici seminariique tirones manebunt incardinati aut rite incardinabuntur illi Ecclesiae in cuius finibus legitimum habent domicilium. Acta insuper et documenta quae erectae dioecesis clericos et fideles et bona temporaria respiciunt de Curia memorati Vicariatus Apostolici in Curiam novae constitutae circumscriptionis ecclesiasticae diligenter transvehentur ibidem quae in tabulario rite condendo condantur. Primum dein Episcopum Ordinarium huius novae dioecesis Florentiae destinamus Venerabilem Fratrem Iosephum Aloisium Serna Alzate, adhuc Episcopum titulo Cartennitanum Vicariumque Apostolicum Florentiae quem ideo omnibus Ecclesiae istius titularis vinculis liberamus. Tandem ad haec Nostra exsequenda consilia nominamus praedictum Venerabilem Fratrem Angelum Acerbi, Archiepiscopum titulo Zellensem necnon Apostolicum Nuntium in Columbia, cui necessarias cunctas et opportunas concedimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere simul iniuncto remittendi ad Congregationem pro Episcopis verum fidemque faciens exemplar actus ipsius peractae exsecutionis. Quae quidem singula mandata vim suam exserere volumus tam nunc quam posthac, quibuslibet rebus causisve minime gentium obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die nono mensis Decembris anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Secret. Status tab. n. 169.848.

II

PUNALURENSIS

In Indica natione nova dioecesis constituitur, nomine « Punalurensis ».

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Verba Christi adoranda : ((Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae . . . » *(Me* 16, 15) tantopere hanc apostolicam Sedem movent matrem omnium Ecclesiarum, ut non solum provideat ut sanctissima Christi religio quam latissime propagetur, verum ut ea omnia apparentur, quae eius propagationem adiuvent ac expédiant: consueverunt enim saepe res magnae parvis in rebus consistere. Qua re, cum venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi consilium ceperint novae dioecesis constituendae in Indica Natione, detractis nempe nonnullis territoriis e circumscriptione Quilonensi, Nos, re mature considerata, bene fieri censuimus, si eorum opinioni accederemus. Quae cum ita sint, iis auditis, quorum interesset, apostolica Nostra potestate quae sequuntur decernimus. Distractos civiles districtus (Taluks) ((Pathanamathitta » et « Pathanapuram » ; item partes civilium districtuum (Taluks) vulgo ((Kottarakare », « Kunnathur », « Mavelikara » et « Chengannur » a dioecesi Quilonensi, in novae dioecesis formam redigimus *Punalurensis* appellandae, a nomine scilicet urbis Punalur. Via igitur principalis (Main Central Road) territorium dioecesis Quilonensis a septemtrione versus meridiem dividens, limes erit in posterum inter duas dioeceses, ut territorium quod in occidentem vergit Quilonensi remaneat, quod vero ad orientem, novam dioecesim Punalurensem constituat. Novae Ecclesiae sedem in urbe Punalur poni volumus, cuius in principi templo cathedram episcopalem collocari. Eadem praeterea suffraganea erit metropolitanae Sedi Verapolitanae. Statuimus insuper ut Episcopus, cui continget gubernanda, pro Canonicis Consultores dioecesanos eligat, in suum ipsius auxilium atque consilium. Ceterum Venerabilis Frater Augustinus Cacciavillan, Archiepiscopus titulo Amiterninus, idemque in India Pro-Nuntius Apostolicus, haec omnia ad effectum deducet atque documenta exarabit, quorum exemplar fide dignum ad Congregationem

pro Gentium Evangelizatione cito mittet rite subscriptum. Poterit etiam si visum, alium virum legare, modo in ecclesiastica dignitate constitutum. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die una et vicesima mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco $B Plumbi
In Secret. Status tab., n. 169.207.

III

TARMENSIS

Praelatura Tarmensis evehitur ad dignitatem dioecesis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum satis superque constet Apostolicam Sedem id fovere consuevisse, quod et particularibus Ecclesiis utilitati esse videatur, nunc putamus Praelaturae Tarmensis opportunam specialemque rationem ducendam iam esse. Cum enim Apostolicis Litteris ((Ecclesiae navem ...» die XV mensis Maii condita sit anno MCMLIX, nonnulla ibi recentioribus annis conspiciuntur signa, quae certum eius incrementum testantur, non solum ob frequentiores fideles sed ob varia etiam opera tum religioni tum Civitati utilia. Quae cum ita sint, Conferentia Episcopalis Peruviana petiit a Sancta hac Sede ut Praelatura, quam diximus, ad dignitatem dioecesis eveheretur, eidem rei assentiente Venerabili Fratre Mario Tagliaferri, Archiepiscopo titulo Formiano, nuper in Peruviana Republica Nuntio Apostolico. Propterea, admissis precibus Nobis adhibitis eorumque suppleto consensu quorum interest vel interesse coniectare licet, ex summa potestate Nostra Apostolica

harumque Litterarum virtute memoratam Praelaturam evehimus ad gradum dioecesis haud mutato tamen nomine seu *Tarmensis* appellandae iisdemque finibus definitae quibus eadem Praelatura ad hunc usque diem continebatur. Simul statuimus ut novae dioecesis sedes in urbe collocetur, cui nomen est « Tarma » ; cuius templum Deo in honorem S. Annae matris Beatae Mariae Virginis dicatum evehimus ad dignitatem Ecclesiae Cathedralis, dum ei et insignia et privilegia tribuimus singulorum id genus templorum propria, Tarmensi pro tempore Episcopo iuribus factis officiisque impositis, quae ad reliquos pertinent Episcopos dioecesanos. Tarmensem autem dioecesim suffraganeam constituimus Ecclesiae Huancayensi, cuius proinde Archiepiscopi Metropolitae iuri Episcopum Tarmensem subicimus, hortantes etiam ut et Collegium Consultorum aut renovetur aut primum instituatur, qui novo Episcopo dioecesano praesenti sit adiumento. Quod congruentia respicit alimenta episcopalis mensae Tarmensis, et constare debent in Curiae emolumentis fideliumque in stipibus necnon in bonis temporalibus, quae utcumque ad ipsam Mensam Praelaticiam novae dioecesi cognominem pertinebant. Quae vero sacri canones statuerunt de dioecesis regimine, de bonorum ecclesiasticorum gestione, de Administratore dioecesano Sede vacante eligendo deque aliis id genus curandis, ea adamussim ibi serventur. In iisque praeterea, quae spectant tum Seminarii dioecesani aedificationem tum sacrorum alumnorum institutionem aut formationem, praescripta iuris communis recte retineantur, ratione etiam habita normarum a Congregatione pro Institutione Catholica editarum. Item consulatur ut selecti sacrorum alumni philosophicis aut theologicis disciplinis instruendi, ipsique sacerdotes quibus altiora fuerint studia complenda, ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur in Urbe situm. Deinde clerus saecularis, antehac Praelaturae adscriptus, posthac dioecesi Tarmensi addictus censeatur, cuius dioecesanus Episcopus erit Venerabilis Frater Laurentius Unfried, hactenus ibidem Episcopus Praelatus. Ad effectum autem ea, quae hic statuimus, ab ecclesiastico viro adducantur, qui negotia Apostolicae Sedis in Republica Peruviana hoc tempore curat, quem Ipsi proinde debitis instruimus facultatibus, una cum libertate id delegandi ad alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, officio addito cavendi ut certum verumque actae exsecutionis litterarum exemplum Congregationi pro Episcopis mittatur. Apostolicas denique has Litteras, ut nunc, sic et posthac ratas esse volumus, suamque exercere vim, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 169.295.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Templum Sancti Iacobi Apostoli in urbe « Algemesi » archidioecesis Valentinae titulo ac dignitate Basilicae Minoris exornatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae antiquitate et religione praestant templa, ea Apostolica Sedes translaticio solet more peculiaribus honoribus honestare. In eorum numero re vera sacra Sancti Iacobi Apostoli aedes in urbe Algemesi quae appellatur, archidioecesis Valentiae, est adscribenda. Ista enim urbs inde iam a saeculo xin Hispaniae christiana repetit primordia, cum a potestate infidelium in libertatem sit vindicata atque cum Valentiae regno coniuncta. Hic haud multis post annis aedes Sancti Iacobi dicata, excitata esse perhibetur, in qua perantiqua Beatissimae Virginis Mariae imago Salutis asservabatur. Saeculo deinceps xv, eo structurae genere quod Gothicum vocant,templum iterum inaedificatum est praeclarius, quod post nonnullos annos rursus est novatum. Ibique permultae sanctorum reliquiae necnon sanctae Crucis sunt collectae atque ad hanc usque aetatem asservantur. His rationibus perspectis, confisus id privilegium magnae exinde populo christiano utilitati fore, Venerabilis Frater Michael Roca Cabanellas, cleri atque Christifidelium assequens vota, consilium cepit, ab Apostolica Sede ut templum hoc ad Basilicae Minoris dignitatem eveheretur esse petendum. Quibus precibus libenter indulgentes,

iis probatis quae Congregatio pro Cultu Divino de bac re sensit consiliis deque Apostolica Nostra potestate, per has Litteras, templum sub titulo Sancti Iacobi Apostoli ut in numero Basilicae Minoris habeatur statuimus, omnibus iuribus ac privilegiis concessis quae ad omnes hoc nomine sacras exornatas aedes spectant. Mandamus praeterea ut sedulo retineantur quae sunt servanda iuxta decretum « De titulo Basilicae Minoris », die vi mensis Iunii, anno MCMLXVIII, pervulgatam. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvi mensis Ianuarii anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

***hoco* £ß Sigilli**
In Secret. Status tab.,* n. *166.496.

II

Statua B. M. V. de Fatima, quae Stettin! in paroeciali asservatur templo Immaculato Cordi Mariae dedicato, pretioso diademate redimitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum in Ecclesia Sedinensi-Carni - nensi recens condita nullum adhuc ex sententia Sanctae Sedis sit simulacrum aliqua corona redimitum, idcirco venerabilis Frater Casimirus Majdanski, illius dioecesis pastor, sua suique cleri ac populi vota expromens, petiit ut auctoritate Nostra sibi liceat diadema imagini B. M. V. de Fatima imponere, quae Stettini in paroeciali Immaculati Cordis Mariae templo religiose asservatur amanterque a fidelibus excolitur. Quare Nos, qui vehementer cupimus ut B. M. V. cultus ubique inter fideles maxime excitetur assidueque alatur, cum preces Nobis adhibitae audiendae quidem videantur, harum Litterarum virtute memorato Episcopo Sedinensi-Caminensi potestatem libenter facimus ut idem Beatae Mariae Virginis de Fatima simulacrum, quod diximus, Nostro nomine et auctoritate ipse pretiosa circumdet corona, servatis de ritu ac formula praescriptis. Contrariis quibuslibet haud obstantibus. Has Apostolicas Litteras Nostras hodie ad perpetuam rei memoriam expediri voluimus, in Deum pergrati omnipotentem, qui

Mariam dedit fidelibus matrem, ab eoque enixe petentes ut, ipsa intercedente, omnibus salutem concedat et pacem.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xvn mensis Ianuarii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 166.859.

ALLOCUTIONES

I

XX anno elapso a promulgatione declarationis « Nostra aetate » ad eos qui mutuas relationes fovent inter Catholicos et Iudaeos, coram admissos habita.*

Dear Friends,

Twenty years to the day after the promulgation of the Déclaration *Nostra Aetate* by the Second Vatican Council, you have chosen Rome as the venue of the twelfth session of the International Liaison Committee between the Catholic Church, represented by the Holy See's Commission for Religious Relations with Judaism, and the International Jewish Committee on Interreligious Consultations.

Ten years ago, in January 1975, you also met in Rome, for the tenth anniversary of the promulgation of the same document. The Déclaration, in effect, in its fourth section, deals with the relations between the Catholic Church and the Jewish religious community. It has been repeatedly said that the content of this section, while not too long nor unduly complicated, was epoch-making, and that it changed the existing relationship between the Church and the Jewish people, and opened quite a new era in this relationship.

I am happy to af&rm here, twenty years later, that the fruits we have reaped since then, and your Committee is one of them, prove the basic truth of these assertions. The Catholic Church is always prepared, with the help of God's grace, to revise and renew whatever in her attitudes and ways of expression happens to conform less with her own

*** Die 28 m. Octobris a. 1985.**

stata rivelata una vita, una vita nuova, una vita divina, una vita eterna. Noi siamo itineranti di questa vita. Non sarebbe possibile per noi essere itineranti di questa vita, della vita eterna, se la stessa vita non ci fosse stata data prima. Noi abbiamo già questa vita e questa vita ci spinge, questa vita ci viene da Gesù Cristo, questa vita ci viene tramite Gesù Cristo dallo Spirito Santo. Lui è sorgente della vita divina nelle creature, è sorgente della vita divina in noi uomini. È lui che ci spinge. Ci spinge Gesù Cristo itinerante, itinerante del Padre, perché è il Padre che lo ha inviato e che lo ha fatto itinerante tra noi.

Ci spinge, dunque, Gesù Cristo itinerante, inviato, missionario, perché Verbo di Dio nella missione, « missiones divinarum personarum » — così ho imparato da San Tommaso. « Missio » vuol dire « essere mandati » e perciò essere itineranti. Cristo ci spinge nello Spirito Santo, perché anche lo Spirito è inviato, inviato in modo diverso, non come Cristo, non in forma visibile, umana incarnata, uno Spirito Santo non incarnato, ma inviato. La sua missione si può dire ancora più penetrante, perché scende su ciò che è più intimo nell'uomo, in ogni creatura. Come diceva Sant'Agostino <(Intimior intimo meo ». Ecco la missione della Spirito Santo, dello Spirito inviato. E voi vi fate itineranti con la forza di quel Figlio incarnato, che ci ha dato esempio della missione visibile. E voi vi fate itineranti con la forza dello Spirito Santo della missione invisibile. Grazie alla missione del Figlio e dello Spirito Santo, avendo quella vita che tramite loro viene dal Padre, voi divenite itineranti. Come dice S. Paolo, la missione ci spinge : guai a me se non evangelizzassi.

Vi auguro questo gaudio che è proprio delle feste natalizie, vi auguro il gaudio dei pastori itineranti che hanno trovato la via verso Betlemme. Vi auguro il gaudio che viene da coloro che si convertono. Tra voi ci sono molti convertiti che hanno ritrovato Cristo, hanno ritrovato Dio venendo molte volte dalla sponda contraria. Vi auguro ancora il gaudio che viene dalla conversione delle persone, delle anime. Come ci ha detto Cristo, vi è gioia più grande in cielo per un peccatore che si converte che non per novantanove giusti. Vi auguro questo gaudio e che così sia ricompensata la vostra itineranza e il vostro cammino neocatecumenale.

Di nuovo vi auguro ((Buon Natale ». Lo dico in italiano per facilità, ma lo si dovrebbe dire in tante lingue. Voglio estendere questo augurio di Buon Natale a tutte le comunità, a tutti i popoli dai quali provenite, ai vostri parrocchiani, ai vostri confratelli, alle vostre famiglie.

Sia lodato Gesù Cristo.

NUNTIUS SCRIPTO DATUS

Praesidibus conferentiarum Episcoporum Europae missus.

Venerati Fratelli nell'episcopato,

1. « Grazia a voi e pace da Dio Padre Nostro e dal Signore Gesù Cristo)).* Ho ancora vivo nell'animo il gioioso ricordo dell'incontro dell'11 ottobre scorso con i partecipanti al VI Simposio del Consiglio delle Conferenze Episcopali d'Europa (CCEE), ed è sotto l'impressione di quella forte esperienza di comunione ecclesiale che mi rivolgo a voi con questa lettera, quasi per proseguire il discorso allora avviato. Le analisi, le valutazioni e le indicazioni operative, proposte in tale circostanza, hanno consentito a ciascuno di prendere più profonda coscienza dell'urgenza con cui si impone oggi il compito di evangelizzare o, meglio, di ri-evangelizzare il vecchio Continente.

L'Europa ha una particolare importanza per la storia della Chiesa e per il progressivo espandersi, a cominciare dai tempi apostolici, del messaggio evangelico nel mondo. Le difficoltà in cui oggi si dibatte il vecchio Continente devono indurre i cristiani a raccogliere le loro forze, riscoprendo le loro origini e ravvivando quei valori autentici che ne cementarono l'unità spirituale ed alimentarono la fiamma fulgidissima di una civiltà a cui hanno attinto tante altre nazioni della terra.

2. La civiltà cristiana dell'Europa affonda le sue radici in due tradizioni venerande, che sono venute sviluppandosi attraverso un processo plurisecolare con caratteristiche distinte eppur complementari : la tradizione latina e quella orientale, aventi ciascuna proprie peculiarità teologiche, liturgiche, ascetiche, nelle quali tuttavia si riverbera l'inesauribile ricchezza dell'unica Verità rivelata. Unica è, infatti, l'anima ispiratrice, unica la scaturigine primordiale, unica la meta ultima.

Se nel corso dei secoli è intervenuta purtroppo la dolorosa frattura tra Oriente ed Occidente, di cui soffre ancor oggi la Chiesa, con urgenza tutta particolare s'impone il dovere di ricostruire l'unità, affinché la bellezza della Sposa di Cristo possa rispiend-ere in tutto il suo fulgore. In verità, proprio perché complementari, le due tradizioni sono, da sole, in qualche modo imperfette. È incontrandosi ed armonizzandosi che possono reciprocamente completarsi ed offrire una interpretazione meno inadeguata del « mistero nascosto da secoli e da generazioni, ma ora manifestato ai santi » .[2]

[1] ***1 Cor*** **1, 3.**
[2] ***Col*** **1, 26.**

L'Europa, inoltre, è il continente nel quale si è consumata l'altra grave lacerazione della « tunica inconsutile », che va sotto il nome di « Riforma protestante ». Non è chi non veda quale serio ostacolo costituisca per lo sforzo di evangelizzazione del mondo contemporaneo tale situazione di divisione. Occorre pertanto che ciascuno si adoperi con ogni impegno nella sua causa dell'ecumenismo, affinché con l'apporto di tutti il cammino verso l'unità non solo non si arresti, ma conosca anzi quell'accelerazione a cui sospirano, mossi dallo Spirito, gli animi più ferventi. L'Europa è la « patria » originaria di questa divisioni religiose; all'Europa spetta, dunque, in modo particolare il compito di cercare le vie più adatte per giungere quanto prima a superarle. Tale ricerca, peraltro, sarà tanto più efficace quanto più strettamente coordinata.

3. Un'ulteriore considerazione s'aggiunge a consigliare l'impegno dell'unità. L'Europa, infatti, è anche il Continente delle molte comunità nazionali aventi una propria fisionomia, una propria cultura, una propria lingua. Questo dato storico ha reso in certa misura più difficile la comunicazione tra i diversi popoli ed ha dato anche origine a tensioni sofferte quando non addirittura a scontri violenti. Ma la diversità, se da una parte ostacola la comunicazione, dall'altra la rende ancor più necessaria e feconda. Le molte esperienze, se confrontate e raccordate fra loro, possono arricchirsi a vicenda.

Ciò vale sul piano umano e civile, ma vale ancor più sul piano ecclesiale : qui infatti il patrimonio di valori comuni è ben più vasto e profondo. Il confronto pertanto fra le diverse esperienze, vissute dalle varie Chiese particolari nel loro territorio, può rivelarsi di straordinario aiuto per la nuova evangelizzazione di cui il Continente ha oggi bisogno. Il Concilio Vaticano II con la messe dei suoi insegnamenti, nei quali il perenne messaggio della Rivelazione è proposto in un'ottica più rispondente alla sensibilità dei giorni nostri, costituisce il punto di riferimento più vicino e più autorevole da cui partire per un armonico coordinamento delle iniziative in vista di una evangelizzazione più aggiornata ed efficace.

4. Occorre infatti affrontare le conseguenze degli sforzi che, specialmente negli ultimi secoli, sono stati compiuti, da varie parti e a vari livelli, per sradicare dallo spirito degli europei i convincimenti cristiani e perfino lo stesso sentimento religioso. L'ateismo ha conosciuto nel Continente una diffusione impressionante, soprattutto nelle forme dell'ateismo scientifico e dell'ateismo umanistico, richiamantisi ambedue all'autorità della ragione umana, e, per quanto concerne il

primo, della ragione illuminata dalle scoperte che la scienza va man mano facendo.

Un fenomeno di proporzioni così vaste, che si propone con caratteristiche simili nelle diverse Nazioni del Continente, non sarebbe affrontato in modo adeguato, se le energie di ciascuna Chiesa particolare non fossero coordinate tra di loro in un piano d'azione comune. In questione è qui una nuova evangelizzazione della cultura, nella quale occorre calare nuovamente quei « semi » di cristianesimo che nel passato hanno prodotto una così meravigliosa germinazione di fiori e di frutti.

5. Sono, dunque, molteplici le ragioni che consigliano una più grande unione e collaborazione tra le varie Chiese particolari del Continente. È stato precisamente per la crescente consapevolezza con cui i Pastori hanno avvertito le esigenze imposte dalla nuova situazione che è nato, negli anni immediatamente successivi al Concilio Vaticano II, il *Consiglio delle Conferenze Episcopali d'Europa* con lo scopo di coltivare l'affetto collegiale e di attuare una più stretta comunione e cooperazione tra i membri delle stesse.[3] La manifesta utilità del nuovo organismo ha indotto la Santa Sede ad approvare prontamente la costituzione ed a sostenerne, nel corso degli anni, l'attività.

Questa ha avuto i suoi momenti forti nei *Simposi,* nei quali sono stati via via affrontati temi di grande importanza, quali : « Le strutture diocesane post-conciliari » (1967), « Il servizio e la vita dei sacerdoti » (1969), « La missione del Vescovo al servizio della fede » (1975), «Gioventù e fede» (1979), «La responsabilità collegiale dei Vescovi e delle Conferenze Episcopali nell'evangelizzazione del Continente (1982), « Secolarizzazione ed evangelizzazione oggi in Europa» (1985). Una particolare attenzione è stata pure dedicata alla collaborazione ecumenica sia mediante la costituzione di un Comitato misto con la Conferenza delle Chiese Europee sia mediante l'organizzazione di tre importanti incontri: a Chantilly (1978), a Lokum-kloster (1981), a Riva del Garda-Trento (1984).

6. La gravità e l'urgenza dei problemi che incombono sul futuro cristiano dell'Europa, la loro dimensione sempre più internazionale, lo stesso mutato contesto sociale nel quale vive la Chiesa, mentre inducono ad apprezzare il lavoro fin qui svolto dal « Consiglio », spingono ad incoraggiarne l'attività e ad auspicarne l'incremento. Esistono, a questo fine, strutture organizzative efficienti, mantenute opportunamente semplici e snelle; ma è soprattutto necessario un atteggiamento interiore di maggiore apertura delle Conferenze Episcopali fra di loro

[3] Cfr. *Statuti,* art. 1.

e la disponibilità a meglio coordinare indagini, progetti, iniziative concrete, in vista di un'azione evangelizzatrice più armonica ed incisiva.

Le comuni riflessioni, svolte in particolare negli ultimi due Simposi, hanno messo in luce che la società europea è entrata in una nuova fase del suo cammino storico. Alle profonde e complesse trasformazioni culturali, politiche, etico-spirituali, che hanno finito per dare una nuova configurazione al tessuto della società europea, deve corrispondere una nuova qualità di evangelizzazione, che sappia riproporre in termini convincenti all'uomo d'oggi il perenne messaggio della salvezza. È necessario infondere un'anima all'Europa d'oggi e forgiarne la coscienza.

A tale formidabile impresa saranno meno impari gli sforzi di ciascuno se, con l'aiuto di un organismo come il Consiglio delle Conferenze Episcopali Europee, le energie dei Pastori dei singoli Paesi verranno coordinate in un impegno comune. Le divisioni, di cui soffre l'Europa, potranno essere allora più validamente fronteggiate; lo slancio missionario e di promozione umana verso i Paesi in via di sviluppo più costantemente sostenuto ; gli ambiti nevralgici della convivenza civile più profondamente permeati di linfa evangelica. Le difficoltà sono certamente grandi, ma più grande di ogni resistenza è la forza dello Spirito, in cui confidiamo.

7. Nel rivolgervi, venerati Fratelli, questo appello, desidero confermare l'apprezzamento per lo zelo pastorale con cui ciascuno di voi, unitamente ai Pastori delle rispettive Conferenze Episcopali, attende al gregge che gli è stato affidato. Che il Signore vi conforti e vi sostenga nella quotidiana fatica. « Sono persuaso che Colui che ha iniziato in voi quest'opera buona, la porterà a compimento)).[4]

In questa prospettiva esprimo altresì l'auspicio che il *Consiglio delle Conferenze Episcopali d'Europa* possa rivelarsi sempre più come un luogo di incontro fraterno, dove possano maturare, nel confronto e nella collaborazione, indicazioni e proposte capaci di orientarvi nelle scelte pastorali che il mondo di oggi attende.

Affido questi voti all'intercessione della Beata Vergine Maria e dei Santi patroni d'Europa Benedetto, Cirillo e Metodio, invocando su di voi, su gli altri Vescovi d'Europa e sulle rispettive Chiese, l'abbondanza dei lumi e delle consolazioni celesti.

Dal Vaticano, 2 Gennaio 1986.

IOANNES PAULUS PP. II

[4] *Fil* 1, 6.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETUM

CHILLANENSIS - S. MARIAE ANGELORUM

De mutatione finium dioecesium

Spirituali Christifidelium bono sedulo studentes, Exc.mi PP. DD. Albertus Jara Franzoy, Episcopus Chillanensis, et Orozimbus Fuenzalida y Fuenzalida, Episcopus S. Mariae Angelorum unanimi consensu, ab Apostolica Sede enixe expostulaverunt ut fines circumscriptionum ecclesiasticarum sibi concreditarum aliquantulum immutarentur aptiusque disponerentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Angeli Sodano, Archiepiscopi titularis Novacaesariensis, in Republica Chilensi Apostolici Nuntii, rata petitam immutationem aeternae animarum saluti cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis praecibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti decreto a dioecesi Chillanensi distrahit integrum territorium paroeciae vulgo *Tucapel* nuncupatae, intra fines civilis provinciae cui nomen *Los Angeles* exstans, illudque dioecesi S. Mariae Angelorum adnectit.

Quamobrem documenta et acta memorati territorii clericos, fideles et bona temporalia respicientia a Curiae Chillanensis tabulario ad Curiae S. Mariae Angelorum archivum, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quod attinet, simul ac praesens decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum ofiicium detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis praefatum Exc.mum

P. D. Angelum Sodano deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 22 mensis Februarii anno 1986.

BERNARDINUS Card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

83 Luca Moreira Neves, O. P.
Archiep. tit. Feraditanus maior, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopus tab., n. 137/86.

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet :

die 9 Novembris 1985. — Cathedrali Ecclesiae Maldonatensi-Orientalis Orae R. P. Rodulfum Wirz Kramer, hactenus pro-Vicarium generalem Archidioecesis Montisvidei.

— Cathedrali Ecclesiae Fodinensi Exc.mum P. D. Victorem Gil Lechotza, hactenus curionem paroeciae Cathedralis et administratorem dioecesanum eiusdem Ecclesiae Fodinensis.

SI Ianuarii 1986. — Cathedrali Ecclesiae Tagamnae Exc.mum P. D. Wilfredum Manlapaz, hactenus Episcopum titularem Tanudaiensem et Auxiliarem dioecesis Maasinensis.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Epiphanii Surban Belmonte, Episcopi Dumaguetensis, Exc.mum P. D. Angelum Lagdameo, hactenus Episcopum titularem Oretanum et Auxiliarem Archiepiscopi Cebuani.

— Metropolitanae Ecclesiae Tuguegaraoanae Exc.mum P. D. Adeodatum Talamayan, hactenus Episcopum titularem Girensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 17 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Albiensi Exc.mum P. *D.* Iosephum Rabine, hactenus Episcopum Cadurcensem.

— Cathedrali Ecclesiae Leodiensi R. D. Albertum Houssiau, e clero Mechlinensis-Bruzellensis archidioecesis.

die 22 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae novae Segobiae Exc.mum P. D. Orlandum Quevedo, O. M. I., hactenus Episcopum dioecesis Kidapavanensis.

die 1 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Siccessitanae, R. D. Henricum San Pedro, sodalem Societatis Iesu, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iosephi Fiorenza, Episcopi Galvestoniensis-Houstoniensis.

die 2 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Iarensi, Exc.mum P. D. Albertum Piamonte, hactenus Episcopum titularem Gubalianensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Suburbicariae Ecclesiae Praenestinae R. D. Petrum Garlato, Vicariatus Urbis Praelatum Secretarium.

— Cathedrali Ecclesiae Papiensi R. D. Ioannem Volta, e dioecesi Mantuana, in Studiorum Universitate Catholica Sacri Cordis sacerdotem consiliarium generalem.

die 4 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Tyndaritanae, cum dignitate archiepiscopali, R. D. Paulum Giglio, e clero archidioecesis Melitensis, quem deputavit Nuntium Apostolicum in Republica Nicaraguensi.

die 5 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Timicitanae, R. D. Turibium Ticona, e clero dioecesis Potosiensis in Bolivia, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 8 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Parramattensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Bedam Vincentium Heather, hactenus Episcopum tit. Obbitanum et Auxiliarem archidioecesis Sydneyensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sinus Tortuosi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Patricium Laurentium Murphy, hactenus Episcopum tit. Aquensem in Numidia et Auxiliarem archidioecesis Sydneyensis.

die 15 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Facatativiensi Exc.mum P. D. Gabrielem Romero Franco, hactenus Episcopum titularem Maturbensem et Auxiliarem archidioecesis Bogotensis.

die 17 Aprilis. — Episcopum Coadiutorem dioecesium Asculanae Apuliae et Ceriniolensis, invicem perpetuo unitarum, E. D. Vincentium D'Addario, Vicarium Generalem Piscarensem-Pinnensem.

die 18 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Carinolensi, R. D. Fridericum Henry, Rectorem seminarii Londonensis in honorem Sancti Petri, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis M. Sherlock, Episcopi Londonensis.

die 19 Aprilis. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Gerardi L. Frey, Episcopi Lafayettensis, R. D. Henricum Flynn, e clero dioecesis Albanensis in America et curionem apud paroeciam ecclesiae Sancti Ambrosii in oppido vulgo Latham.

die 22 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Madensi R. D. Antonium Moreno Casamitjana, e clero archidioecesis S. Iacobi in Chile, quem deputavit Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P. D. Ioannis Francisci S. R. E. Cardinalis Fresno Larraín, Archiepiscopi Sancti Iacobi in Chile.

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

FOEDERATAE CIVITATES AMERICAE SEPTEMTRIONALIS

DECRETUM

quo Visitator Apostolicus pro fidelibus Syris Catholicis in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis degentibus nominatur.

Fideles ritus Antiocheni Syrorum, qui, propria in Oriente relicta domo alias in partes terrarum migraverunt, Sedes Apostolica constanti sollicitudine prosecuta est.

Nuper autem concrediti sibi gregis spirituali bono apprime studens, Patriarcha Antiochenus Syrorum, una cum sua Synodo, ab Apostolica Sede expostulavit ut Visitator Apostolicus pro fidelibus sui ritus in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis commorantibus deputantur.

Haec vero Congregatio, quo omnes sacerdotes Syri illis in regionibus magis magisque munus pastorale exerceant et compagem et coniunctionem suorum fidelium promoveant, ac potissimum sacram atque vetustam liturgiam ritus Antiocheni adamussim celebrent, quae cor vitae Ecclesiae habenda est, — nam christifideles cum Eucharistiae intersint communitatem constituunt atque confirmant — omnibus mature perpensis, Summo Pontifici supplicandum censuit, ut ad hoc explendum Visitatorem Apostolicum nominare dignaretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Papa II, die 20 Ianuarii hoc vertente anno, benigne ofiicium Visitatoris Apostolici ad referendum, absque iurisdictione et ad nutum Sanctae Sedis, Archiepiscopo Damasceno Syrorum P. D. Iosepho Mounayer commisit, cum omnibus iuribus et obligationibus tali muneri adnexis, iussitque hoc Decretum fieri.

Visitatoris Apostolici erit invisere fideles Syros catholicos, in variis Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis atque in dioecesibus latini ritus commorantes, ad eorum spirituali bono melius consulendum.

In suo exsequendo munere Visitator Apostolicus procedet collatis consiliis cum Praeside conferentiae Episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis necnon cum singulis Episcopis dioecesanis.

Rogantur episcopi ut ipsum in munere explendo benigne adiuvent.

Munere tandem expleto, de statu fidelium Syrorum catholicorum, de provisionibus peractis aut peragendis, diligentem et sedulam relationem huic Congregationi mittendam curabit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, die 20 Ianuarii anno 1986.

D. SIMON Card. LOURDTJSAMY, *Praefectus*

L. © S.

Marius Rizzi, *Subsecretarius*

In Congr. pro Eccl. Orient, tab., n. 159/70.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

TOMBURAEN. - YAMBIOEN.

DECRETUM

De translatione cathedrae episcopalis necnon de mutatione tituli.

Summus Pontifex Paulus VI, v. m., per Constitutionem « Cum in Sudania » die 12 mensis Decembris anno Domini 1974 datam, sacram Hierarchiam in Sudania erexit atque templum in loco, vulgo Tombora, Mariae Auxiliatrici dicatum ad ecclesiam cathedralem Episcopi Tomboraënsis evexit.

Nunc vero Exc.mus Dominus Iosephus Gasi Abangite, Episcopus Tomboraënsis, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut magisterii cathedra a supradicta ecclesia Mariae Auxiliatrici sacra ad novam ecclesiam in loco, vulgo Yambio, sitam et Christo Regi dicatam, transferretur.

Sacrum hoc Consilium Christiano Nomini propagando, omnibus mature perpensis, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter, vigore specialium facultatum a Summo Pontifice Ioanne Paulo divina Providentia Pp. II sibi concessarum, auditis quorum interest, praesenti decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, templum Christo Regi dicatum, in Yambio situm, ad dignitatem et fastigium templi cathedralis evehit, antiquam vero ecclesiam Mariae Auxiliatricis exstantem tamquam ecclesiam con-cathedralem cum debita dignitate manere statuit. Novum autem dioecesis nomen erit Tomburaënsis-Yambioënsis.

Ad haec exsecutioni mandanda, Summus Pontifex Exc.mum Dominum Aloisium Robles Diez, Archiepiscopum titulo Stephaniacensem ac Apostolicum in Sudania Pro-Nuntium deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, onere imposito ad eandem Congregationem mittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die 21 mensis Februarii anno Domino 1986.

IOSEPHUS Card. TOMKO, *Praefectus*

L. © S.

© Iosephus I. Sánchez, *a Secretis*

In Congr. pro Gentium Evangel. tab., n. 698/86.

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit :

die 10 Martii 1986. — Metropolitanae Ecclesiae Aganiensi Exc.mum P. D. Antonium Sabían Apurón, hactenus Episcopum titularem Rusucensem in Byzacena ac Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali nuper evectae Ecclesiae in India Iammuensi-Srinagarensi R. P. Hippolytum Antonium Kunnunkal, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, hucusque eiusdem territorii Praefectum Apostolicum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Lupercianae R. D. Zithulele Patricium Mvemve, Vicarium episcopalem catecheseos, quem deputavit Ioannesburgensis dioecesis Auxiliarem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Nasbincensi R. P. Ronraaldum Augustinum Alvarez Rodríguez, sodalem Fratrum Minorum Capuccinorum Ordinis, quem Vicariatus Apostolici Machiquensis Vicarium Apostolicum constituit.

— Cathedrali Ecclesiae Kikuitensi Exc.mum Eduardum Munun Kasiala, Ordinis Cisterciensium Reformatorum seu Strictioris Observantiae, hactenus Episcopum titularem Aquaeflaviensem atque Auxiliarem eiusdem dioeceseos.

— Coadiutorem Kasongoënsis dioeceseos constituit R. P. Christophorum Munzihirwa Mwene Ngabo, Societatis Iesu, Africae Centralis Superiorem eiusdem Societatis sodalium Provincialem.

die 21 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Moshiensi R. D. Amadeum Msarikie, professorem Seminarii minoris dioecesani necnon directorem ad sacerdotium candidatorum.

— Cathedrali Ecclesiae Portus Elizabethensis R. D. Michaelem Coleman, submoderatorem Seminarii maioris in oppido vulgo Hammanskraal nuncupato iuvenumque sacerdotum curatorem.

— Cathedrali Ecclesiae noviter erectae in Sudania Yeiensi R. D. Herkulanum Lodu, Vicarium Generalem Archidioeceseos Iubaënsis.

NOMINATIONES

Datis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, per Apostolicas sub anulo Piscatoris Litteras nominati sunt:

die 15 Martii 1986. — Exc.mus P. D. Paulus Puente, Archiepiscopus titulo Macrensis, Pro-Nuntius Apostolicus in Senegaliae atque Maliae necnon Insularum Promunturii Viridis Rebus publicis, immo Delegatus Apostolicus in Mauritania et Guinea Bissaviensi.

die 20 Martii. — Exc.mus P. D. Bernardus Jacqueline, Archiepiscopus titulo Abbiritanus, Apostolicus in Marochio Pro-Nuntius.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

i

FLORENTINA

Canonizationis Ven. Servae Dei Teresiae Mariae a Cruce (in saec. Teresinae Manetti), Fundatricis Sororum Tertii Ordinis S. Teresiae.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Pati, pati, semper pati. Fac mecum quidquid vis; sufficit ut animas tibi salvas faciam ». Ita orabat Venerabilis Teresia Maria a Cruce, ex humili gente Manetti, die 2 mensis Martii anno 1846 in loco

cui nomen vulgo *San Martino a Campi Bisenzio*, intra Florentinae archidioeceseos fines) nata, ibique die 23 Aprilis anno 1910 pie in Domino mortua. Vehementi enim in Christum amore aestuans, ad mundi salutem per crucem cum Christo cooperari enisa est. Quem in finem Congregationem Sororum Carmelitarum a Sancta Teresia condidit, quarum esset Christum in Eucharistia die noctuque adorare eidemque in parvulis et adolescentibus, praesertim pauperibus, parentibus orbatis et derelictis, in terris quoque Missionum, amanter deservire.

Eandem autem Venerabilem Servam Dei heroicas exercuisse virtutes cum théologales, scilicet Fidem, Spem et Caritatem, tum cardinales, videlicet Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam et Fortitudinem, eisque adnexas, Summus Pontifex Paulus VI, servatis omnibus de iure servandis, die 23 mensis Maii anni 1975 sollemni Decreto edixit.

Cum autem in more sit Ecclesiae miracula quoque exigere ut altarium honores Servis Dei decernantur — quandoquidem miraculorum ope virtutes ipsae novam accipiunt firmitatem novoque coruscant splendore — sollertes huius Causae actores unam sanationem selegerint, quae, Venerabili Teresia Maria a Cruce intercedente, a Deo patrata ferebatur eamque huic Congregationi pro Causis Sanctorum ad cognoscendum exhibuerunt.

Quae mira sanatio contigit Emmanuelae Boggiani, religiosae Instituti Sororum Tertii Ordinis S. Teresiae. Ea etenim, frustra humanis adhibitis curis, invocando praedictae Venerabilis nomen, et implorando eiusdem patrocinium, rapidissime a flogosi peritoneali acuta omnino convaluit die 2 mensis Augusti anni 1938.

Qua super mira sanatione processus auctoritate apostolica apud Curiam archiepiscopalem Florentinam est celebratus a die 4 Ianuarii ad usque diem 18 Augusti anni 1949, de cuius iuridica forma et vi Apostolica Sedes constare decrevit die 14 mensis Ianuarii a. 1953. Edito super heroicis Servae Dei virtutibus decreto die 23 mense Maio **a.** 1975, ut supra est dictum, actio coepta est agitari apud Congregationem pro Causis Sanctorum super eadem asserta mira sanatione, et quidem copiosius acriusque, quam ut fieri assolet, idque in sede, quam dicunt, medico-legali. Consilium etenim Medicum eiusdem Congregationis semel (a. 1976), iterum **(a.** 1978) et tertium (a. 1985) pro sua competentia disceptavit utrum praedicta sanatio praeter naturae vires contigerit necne, seu utrum factum tamquam miraculum propositum, per naturae leges explicari posset, necne. Tota enim quaestio circa morbi diagnosim et prognosim versabatur, cum non una fuerit uni-

voca medicorum sententia hac super se. Quapropter confecta additionali, quae dicitur, Positione, et impetrato a Causae actoribus novo alicuius Periti voto, supplicatum est Summo Pontifici ut ad tertiam deveniretur sessionem Consultae Medicae. Quae quidem celebrata est die 27 Februarii a. 1985, eo quidem exitu ut maior sodalium pars rati sint agi de praeternaturali sanatione, quoad modum, Sororis Emmanuelae Boggiani. Et ita gressus est factus ad examen Consultorum Theologorum, moderante Fidei Promotore, in Congressu Peculiari diei 4 Iulii anno 1985, et deinde in Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum congregatione, ponente Causae Em.mo ac Rev.mo Domino Aloisio Ciappi, die 15 Octobris a. 1985 habita. Et tum Patres Consultores, uno excepto, tum Purpurati Patres et Episcopi proposito dubio num de miraculo constaret in casu adfirmando responderunt.

De hisce omnibus demum certior est factus Summus Pontifex Ioannes Paulus II, Qui, auditis votis Congregationis pro Causis Sanctorum, mandavit ut Decretum appararetur super eadem mira sanatione.

Quod cum rite esset factum, hodierna die accitis ad Se cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ipsius Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : *Constare de miraculo divinitus patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Teresiae Mariae a Cruce Monetti, idest de rapidissima, perfecta et stabili sanatione Sororis Emmanuelae Boggiani a fiogosi peritoneali acuta ex probabili appendicopathia, in subiecto gasteroenteroptosico cum praecedenti exacerbata colitide chronica.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum insereretur.

Datum Romae, die 16 Novembris A. D. 1985.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

CARACEN.

Canonizationis Servi Dei Iosephi Gregorii Hernández Cisneros, Medici et Professoris in Athenaeo Caracensi.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus. Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur » *(Sir* 38, 1. 3). Magna profecto laude est dignus medicus qui, in sua exercenda professione, cum scientia observantiam dignitatis humanae et inviolabile vitae momentum coniungit, communis utilitatis studium, spiritum incommoda sustinendi, festivam benignitatem et promptum amorem in eos, qui patiuntur et dolent. Mirabiles humano generi eiusque bono et felicitati atque recto progressui praebet utilitates, cum opera sua corporum et animorum dolores mitiget, sed etiam re valet ad constituendum in mundo cultum necessitudinis hominum et amoris.

Si praeterea medicus fide illuminatur et genuina caritate christiana incitatur, miro modo in augendum Regnum Dei consociat se, Christi bonum testimonium dando, « qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo» *{Act* 10, 38).

Medicus qui artem suam exercet secundum spiritum Evangelii, per omnia misericordiam imitatur boni Samaritani (cf. *Lc* 10, 30 ss.), ipsius Christi imaginis, qui multimodis amicus dolentium et exscruciatorum est factus effecitque ut Dei Patris salvificum amorem experiantur (cf. *Io* 3, 16). Insuper, eiusmodi medicus clare et congruenter intellegit vitam humanam esse sacram, cuius Deus est auctor et dominus; videt in aegrotis arcana Domini Iesu lineamenta (cf. *Mt* 25, 36. 40) ; eos amat, iis servit tamquam fratribus carissimis, nec obliviscitur ea, quae curat, corpora, esse de sepulcris insurrectura gloriosa.

Iure igitur Summus Pontifex Paulus VI dixit medicorum professionem idem esse ac se conferre eorum ministerio, qui dolore vel mor-

bis afficiuntur, et addidit : « Dignitas et praestatio huiusmodi vocationis numquam satis percipietur nec penitus animo comprehendetur. Assidere, curare, consolari, humano dolori mederi, officium est, quod pro praestantia, utilitate, proposito est officio Sacerdotis proximum : una cum Sacerdotis officio, medici officium opus est benedictionibus Dei dignissimum, quoniam vultum amoris ad maximam vim extollit» *(Insegnamenti di Paolo VI,* VII [1969] 710).

Quin et quidam Ecclesiae filii scientiam et artem medicinae adeo cum perfecto virtutum religiosarum et moralium coniunxerunt exercitio, ut exemplaria facti sint eximiae fidelitatis erga Deum et voluntatis erga homines, e quibus iuvat nos commemorare beatos Iosephum Moscati (1880-1927) et Richardum Pampuri (1897-1930), qui nuper in beatorum numerum relati sunt.

Non minus integer fuit Servus Dei Iosephus Gregorius Hernández Cisneros, decus laicorum catholicorum, doctus vir et sollers medicus, egregius Studiorum Universitatis professor, pater pauperum, refulgens Christi nuntius inter doctos et simplices humilesque homines, qui ipsa vita ante tempus fecit quod Concilium Oecumenicum Vaticanum II de laicis deque eorum apostolatu docuit. Has ob causas in Venetiolae historia nostrae aetatis ut ingens mons exsurgit.

Servus Dei die 26 mensis Octobris anno 1864 natus est in oppido *Isnotú* ex Benigno Hernández et Iosepha Antonia Cisneros. Die 30 mensis Ianuarii a. 1865 per baptismi sacramentum est renatus et anno 1867 sacramentum confirmationis accepit. Initio scholasticae et religiosae eius educationi consuluit praesertim mater, quae eum scientia Dei et amore virtutis erudivit, moderatricem ei dedit sanctam caritatem et tenera pietate erga Sanctissimam Virginem a Rosario eum imbuit. Schola privata aliquot annos frequentata in oppido *Isnotú*, ingenuarum litterarum iniit ludum (anno 1879) in ephebeo « Villegas », eminuitque intellegentia, progressu, bonis moribus, religione, superioribus obtemperatione, comitate in condiscipulos, quos saepe hortabatur, ut in precationem incumberent et frequenter sacramenta acciperent. Patris consilium secutus, anno 1882 nomen professus est in Facultatem Medicinae apud Studiorum Universitatem Primariam Caracensem. In ea temporum hominumque ratione, ubi incredulitas et « materialismus », qui dicitur, imperabant, Servus Dei vitae christianae documentum fuit, morum omni vitio carentium, fervoris apostolici inter condiscipulos, assiduitatis precationis, ardentis pietatis in Eucharistiam, quam cotidie accipiebat. Universitatis studiis egregie

peractis, die 29 mensis Iunii a. 1888, doctor medicinae est renuntiatus. Aliquamdiu professionem exercuit; deinde anno 1889 a Praeside Reipublicae Venetiolanae Lutetiam Parisiorum missus est ut studia theorica et effectiva medicinae pergeret et perficeret. Etiam Lutetiis Parisiorum enituit diligentia in studio et in scientiae inquisitione, pietate, constantia in officiis religionis, cura vitae interioris et castitatis, quam illibatam custodivit in insidiis magnarum urbium propriis. Scientia optime et accurate institutus, anno 1891 est in patriam reversus. Hortantibus Reipublicae moderatoribus, constituit in Studiorum Universitate Oaracensi professiones histologiae usitatae et pathologiae, physiologiae experimentalis et bacteriologiae. Ita 27 annos natus cursum professoris Studiorum Universitatis iniit.

Magister magnae auctoritatis fuit ob amorem veritatis, amplissimas cognitiones medicas, acumen et planitatem expositionis, alacritatem erga discipulos, diligentiam in scholis explicandis, simplicitatem et modestiam rationis vitae, animum in fide sua profitenda in loco aperte religionis contemnenti. Vir doctus et credens usu ostendit certam et aequabilem cuiusvis disciplinae indagationem, si secundum veram scientiam fiat et normas morum, numquam posse a fide discrepare, cum res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducant (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et Spes,* 36).

Eius ingenium et scientiam testantur multa opera, quae diversis temporibus edidit, existimationem sibi comparans hominum eius aetatis atque etiam aliorum medicorum et doctorum.

Admiranda cum accuratione et peritia suam medici professionem exercuit, quam verum apostolatum reddidit ad hoc spectantem, ut corpora curaret et animas et infirmos adiuvaret, quo ad Dei voluntatem se accommodaret. Comis et affabilis, studiosus praebendi solacium aegris et dolentibus, paratus ad verba fidei suggerenda, liberalis erga pauperes, magnam fiduciam et benevolentiam est consecutus suae clientelae, apud quam benefica gratia et auctoritate valebat. Dulciter pauperes amabat, eosque allevabat non solum gratuito visendo, verum etiam iis pecuniam dando, qua medicinas, cibum, vestem sibi compararent; idque semper multa cum prudentia faciebat, ne eorum fastidioso sensui displiceret. Hinc iure dictus est medicus pauperum.

Cupiens maiorem christianam perfectionem assequi, re bene considerata et in consilium adhibito magistro spiritus, omnia reliquit et,

die 16 mensis Iulii anno 1908, ingressus est coenobium Cartbusianum in loco *Farneta* situm apud Lucam. Habitum religiosum induit, sumpsit nomen Fratrem Marcellum, inchoavit novitiatum. Sed post paucos menses, incommodae valetudinis causa, in patriam rediit. Nonnullis diebus actis in seminario dioecesano Caracensi, solita cum sollertia, se ad pristinum docendi munus et ad professionis exercitium revocavit. Persuasum habens se a Domino vocari ad vitam consecratam, ubi convaluit, intravit (anno 1913) in Collegium Pium Latinum Americanum Romae positum, ea mente, ut postea ad coenobium Carthusianum rediret. Aliquot post menses tamen, pleuritide sicca correptus et phthisi incipiente, divinae voluntati obsequens, in Venetiolam revertit et usque ad mortem, muneri professoris et medici se dedidit, innumerabilia virtutum exempla omnibus praebens.

Quamvis multus esset labor, coram Deo continuo vixit, nitens per omnia voluntatem Dei facere et in eius amore proficere. Cotidie magno cum fervore Missae intererat et ad S. Communionem accedebat. Frequenter in diuturnis adorationibus permanebat coram Sanctissimo Sacramento et diu noctuque multum temporis in precatione consumebat. Peculiariter Passionem Domini et Dei Matrem colebat, quam cotidiana recitatione Rosarii et « Angelus Domini » venerabatur. Reverenti cultu prosequebatur S. Ioseph et S. Teresiam a Iesu; libenter libros theologicos et vitas sanctorum legebat; peculiariter admiratus est virtutes S. Francisci Assisinatis, unde voluit esse Tertiarius Franciscanus. Totis viribus verbum Dei secutus est et magisterium Ecclesiae, matris et magistrae, et numquam eum puduit se ostendere christianum et catholicum in vita, in munere docendi et in professionis exercitio, ne in locis quidem fidei et Ecclesiae infensis. Fide sua viva et diffusibili conspiciebat ubique indicia et perfectiones Dei. Non raro, per scholas anatómicas, dum discipulis corporis humani perfectionem describebat, Deum repetebat, Ens Supremum summe perfectum. Eius religionis caput ac veluti centrum erat exercitatio caritatis erga Deum et erga proximum; idque apparebat ex appetitione sanctitatis, qua flagrabat, ex fervore in religionibus explendis, ex gaudio, quo afficiebatur saepe loquens de Deo et eius praecepta servans perfecte. Peccati odium habebat et solitus erat dicere potius esse mori quam Deum offendere. Se humilitate tegens, solam Dei gloriam exquirebat, cui omnem suum bonum exitum tribuebat. Multimodis amorem proximi excoluit, in quo imaginem videbat Redemptoris, pro quo semper inclinatus erat ad quodlibet incommodum oppetendum. Multa possu-

mus exempla proferre, ut quae dicimus confirmemus; sed malumus dicere tantum eum servum omnium, amicum omnium, beneficiorum auctorem in omnes, cyrenaeum omnium fuisse.

Sui neglegens et a rebus huius mundi alienus, perfecta cum laetitia vitae acerbitates et casus adversos perpessus est, quae ei obeunda fuerunt; namque cor eius constanter erat intentus ad bona spiritus immortalia et ad aeternitatem; quam ob rem divitiae, honores, laudes, commoditates minime eum alliciebant. Propter Christi amorem, cuius esse voluit fidelis et sedulus discipulus, sponte matrimonium recusavit, et propter regnum caelorum, singulari vocationi oboediens, serena vigilantia et caelesti prudentia donum caelibatus custodivit. Ut in Europa pax vinceret et floreret, Deo vitam suam devoverat; quae devotio est accepta, et die 29 mensis Iunii anno 1919, dum pedibus ibat medicinas ferens pro aegroto emptas, quem prius viserat, autocineto est mortifere percussus in via. Antequam extremum spiritum effudit, exclamavit: ((Virgo Sanctissima ». Mors praesens eum deprehendit instructum accensa lucerna et actum caritatis facientem. Immaturus et funestus Servi Dei obitus dolorem attulit omnibus Caracensibus civibus. Multitudo hominum ingens eius corpus viserunt et exsequias funeris sunt prosecuti, quae signum fuerunt communis existimationis et reverentiae in virum, qui Ecclesiae, patriae, scientiae honori fuerat.

Fama sanctitatis, qua vivus floruit, post eius mortem increbruit; unde Curia archiepiscopalis Caracensis Causam Beatificationis iniit et canonizationis Processum Informativum celebravit (annis 1949-1958). Instructi sunt etiam Processus Rogatorialis Habanae (anno 1957), et Processus additicius Caracis (anno 1961). Die 2 mensis Aprilis anno 1964 editum est Decretum super scriptis Servi Dei; quod secuta sunt Decreta de Introductione Causae (die 4 mensis Maii anno 1972) et *de non cultu* (die 5 mensis Ianuarii anno 1973). Processus Apostolicus super virtutibus in specie Caracis actus est ab anno 1973 ad annum 1976. Calendis Augustis anno 1980 proditum est Decretum de horum Processuum auctoritate.

Die 24 mensis Septembris a. 1985 Consultores Theologi Congressus Peculiarem egerunt super virtutibus in specie, et proposito dubio adfirmantes responderunt. Patres deinde Cardinales, in Congregatione Ordinaria die 17 Decembris a. 1985 habita, Ponente Causae Em.mo D.no Cardinali Eduardo Gagnon, agnoverunt Servum Dei Iosephum Gre-

gorium Hernández Cisneros heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus Praefecto Congregationis atque Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater, sollemniter declaravit. *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, Servi Dei Iosephi Gregorii Hernández Cisneros in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 16 mensis Ianuarii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINA *Praefectus*

h. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

MONACEN, ET FRISINGEN.

Canonizationis Servi Dei Gasparis Stangassinger, Sacerdotis professi Congregationis SS. Redemptoris (1871-1899).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« In quo mundabit adulescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos » *(Ps* 118, 9).

Ita Psalmista verbum canit, seu legem, quin immo ipsam Crea-

toris voluntatem, quae cordibus nostris se aperit, ut ea ad gaudium reseret, ad amorem dilatet, ad finem incitet : « In iustificationibus tuis delectabor ... Viam mandatorum tuorum curram, quia dilatasti cor meum» *(Ibid.* 16, 32).

Iure hic psalmus vocatus est « psalmus sanctorum », quandoquidem viam indicat, quam ii confecerunt ut perfectionem assequerentur, hoc est illam gratiae redundantiam, qua in terris caeli laetitiae praegustantur. Haud dubie indicat iter a nostro Gaspare factum qui, iam a tenera aetate tantum vocatione ad vitam sacerdotalem flagravit et missionalem ac, deinde, iuvenis tam firmus et constans in suis propositis fuit, ut patrem duriter resistentem vinceret et sequeretur humilem Congregationem Sancti Alphonsi tunc a Germania ablegatam, seque totum dederet formationi religiosae iuvenum sacerdotium petentium, somnum et vitam pro eis dilargiens. Hac ratione illum apostolatum continuabat pro iuvenibus, quem susceperat in urbe patria per studiorum annos et quidem tam feliciter, ut *scholasticorum pater* appellaretur. Iis hereditate reliquit sacerdotales et missionales formas praeclaras, quas sibi animo effinxerat, quasque praemature mors praecidit.

Gaspar Berchtesgadi in Bavaria natus est die 12 mensis Ianuarii anno 1871, secundus ex sedecim filiis fortunatae familiae agricolarum, firmis moribus christianis insignis. Eodem die baptizatus et ad severam disciplinam, ad laborem et ad precationem tum domi tum in ecclesia informatus, continuo claram propensionem ad sacerdotium ostendit, quam egregia pietate et aequalium cohortationibus e suggestibus extemporalibus significabat. Hinc aequum omnibus visum est eum, ludis elementariis prospere peractis, sibi studia superiora sumpsisse et Frisingae frequentare, primum uti externum, dein uti internum, ephebeum archiepiscopale. Ibi, die 7 mensis Augusti a. 1890, assecutus est diploma litterarum humanarum seu, quam dicunt, maturitatis classicae. Cum non ambigeret quodnam caperet consilium, iter conficere perseveravit iamdiu praeoptatum, hoc est sacerdotii. Sedecim annos natus, votum castitatis perpetuae susceperat; septemdecim annorum, Tertium Ordinem Sancti Francisci professus erat, nomine sumpto Fratre Aloisio, in honorem sancti quem maxime diligebat; duodeviginti annorum, ubi ex morbo evasit, quo prope est factum ut mortem obiret, hortatus erat omnes pios in S. Cor Iesu ad precandum, ut fieri posset sacerdos; undeviginti annos natus propinquos admonuerat ut in examine maturitatis bonum exitum haberet,

tamquam sacerdotii sui significationem. Cum ergo die 25 mensis Octobris anno 1890 seminarium Frisingense ingressus est, nemo obstupuit; quin potius miratus est eius intellegentiam, antea non multum acutam, facile scientias theologicas percipere, adeo ut principem locum obtineret. Pares autem non habuit in pietate, in perseverantia constantiaque officii. Professores et condiscipuli eius eximias virtutes, diligentiam vel in minimis rebus non reprehendendam, assiduam animi contentionem ad sanctitatem concorditer collaudabant. Quocirca eum vocabant *candidatum perpetuum.*

Etiam eius cives, apud quos ferias vernas et autumnales agebat, nominibus eum appellabant, quae eius navitatem in iuvenibus designabat. Eum dicebant *patrem scholasticorum,* quia suis libris instituerat bibliothecam erraticam et indigentes subdocebat; *ducem,* quoniam eos in ecclesiam inducebat ad sacra, et ad templa Beatae Virginis Mariae, supra montes posita ducebat, magna voce Rosarium recitans, vel praecedebat in montanis ascensibus ad summa iuga, duriter periculum faciens eorum roboris et animi. Erat namque lusoriae corporis exercitationis studiosissimus, apertus et festivus, qui sanos goliardorum cantus non dedignabatur ; erat imprimis communis utilitatis studiosus, et olim manifesto periculo corpus obiecit, ut gregalem retraheret ex saxo praerupto ruiturum. Eum vocabant etiam *Parrocoper* ob ecclesiae assiduitatem obque continua ad bonum hortamenta. Vox erat apud populum gratiosa, quae quemlibet laetificabat, praesertim patrem, qui eum iam presbyterum videbat domum paroecialem usurpaturum illucque multarum sororum suarum aliquam adducturum. Somnium visum est veritas fieri cum Gaspar, in Cathedrali Frisingensi, die 2 mensis Aprilis a. 1892, tonsuram accepit et quattuor Ordines minores. Sed non haec erant consilia Dei.

Iamdudum iuvenis ille se inclinare sentiebat ad consilia evangelica, ut ad vitam missionalem se conferret et multas servaret animas, et rationem habuerat cum Patribus Congregationis Sanctissimi Redemptoris loci *Dürrnberg,* ad fines Austriae et Bavariae. Sed omnia in incerto relinquebantur, quoad, die 21 Septembris anno 1892, ad pedes provolutus Virginis Ottingensis, clare animadvertit Dei vocationem, cui statim respondit. Expedite assensum obtinuit Archiepiscopi et matris, non autem patris. Genibus nixus cum tota familia ei supplicavit, post dictas coniuncte precationes vespertinas; sed recusatio dura fuit, firma et pertinax. Attamen Gaspar non poterat Deo non oboedire aut eum parumper exspectantem relinquere. Sine mora

igitur profectus, die 6 Octobris ingressus est novitiatum oppidi *Gars*. Postridie matri suam oblectationem aperuit : « Oh pulchram gratiam ! Oh gaudium! Nequeo hoc describere....)). Et post duas hebdomades amicis Frisingensibus significavit cur redire non posset, ut eos salutaret : « Omnis hora in conventu est maximi momenti et Deo placet oboedientia prompta et praesens; qua re eum reprehendit, qui voluit ante patrem sepeliré, quam Eum sequeretur ». Et die 21 Novembris insequentis narravit parentibus vestitionem suam : « Heri Dominus, pro sua immensa misericordia, et Maria, cara mea Mater, Sanctum Habitum religiosum Sancti Alphonsi, dilecti Patris mei, mihi donaverunt... Habitum gratiae, gloriae, sed etiam paenitentiae ... ». Vota suscepit die 16 Octobris anno 1893, « postquam per totam novitiatus vitam ostendit tam singularem fervorem, ut a sodalibus novitiis haberetur exemplar regularis observantiae. Eius magni progressus in scientia et in vita interiore sperare iubent eum in sua futura vita religiosa margaritam esse mansurum ». Ita eius Magister in relatione publica ad Superiorem Generalem. Et facile praesagivit, quia novus professus perrexit e virtute in virtutem ascendere tempore, quo se praeparabat ad Ordines maiores, quos accepit Ratisbonae hoc ordine : subdiaconatum die 28 Decembris anno 1893; diaconatum, die 21 Septembris anno 1894; presbyteratum, die 16 Iunii anno 1895. Inde fauste eius sacerdotale ministerium cepit initium, quod quattuor tantum annos duraturum erat, et exercendum intra muros cuiusdam scholae parvorum missionariorum, primum *Dürmberg* sitae, deinde, a mense Septembri anni 1889, in oppido *Gars*, prope Monachium.

Novellus sacerdos qui, superiore anno poposcerat ut proficisceretur cum primis globis missionariorum Congregationis Sanctissimi Redemptoris in Brasiliani, est contra nominatus Vicarius Rectoris scholae parvorum missionariorum et magister aliquarum praelectionum linguae Latinae. Libenter assensus est, laetus animi quod fervida proposita sua alumnis suppeditabat, ut in pietate et in sapientia proficerent et apti fierent ad munera, quae eos manebant. Ostendebat illis altissimam sacerdotis dignitatem, uti vivae imaginis Christi, eosque ad hunc verticem impellebat alis impensissimi amoris erga Cor Iesu, in Eucharistia praesens, et filiorum pietate erga Sanctissimam Virginem. Sed amor esse debebat imitatio virtutum, rigida ascesis, ut se ipsi vincerent et in vocatione constarent. Iuvenis inter iuvenes omnibus anteibat exemplo vitae illibatae, caritate sedula et officiosa, apertissima et sincerissima iucunditate, factus omnia omnibus, vel

somno remisso noctis pro grege suo, non tamen cum Deo colloquio interrupto. Quin immo sibi die titabat : <(Volo magnus sanctus fieri : excelsa mihi opus est sanctitas ».

Morbo correptus est vesperi, die 22 mensis Septembris anno 1899, postquam novae scholae missionali loci *Gar s* benedixerat, inter cursum exercitiorum spiritualium, quem suis iuvenibus praedicabat; morbo equidem insanabili, quo celeriter est vita defunctus. In lecto iacens moribundus, delirus, iuvenes suos adhortari non intermittebat, ut Iesum, Sanctissimam Virginem Mariam, vocationem suam amarent. Qui ei astitit illis diebus, testatus est eum cogitationibus suis ((iam potius in paradiso quam in hoc mundo » esse et « de morte loqui, sicut desponsi libenter de suis nuptiis loquuntur ». Ad Deum adivit primis horis diei 26 mensis Septembris, anno 1899.

Fama sanctitatis, qua Servus Dei vivus claruit, brevi post mortem increbuit egitque Curiam Archiepiscopalem Monacensem ad instruendos Processus Ordinarios annis 1935-1936; quos secuti sunt Processiculus super scriptis Monaci actus anno 1937, et Processus rogatorialis S. Pauli in Brasilia. Eorum transumpta sunt Sacrae Rituum Congregationi tradita. Die 24 mensis Iulii, anno 1942, editum est Decretum super scriptis; deinde, *Positione* apparata et excussa, die 27 Aprilis, anno 1960 introductionis Causae, denique, die 29 mensis Ianuarii anno 1962, Decretum super *non cultu.* Interea, annis 1961-1964, actus est Monaci Processus Apostolicus super virtutibus in specie Servi Dei. Postea, lato Romam transumpto et elaborata *Positione* super virtutibus, die 9 Iulii, anno 1985, Consultores Theologi, moderante Promotore Fidei in Congressu Peculiari coadunati, heroicas virtutes Servi Dei probaverunt. Eandem faventem sententiam dixerunt etiam Rev.mi Patres Cardinales et Episcopi, Ponente seu Relatore Em.mo ac Rev.mo Cardinali Iosepho Ratzinger, qui in Congregationem Plenariam convenerunt die 8 Ianuarii anno 1986.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, certior factus ab infra scripto Cardinali Praefecto, vota Congregationis pro Causis Sanctorum rata habens, iussit praeparari Decretum de virtutibus heroicis Servi Dei.

Omni re legitime confecta, hodie Sanctitas Sua arcessivit Eminentissimos Cardinales : infra scriptum Praefectum, Iosephum Ratzinger, Ponentem seu Relatorem Causae, Archiepiscopum Secretarium et ceteros, qui convocari solent, et coram iis sollemniter edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperan-*

tia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Gasparis Stangassinger, in casu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Beatissimum Pater ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 16 mensis Ianuarii, A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Sabato, 29 Marzo 1986, S. E. il Signor GEORGE SCHULTZ, Segretario di Stato degli Stati Uniti d'America.

Venerdì, 11 Aprile 1986, S. E. il Signor JEAN-BERNARD RAIMOND, Ministro degli Affari Esteri di Francia.

Giovedì, 24 Aprile 1986, S. E. il Signor R. J. L. HAWKE, Primo Ministro di Australia.

Giovedì, 24 Aprile 1986, S. E. il Signor IAN MARTENSON, Sotto-Segretario dell'Organizzazione delle Nazioni Unite.

Giovedì, 24 Aprile 1986, S. E. il Signor HELMUT LIEDERMANN, Segretario Esecutivo per la Riunione di Vienna della Conferenza sulla Sicurezza e la Cooperazione in Europa.

Lunedì, 28 Aprile 1986, S. E. il Signor RATU PENAIA GANILAU, Governatore Generale di Fiji.

Giovedì, 26 Aprile 1986, il Santo Padre ha approvato l'elezione del Sotto-Decano del Collegio Cardinalizio, fatta dagli E.mi Signori Cardinali dell'Ordine dei Vescovi, il 15 aprile corrente, nella persona di S. Em.za Rev.ma il Signor Cardinale Sebastiano Baggio, del titolo della Chiesa Suburbicaria di Velletri, Camerlengo di Santa Romana Chiesa.

Giovedì, 26 Aprile 1986, il Santo Padre ha presieduto una riunione degli E.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Oon Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

1 aprile 1986. S. E. mons. Andrea Cordero Lanza di Montezemolo, Arcivescovo tit. di Anglona, *Nunzio Apostolico in Uruguay*.

4 » » Mons. Paolo Giglio, *Arcivescovo tit. di Tindari e Nunzio Apostolico in Nicaragua.*

10 » » S. E. mons. Francesco De Nittis, Arcivescovo tit. di Tunes e Nunzio Apostolico in El Salvador, *Nunzio Apostolico in Honduras.*

19 » » S. E. mons. Luigi Poggi, Arcivescovo tit. di Forontoniana, *Nunzio Apostolico in Italia.*

» » » S. E. mons. Francesco Colasuonno, Arcivescovo tit. di Tronto, *Nunzio Apostolico con incarichi speciali e Capo della Delegazione della Santa Sede per i contatti permanenti di lavoro con il Governo della Repubblica Popolare di Polonia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

3 aprile 1986. P. Peter Hans Kolvenbach, Prepósito generale della Compagnia di Gesù, *Consultore della Congregazione per le Chiese Orientali.*

10 » » Mons. Luigi Sposito, *Segretario della Prefettura per gli Affari Economici della Santa Sede.*

» » » Mons. Francesco Salerno, *Capo Ufficio nella Prefettura per gli Affari Economici della Santa Sede.*

NECROLOGIO

1 aprile 1986. Mons. Adolfo Servando Tortolo, Arcivescovo di Paraná *(Argentina).*

2 » » Mons. Manuel Sánchez Beguiristain, Arcivescovo emerito di Concepción *(Chile).*

4 » » Mons. Mario Cagna, Arciv. tit. di Eraclea di Europa.

12 » » Mons. Sidney Matthew Metzger, Vescovo emerito di El Paso *(Stati Uniti d'America).*

14 » » Mons. Luigi Maria Carli, Arcivescovo di Gaeta *(Italia).*

An. et vol. LXXVIII 3 Iunii 1986 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano —** *Administratio:* **Librería Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

qua nova canonica ordinatio pro spirituali militum curae datur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Spirituali militum curae pro varia rerum opportunitate Ecclesia eximia sollicitudine consulere semper voluit. Ipsi enim quendam socialem coetum constituunt atque « ob peculiares eorundem vitae condiciones sive voluntarie et stabiliter copiis incorporentur sive lege ad ipsas vocentur ad tempus determinatum, concreta atque specifica curae pastoralis forma indigent; cui necessitati, per temporum decursum, sacra Hierarchia, praesertim vero Romani Pontifices, pro suo munere servitii seu « diakoniae)),[2] aptioribus modis in singulis casibus providit per iurisdictionem personis et adiunctis aptiorem. Quamobrem passim constitutae sunt structurae ecclesiasticae pro singulis nationibus, quibus Praelatus praeficiebatur congruis facultatibus praeditus.[3]

S. Congregatio Consistorialis sapientes hac de re normas condidit in Instr. *Sollemne semper,* d. 23 Aprilis 1951.[4] Nunc vero tempus advenisse

[1] **Conc. Vat. II,** ***Christus Dominus,*** **n. 43.**

[2] **Cfr. Conc. Vat. II, Const. Dogm.** ***Lumen gentium,*** **n. 24.**

[3] **Hi Praelati quandoque constituebantur «perinde ac si quoad clericos saeculares eorum veri praesules et pastores » essent (Innocentius X, Breve** ***Cum sicut maiestatis,*** **26 Sept. 1865: Bullarium Romanum, Taurini 1868, t. XV, p. 410).**

***** ***AAS*** **43 (1951), pp. 562-565.**

dicendum est, ut normae praedictae recognoscantur, quo maiore vi atque efficacitate polleant. Ad id ducit in primis Concilium Vaticanum II, quod viam stravit aptioribus inceptis ad peculiaria opera pastoralia perficienda[5] necnon Ecclesiae actionem in mundo nostri temporis perpendit, etiam quod ad pacem attinet in orbe universo fovendam ac promovendam, qua in re qui in militia versantur « tamquam securitatis libertatisque populorum ministros » sese habere debent « dum hoc munere recte funguntur, vere ad pacem stabiliendam conferunt)).[6]

Hoc suadet quoque magna rerum commutatio quae facta est non modo ad militiae professionem atque ad vitae militaris adiuncta quod attinet, sed etiam ad communem sensum societatis huius temporis de natura ac munere copiarum in societate vitae hominum inter se. Ad hoc denique impellit novi Codicis Iuris Canonici promulgatio, qui re vera ad pastoralem militum curam se refert, immutatas relinquens normas hactenus vigentes,[7] quae tamen hodie opportune revidentur, ut ex apta rerum compositione fructus uberiores oriantur. Huiusmodi vero normae eaedem esse non possunt pro cunctis nationibus, cum numerus fidelium catholicorum qui militiae addicuntur non idem ubique sit sive absolute sive relative, cumque adiuncta valde inter se differant pro singulis locis. Congruit igitur ut generales quaedam normae hic statuantur, quae omnibus Ordinariatibus militaribus — hactenus Vicariatus castrenses dicebantur — applicentur, quaeque statutis a Sede Apostolica pro unoquoque Ordinariatu conditis compleantur, intra ambitum tamen huius legis generalis.

Sequentes ergo normae statuuntur :

I - § 1. Ordinariatus militares, qui etiam castrenses vocari possunt, quique dioecesibus iuridice assimilantur, sunt peculiares circumscriptiones ecclesiasticae, quae propriis reguntur statutis ab Apostolica Sede conditis, in quibus pressius determinabuntur huius Constitutionis praescripta, servatis ubi exstent Conventionibus inter Sanctam Sedem et Nationes initis.[8]

§ 2. Ubi adiuncta id suadeant, auditis quorum interest Episcoporum Conferentiis, novi Ordinariatus militares ab Apostolica Sede erigantur.

[5] **Cfr. Decr.** *Presbyterorum Ordinis,* **n. 10.**

[6] **Conc. Vat. II, Const. past.** *Gaudium et spes,* **n. 79.**

[7] **Cfr.** *CIC,* **can. 569.**

[8] **Cfr.** *CIC,* **can. 3.**

II - § 1. Ordinariatui militari, ut proprius, praeficitur Ordinarius dignitate episcopali pro norma insignitus, qui omnibus gaudet iuribus Episcoporum dioecesanorum eorundemque obligationibus tenetur, nisi aliud ex rei natura vel statutis particularibus constet.

§ 2. Ordinarium militarem libere Summus Pontifex nominat, aut legitime designatum instituit vel confirmat.[9]

§ 3. Ut huic peculiari operi pastorali totis viribus incumbere possit, Ordinarius militaris pro norma ab aliis officiis animarum curam secumferentibus liber manebit, nisi peculiaria Nationis adiuncta aliud suadeant.

§ 4. Inter Ordinariatum militarem et alias Ecclesias particulares arctum vinculum communionis atque virium coniunctio in actione pastorali vigeant oportet.

III - Ordinarius militaris pertinet ipso iure ad Episcoporum conferentiam illius nationis in qua Ordinariatus sedem habet.

IV - Ordinarii militaris iurisdictio est :

1° personalis, ita ut exerceatur erga personas ad Ordinariatum pertinentes, etiam si quandoque versentur extra fines nationis;

2° ordinaria, tum fori interni tum fori externi ;

3° propria sed cumulativa cum iurisdictione Episcopi dioecesani, nam personae ad Ordinariatum pertinentes esse pergunt fideles etiam illius Ecclesiae particularis cuius populi portionem ratione domicilii vel ritus efformant.

V - Stationes vero ac loca militibus reservata primo et principaliter subsunt iurisdictioni Ordinarii militaris; secundario autem iurisdictioni Episcopi dioecesani, quoties scilicet Ordinarius militaris eiusve cappellani desint : quo in casu tum Episcopus dioecesanus tum parochus iure proprio agunt.

VI - § 1. Praeter illos de quibus in sequentibus §§ 3 et 4, Ordinariatus Castrensis presbyterium efformant illi sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, qui congruis qualitatibus praediti ad hoc peculiare opus pastorale rite perficiendum atque de consensu sui Ordinarii, officio in Ordinariatu militari funguntur.

§ 2. Episcopi dioecesani necnon competentes Superiores religiosi

[9] Cfr. *CIC*, cann. 163 et 377, § 1.

Ordinariatui castrensi concedant numero sufficienti sacerdotes et diaconos huic muneri idoneos.

§ 3. Ordinarius militaris, probante Sancta Sede, seminarium erigere potest eiusque alumnos, specifica formatione spirituali ac pastorali donatos, in Ordinariatu ad sacros ordines promovere.

§ 4. Alii quoque clerici possunt in ordinariatu castrensi incardinari, ad normam iuris.

§ 5. Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Ordinario approbata, attentis normis ab Episcoporum conferentia prolatis.[10]

VII - Intra ambitum sibi designatum et erga personas sibi commissas, sacerdotes qui in Ordinariatu cappellani nominantur parochorum iuribus gaudent et officiis tenentur, nisi ex rei natura vel statutis particularibus aliud constet, cumulative vero cum loci parocho, ad normam Art. IV.

VIII - Quoad Religiosos vero et Societatum vitae apostolicae sodales, qui servitio Ordinariatus operam dant, Ordinarius studiose incumbat ut iidem in fidelitate erga vocationem et identitatem sui cuiusque Instituti proficiant et arcte cum suis superioribus coniungantur.

IX - Cum omnes fideles ad aedificationem Corporis Christi cooperari debeant,[11] Ordinarius eiusque presbyterium curent ut fideles, laici Ordinariatus, sive uti singuli sive consociati, suas partes gerant tamquam fermentum apostolicum, sed et missionale, inter ceteros milites cum quibus vitam agunt.

X - Praeter alios qui in statutis, ad normam Art. I determinantur, .ad Ordinariatum militarem pertinent et sub eius iurisdictione inveniuntur :

I° Fideles qui sunt milites necnon alii qui copiis addicantur, dummodo legibus civilibus pro iisdem latis astringantur;

2° qui eorumdem familiam constituunt, coniuges nempe ac liberi, illi etiam qui quamvis sui iuris, in eadem domo degunt; necnon propinqui ac famuli in eadem domo pariter degentes;

3° qui militaria instituta frequentant vel in militaribus nosocomiis, senum hospitiis aliisve similibus locis degunt eorumve servitio addicuntur;

[10] Cfr. *CIC*, can. 496.
» Cfr. *CIC*, can. 208.

4° omnes utriusque sexus fideles sive alicui Instituto religioso adscripti sive non, qui munere stabili funguntur, sibi collato ab Ordinario militari aut de ipsius consensu.

XI - Ordinarius militaris a Congregatione pro Episcopis vel a Congregatione pro Gentium Evengelizatione dependet et pro casuum diversitate quaestiones pertractat cum competentibus Romanae Curiae Dicasteriis.

XII - Ordinarius militaris singulis quinquenniis relationem Sedi Apostolicae exhibebit de statu Ordinariatus, iuxta praescriptam formulam. Item Ordinarius obligatione tenetur visitationis *ad Limina,* ad normam iuris.[12]

XIII - In statutis particularibus, servatis semper ubi extent Conventionibus inter S. Sedem et Nationes initis, determinabitur inter alia:

I° quo loco ecclesia Ordinarii castrensis eiusque curia consistant;

2° an unus vel plures esse debeant Vicarii generales necnon qui alii nominandi sint curiae officiales;

3° quid de condicione ecclesiastica Ordinarii castrensis ceterorumque sacerdotum vel diaconorum Ordinariatui militari addictorum durante et cessante munere, necnon quae normae servandae sint quoad eorum militarem condicionem;

4° quomodo providendum sit in casu sedis vacantis vel impeditae;

5° quid de consilio pastorali sive totius Ordinariatus sive locali, attentis normis Codicis Iuris Canonici;

6° qui libri de Sacramentorum administratione deque statu personarum habendi sint, iuxta leges universales et Episcoporum conferentiae praescripta.

XIV - Quoad causas iudiciales fidelium Ordinariatus militaris, competens est in prima istantia tribunal dioecesis in qua Ordinariatus militaris curia sedem habet; in statutis vero stabiliter designabitur tribunal appellationis. Si autem Ordinariatus suum habeat tribunal, appellationes deferentur ad tribunal quod ipse Ordinarius castrensis, probante Sede Apostolica, stabiliter designaverit.[13]

[12] **Cf. *CIC,* cann. 399 ei 400, pp. 1 et 2 Vid. S. C. Consistorialis, Decr. *De Sacrorum liminum visitatione a Vicariis castrensibus peragenda,* d. 28-11-1959: *AAS* 51 (1959), pp.272-274.**

[13] **Cfr. *CIC,* can. 1438, n. 2°.**

Quae Constitutione hac Nostra praescripsimus vigere incipient a die 21 Iulii vertentis anni. Normae vero iuris particularis vigere pergunt, quatenus cum hac Constitutione Apostolica congruunt, sed uniuscuisque Ordinariatus castrensis statuta, ad normam Art. I redacta, intra tempus unius anni ab eadem die computanda, recognitioni Sanctae Sedis subicienda sunt.

Nostra haec autem statuta et praescripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque praescriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxi mensis Aprilis, anno MCMLXxxvi, Pontificatus Nostri octavo.

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Servo Dei Danieli Brottier Beatorum honorem deferuntur.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem» *(1 Cor* 12, 4-7). Facile ex his Apostoli Pauli verbis perennis intellegitur Ecclesiae sanctitas et viarum multiplicitas, quibus eius filii possunt ad eandem sanctitatem pervenire : quod quidem verum esse ostendit tota a priscis temporibus usque ad nostram aetatem huius Sanctae Matris historia. Verumtamen harum viarum aliae ita simplices sunt, ut possint quodammodo unica nota distingui ; aliae vero ministeriis variae, etsi aliquas semper habeant proprietates, quibus sancti a sanctis differant.

In hos, quos ultimos memoravimus, ascribendus est sine dubio Daniel Brottier, presbyter dioecesanus, missionarius in Africa, cappellanus militum bello omnium gentium communi, quod annis MCMXIV-

MCMXvii gestum est ; restitutor, et talis quidem qui visus sit institutor Operis Parisiensis cui nomen « Orphani-tirones » a loco Autolio, orbatis parentibus et derelictis pueris accipiendis et educandis.

Die VII mensis Septembris anno MDCCCLXXIV piis honestisque parentibus natus in pago patria lingua La Ferté Saint-Cyr vocato, intra fines dioecesis Blesensis, die xvii eiusdem mensis eodem anno baptismum accepit et nomina ei indita sunt Daniel, Iulius, Alexius.

A die xi mensis Aprilis anni MDCCCLXXXVII, quo primum ad mensam Dominicam accessit, statum clericalem sequi statuit; qua re seminarium ingressus, studiorum curriculo laudabliter confecto, die xxii mensis Octobris anno MDCCCLXXXXIX est sacerdos ordinatus, et inde aliquot annos operam impendit in dioecesis suae utilitatem.

Cum autem nomen et veritatem Iesu pervulgandi studio flagraret, obtinuit ut ad Congregationem Missionariorum Sancti Spiritus et Immaculati Cordis Mariae concederet, in qua priora vota religiosa nuncupavit die III mensis Septembris anno MCMIII.

Subinde, ex optato, est ad Senegaliam missus; quae quidem non erat eo omnino pagana Africa, quam is appetiverat; sed Superioribus consideranda fuit Servi Dei valetudo, qui iamdiu capitis doloribus acerbissimis opprimebatur.

Haec vero infirmitas, qua usque ad mortem fuit affectus, perdifficilem reddidit, sed hanc ipsam ob causam, gravium munerum functionem laude digniorem.

Inductus ad decedendum de Africa anno MCMVI, breve tempus egit in Gallia ut se reficeret, per quod de vita contemplativa sequenda cogitavit; sed hoc consilium ad effectum adducere incommoda valetudine impeditus in Africam est reversus ; quae tamen ei semel in perpetuum anno MCMXI relinquenda fuit.

In Gallia Superiores ei mandaverunt ut etiam operam daret Africae, credito munere curandi Opus ((Auxilium Africanum » dictum, cui hoc propositum erat, ut pecuniam colligeret ad aedificandam Dacariae ecclesiam, memoriae causa eorum, qui vitam suam impenderant pro bono et dignitate Senegaliae : eaque ecclesia futura erat cathedralis nascentis urbis.

Sed mox, anno MCMXIV, bellum exarsit; et Servus Dei, de Europa sollicitus, censuit sibi pro parte sua eius bonum esse curandum.

Hinc capellanum se obtulit, ut militibus ministerio sacerdotali prospiceret; tamque audacter et impavide officio suo est functus, ut a potestatibus militaribus sit insignibus decoratus.

Sodalitatem et amicitiam, quae in discrimine oriuntur, Servus Dei conatus est servare etiam post pacem compositam, « Consociatione publica veteranorum » instituta.

Anno MCMXxiii Deus illi aliud negotium dissimillimum quidem concredidit, in quod tredecim extremos vitae annos incubuit; quod negotium in eo erat, ut instauraret Opus « Orphani-tirones » a loco Autolio appellatum. Domus patronam delegit Sanctam Teresiam a Iesu Infante, cuius precibus dona obtinuit et praesidia omne genus, ut plures exciperentur pueri et vestirentur et instituerentur ad artes discendas et in opera mitterentur diplomata consecuti tirocinio confecto.

Videtur in his ministeriis molitoris et moderatoris P. Brottier melius ostendisse omnes dotes suas et virtutes : caritatem ante omnia in eos qui in miseriis versabantur, quique mox ad eum ab omnibus vicis Lutetiae Parisiorum et a provincia concurrerunt; fidem divinae Providentiae, quae sine intermissione eum adiuvit in coeptis ancipitibus et sumptuosis; spem firmissimam Deum numquam deserere eos, qui pro ipso laborant. Quibus theologalibus virtutibus non minores fuerunt cardinales, quae maxime in difficultatibus et in rebus adversis enituerunt.

Letali morbo typhoideo correptus, quem aequo animo pertulit, Servus Dei morientium sacramentis roboratus de vita decessit die xxvni mensis Februarii anno MCMXXXVI.

Fama sanctitatis, qua vivus floruit, in dies post eius mortem crebrescente, agi coeptum est de Beatorum honoribus eidem decernendis. Instructi sunt igitur annis MCMXXXXVI-MCMXXXXIX, ordinaria auctoritate, in Curia Parisiensi, et per rogatorias in Curiis Blesensi et Dakarensi, Processus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere, super scriptis et super cultu liturgico Servo Dei non praestito. Quae iuridicae inquisitiones Romam delatae sunt et excussae. Die autem VIII mensis Octobris anno MCMLVI edito Decreto super scriptis Servo Dei tributis, Decessor Noster Ioannes XXIII introductionem Causae apud Apostolicam Sedem die VIII Februarii anno MCMLXI approbavit. Apostolicae Sedis auctoritate conditi sunt deinde apud Curias Parisiensem et Dakarensem, annis MCMLXII-MCMLXV, super virtutibus in specie Processus. De omnium autem inquisitionum iuridica forma et vi latum est decretum die II mensis Iulii anno MCMLXVI.

Cum postea Congressus Peculiaris Praelatorum Officialium Patrumque Consultorum et Coetus Patrum Cardinalium faventem sententiam pronuntiassent, Nos per Decretum a Sacra Congregatione pro

Causis Sanctorum die XIII Ianuarii anno MCMLXXXIII proditum, ediximus Servum Dei Danielem Brottier heroum in modum virtutes théologales et cardinales hisque adnexas exercuisse.

Denique, post instructum Processum canonicum et praescriptas medicorum et theologorum disceptationes, sanationem infantis Parisiensis Gabrielis Lemoine a bronchopulmonitide bilaterali, precibus Servi Dei Danielis Brottier tributam, Nos, per Decretum die VIII mensis Iunii, anno MCMLXXXIV editum, miraculo effectam esse declaravimus. Post haec omnia est statuta dies ad celebrandam sollemnem Beatificationem, tum eius, tum Iosephi Manyanet et Elisabethae a SS. Trinitate. Hac igitur die, in area ante Basilicam S. Petri patente, inter Missae celebrationem hanc formulam, pronuntiavimus : « Nos, vota fratrum nostrorum Narcisi Jubany Arnau, Archiepiscopi Barcinonensis, Ioannis Mariae Lustiger, Archiepiscopi Parisiensis, Ioannis Balland, Episcopi Divionensis, necnon plurium aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Manyanet, Daniel Brottier et Elisabetha a SS. Trinitate, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Iosephi Manyanet die decima septima Decembris, Danielis Brottier die vicesima tertia Februarii, Elisabethae a Ss. Trinitate die nona Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Novembris, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab. n. 151.SSS.

II

Beata Maria Virgo, sub titulo « Nuestra Señora del Socorro » confirmatur Patrona civitatis et archidioecesis Valentinae in Venetiola.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantopere Mariam Virginem, castissimam Christi Matrem fideliumque omnium parentem, amemus

atque dirigamus, iam non modo omnia acta Nostra Pontificis, sed prope vita cotidiana demonstrat : facere enim non possumus, quin cum Christo, fonte omnium cogitationum Nostrarum, non etiam Matrem copulemus, Filium nempe dulcem ac suavem cum fertilissima generis nostri vite sociantes. Haec autem causa est, cur semper proclives simus, quotiens Virginis gloria, honor, decus agatur. Qua re, cum Venerabilis Frater Aloisius E. Henriquez, Archiepiscopus Valentinus in Venetiola, ab hac apostolica Sede petierit ut electionem Beatae Mariae Virginis sub titulo populari « Nuestra Señora del Socorro)) in Patronam civitatis et archidioecesis Valentinae in Venetiola, quam clerus populusque, tantae Matris amantissimus, fecisset, ipse probasset, Nos confirmaremus, ad normam Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30; Nos, iudicantes hanc confirmationem nonnihil conferre posse ad illius amantissimi gregis profectum; explorato etiam omnia circa electionem et adprobationem ad iuris normam acta esse ; item quae a Congregatione pro Cultu Divino factis a Nobis facultatibus gesta sunt rata habentes, quam aequissimo animo admotis expostulationibus concedimus. Quae cum ita sint, apostolica Nostra potestate electionem et adprobationem, quibus Beata Maria Virgo sub titulo ((Nuestra Señora del Socorro)) patrona civitatis et archidioecesis Valentinae in Venetiola designata est, auctoritate Nostra confirmamus, cum iuribus et privilegiis omnibus iuxta rubricas. Ceterum, in spe sumus fore ut confirmatio haec, praeterquam benevolentiae Nostrae signum, causa etiam sit augendae pietatis erga Deum eiusque benevolentissimam Matrem, cuius honor laus Nostra est.

Datum Eomae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 166.247.

III

Ecclesia paroecialis Sancto Ioanni Mariae Vianney dicata, in archidioecesi Bellohorizontina sita, ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat ecclesiam paroecialem, Sancto Ioanni Mariae Vianney dicatam et in archidioecesi Bellohorizontina sitam, quamvis non longa antiquitate clarescat, quin vero vix ante viginti sex ferme annos sit consecrata, ita tamen brevi auctam esse tantumque operibus et inceptis pastoralibus floruisse, ut magni momenti habeatur, quod ad religionem pertinet, et optimam spem praeluceat in posterum. Par est autem eiusmodi loca sacra quanto magis per aliquem tributum honorem innotescunt, tanto magis frequentatione procedere et attrae ti va crescere virtute. Hinc, Venerabilis Frater Ioannes Resende Costa, Archiepiscopus Bellohorizontinus, huius utilitatis gnarus, cleri et populi christiani preces et vota proponens, ab hac Apostolica Sede petivit ut ecclesia illa ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur. Nos autem, confisi ex concessione pietatem, fidem, morum integritatem fidelium ibi et in universa regione circumiecta degentium non parvos progressus esse facturas, consulta probantes Congregationis pro Cultu Divino, libenti animo postulationem accepimus. Quam ob rem ecclesiam paroecialem Sancto Ioanni Mariae Vianney dicatam, in finibus archidioecesis Bellohorizontinae positam, titulo et dignitate Basilicae Minoris insignimus, servatis iis, quae Decretum « De titulo Basilicae Minoris », die vi mensis Iunii anno MCMLXVIII editum, servanda iubet. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die i mensis Februarii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco SB Sigilli

In Secret. Status tab. n. 169.807.

IV

S. Iosephus, beatae Mariae Sponsus, confirmatur dioecesis Rivoriensis in Mexico Patronus.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum fuerit beatissimus Ioseph intemeratus beatae Mariae Virginis Sponsus, idemque pater Christi putativus, quem et servavit fugiens in Aegyptum, et dilexit intentissimo amore, et nutriit sudore ac manuum labore, merito a multis Christi fidelibus singulari colitur pietate, sincera prece invocatur in aerumnarum auxilium, omnibus exemplum christianarum virtutum proponitur. Qui enim vitae casus expertus cognovit, is facilius aderit invocatus. Cum ergo fideles dioecesis Rivoriensis sint erga illum vera ac sancta affecti religione, petiit Venerabilis Frater Iosephus Maclovio Vázquez Silos, Episcopus Rivoriensis, ut Nos beatissimum hunc caelitem, quem populus sibi Patronum, se probante, delegisset, auctoritate Nostra apostolica confirmaremus, ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30 ; Nos, comperto omnia acta esse ad Iuris praescripta ; considerato praeterea posse rem gregis Rivoriensis fidem augere pietatemque accendere, quam aequissimo animo postulatis concedimus. Qua re, iis probatis quae Congregatio pro Cultu Divino de re gesserit factis olim a Nobis facultatibus, placet S. Iosephum, B. M. V. Sponsum, Patronum dioecesis Rivoriensis esse et haberi, cum iuribus atque privilegiis, quae hunc honorem consequi solent iusta Rubricas, contrariis nihil obstantibus. Ceterum, id caelestem Patrem oramus pectore ab imo, ut per tantum intercessorem velit populum tam earum sibique devotum sub alis divinae omnipotentiae protegere.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvn mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £ß Sigilli

In Secret. Status tab., n. 171.301.

HOMILIA

In basilica Ostiensi habita. Nuntius datur hominum credentium conventus ad pacem fovendam Assisii in proximum habendi.*

« All'improvviso una gran luce dal cielo rifulse intorno a me ».[1]

1. Fratelli, sorelle, pastori e fedeli delle diverse Comunità ecclesiali, riuniti con me accanto al sepolcro dell'Apostolo Paolo, glorifichiamo insieme « la grande luce che dal cielo rifulse attorno a lui ». Fu così forte quella luce, che accecò gli occhi di Saulo,[2] ma illuminò per sempre il suo spirito. Da persecutore divenne apostolo; da bestemmiatore, « strumento eletto per portare il nome del Signore dinnanzi ai popoli e ai figli d'Israele ».[3]

Quella luce, si può dire, rifulse qui, presso il sepolcro di Paolo, quando Papa Giovanni XXIII, il 25 gennaio 1959, annunciò a tutto il mondo l'intendimento di convocare il Concilio Ecumenico Vaticano II.

Quella luce guidò il Concilio nelle diverse fasi dei lavori e nella elaborazione dei suoi magistrali documenti; essa guida ora le nostre Chiese nell'impegno di attuarne gli orientamenti. Per questo l'anno scorso da questo santo tempio è stato annunciato il Sinodo Straordinario dei Vescovi, per il cui felice compimento ora rendiamo grazie al Signore, mentre rinnoviamo l'impegno di proseguire con fedele alacrità sulla strada che il Concilio ha tracciato.

2. Siamo qui raccolti stasera per chiedere al Signore che la sua luce rifulga davanti agli uomini della presente generazione. Ci conforta in questa invocazione la promessa che abbiamo ascoltato dalle parole del profeta Isaia: Il Signore « Strapperà su questo monte il velo che copriva la faccia di tutti i popoli ».[4] Un velo, in tutto l'arco della storia umana, ha in parte oscurato all'uomo la luce di Dio. L'uomo, a motivo del « velo » che ne ottenebra lo sguardo interiore, riesce spesso a cogliere soltanto un riflesso, oscuro e deformato, della verità di Dio: come in uno specchio, oppure, secondo un'altra celebre immagine, come nel fondo di una caverna.

* Die 25 m. Ianuarii a. 1986.

[1] *At* 22, 6.

[2] cfr. *Ibid.* 22, 11.

[3] *Ibid.* 9, 15.

[4] *Is* 25, 7.

Ma il Signore, nella parola della sua promessa, dà appuntamento a tutti i popoli su di un monte :[5] su quel monte strapperà il velo- La luce della gloria si riverserà dappertutto, illuminando ogni tenebra e moltiplicando la gioia.

« Su di un monte)), dice il profeta Isaia. Di che cosa è immagine quel « monte? » Per noi che siamo testimoni della realizzazione della profezia, la risposta è facile : quel monte è simbolo della Chiesa. Non è forse nella Chiesa che il Signore ha imbandito il ((banchetto)> dell'Eucaristia? Non è forse in essa che, con la luce del Vangelo, Egli « ha strappato il velo che copriva la faccia dei popoli »? Non è la Chiesa anticipazione nel tempo di quel che avverrà alla risurrezione, quando Dio « eliminerà la morte per sempre »?

Se questo è la Chiesa, allora in essa deve rifulgere la luce del Signore, perché gli uomini possano esserne attratti e, muovendosi verso di essa, trovarvi la salvezza. La luce del Signore risplende nella potenza del messaggio di cui la Chiesa è banditrice, e nella santità della vita con cui essa lo testimonia davanti al mondo.

3. Questa luce ha brillato vivacemente nella Chiesa primitiva, alla quale apparteneva Saulo di Tarso, divenuto poi Paolo, che nella seconda Lettura ci ha ricordato la propria conversione.

La prima ora del cristianesimo è caratterizzata dalle meraviglie compiute da Dio nel cuore di uomini e di donne appartenenti al popolo di Gesù. Nel manifestarsi di tali meraviglie noi scorgiamo, con stupore sempre nuovo, l'inizio del compimento della profezia di Isaia : Dio comincia a strappare il velo che ricopre il volto dei popoli.

Lo strappa dal volto di Paolo : nella teofania della strada di Damasco, l'uomo di Tarso di Cilicia incontra ciò che contemplerà per tutto il resto dei suoi giorni e annunzierà al mondo intero : il Mistero di Cristo vivente nella Chiesa. In quella ((grande luce »[6] che lo getta al suolo chiamandolo per nome, egli riconosce la pienezza meridiana di quella stessa luce che risplendeva già, come nella sua aurora, nella Chiesa nascente.

Divenuto apostolo egli consumerà la sua vita feconda per convocare tutti i popoli, secondo l'oracolo del profeta, su quel monte dove Dio ha definitivamente lacerato il velo, donando alla vita dell'uomo, nella

[5] ***Ibid.*** **25, 6.**
[6] ***At*** **22, 6.**

coscienza e nell'esperienza dell'amore di Cristo, un'anticipazione della gioia promessa per il banchetto eterno.

4. ((Andate in tutto il mondo e predicate il vangelo ad ogni creatura)).[7] Il comando di Cristo, che Paolo di Tarso ha accolto con cuore generoso, ha continuato a risuonare nella Chiesa, suscitando nel corso dei secoli schiere di apostoli pronti ad affrontare disagi e fatiche per portare alle genti la parola della salvezza.

Anche la Chiesa di oggi sente urgente dentro di sé il dovere della missione. Essa desidera servire l'uomo con tutte le sue forze ; e il primo fondamentale servizio, essenzialmente legato alla sua ragione d'essere, resta la predicazione del Vangelo ad ogni creatura.

Ma la fedeltà al comando missionario del Signore esige che la Chiesa, nella sua stessa esistenza, lasci trasparire più chiaramente il mistero che la costituisce, perché anche l'uomo contemporaneo sia conquistato dallo splendore che da esso promana.

Si comprende subito, da questa prospettiva, la ragione per la quale il compito ecumenico della ricostituzione dell'unità visibile fra tutti i cristiani sia oggi una delle maggiori preoccupazioni : la realizzazione più matura e compiuta della natura della Chiesa come segno sacramentale dell'unità è la luce che il mondo oggi specialmente attende.

5. L'esperienza del Sinodo Straordinario dei Vescovi ha mostrato quanto sia vivo oggi il desiderio, in obbedienza alla luce dello Spirito, di rivivere l'esperienza della stessa Chiesa nel mattino della Pentecoste, al cenacolo di Gerusalemme.

L'indivisibile pienezza allora ricevuta dalla Chiesa nascente era chiamata a svilupparsi, nel corso dei secoli, in una molteplicità di forme storiche diverse e complementari, perché le legittime varietà lungi dal nuocere servissero all'unità « che Cristo fin dall'inizio donò alla sua Chiesa e che crediamo sussistere, senza possibilità di essere perduta, nella Chiesa cattolica ».[8]

Il compito ecumenico mira a questo traguardo : realizzare la Chiesa come sacramento dell'unità sinfonica delle molteplici espressioni di tutta intera la fede cattolica, a immagine del Mistero trinitario, sorgente e fondamento di ogni unità.

Per questa nobilissima causa noi abbiamo pregato durante questa settimana, che è intensamente celebrata nelle Chiese di tutto il mondo.

[7] *Mt* 16, 15.

[8] *Unitatis Redintegratio*, 4.

Adesso, concludendola in questa Basilica veneranda, io desidero salutare e ringraziare con particolare affetto i rappresentanti delle Chiese ortodosse, anglicane ed evangeliche, che sono qui presenti e che costituiscono, assieme a noi, un unico coro di lode e di preghiera.

Questo momento liturgico sia « culmen et fons » per un rinnovato slancio dell'impegno ecumenico a livello universale e nelle singole Chiese locali, in particolare nella Chiesa di Roma ove, grazie a Dio, fervono numerose iniziative di dialogo, di ascolto della Parola e di collaborazione in vari servizi caritativi. Le Chiese in Italia hanno accolto con gioia la traduzione interconfessionale dell'intera Bibbia, che anche in questa Basilica è stata l'anno scorso solennemente presentata ai giovani nella festa dei Santi Apostoli Pietro e Paolo.

Auspico che intorno al rinnovato interesse per la lettura e la meditazione della Parola di Dio, si crei una mentalità nuova, fraterna e riconoscente per quanto Dio ha fatto nel nostro secolo riavvicinando i cristiani dispersi.

6. In questo cammino di preghiera e di servizio compiuto insieme da fratelli delle diverse comunità ecclesiali, ci guidi con efficace chiarezza la luce che conquistò Paolo, e ci spronino l'intercessione e l'esempio dei Santi. Invochiamo la protezione di Paolo, ma anche di un Papa, che qui è vissuto come Monaco e poi Abate, Gregorio VII, Ildebrando di Soana, di cui è stato recentemente celebrato il IX Centenario della morte. In risposta all'Imperatore Michele di Costantinopoli, il quale per mezzo di due Monaci aveva inviato, come il Papa riconosce, <(una lettera piena della dolcezza del vostro amore e di non poca devozione da voi nutrita per la santa Chiesa Romana », San Gregorio VII incarica il Patriarca di Venezia di farsi messaggero dei suoi sentimenti : « Noi infatti non solo desideriamo rinnovare la concordia tra la Chiesa Romana e ... l'antica Chiesa Costantinopolitana, ma anche, se sarà possibile e per quanto ci sarà concesso, aver pace con tutti gli uomini » .[9]

7. Pace all'interno della Chiesa, pace fra tutti gli uòmini.

Le parole di Papa Gregorio VII acquistano un'eco di particolare attualità in questo 1986, che l'Organizzazione delle Nazioni Unite ha proclamato Anno Internazionale della Pace. Nessun cristiano, anzi nessun essere umano, che creda in Dio Creatore del mondo e Signore della storia, può restare indifferente di fronte ad un problema che tocca

[9] Lettera Anno 1073; P.L. 148, 300-301

così intimamente il presente ed il futuro dell'umanità. È necessario che ciascuno si mobiliti per recare il proprio contributo alla causa della pace. La guerra può essere decisa da pochi, la pace suppone il solidale impegno di tutti.

In questa prospettiva, io lancio un pressante appello a tutti i fratelli e sorelle cristiani e a tutte le persone di buona volontà perché si uniscano durante questo anno in insistente e fervorosa preghiera per implorare da Dio il grande dono della pace. La Santa Sede desidera contribuire a suscitare un movimento mondiale di preghiera per la pace che, oltrepassando i confini delle singole Nazioni e coinvolgendo i credenti di tutte le Religioni, giunga ad abbracciare il mondo intero. Interessanti iniziative sono già state prese in questo senso da alcune Chiese d'Oriente e di Occidente e da alcune Organizzazioni religiose. Auspico che tale spirituale impegno di orante solidarietà si diffonda, raccogliendo sempre più larghe adesioni nel mondo.

In questa occasione solenne desidero al riguardo annunciare che sto avviando opportune consultazioni con i Responsabili non solo di varie Chiese e Comunioni cristiane, ma anche di altre Religioni del mondo, per promuovere con essi uno speciale incontro di preghiera per la pace, nella città di Assisi, luogo che la serafica figura di San Francesco ha trasformato in un centro di fraternità universale. Sarà una giornata di preghiera, nella quale il movimento spirituale sopra menzionato avrà uno dei suoi momenti più significativi e più alti. La data e le modalità di tale incontro saranno precisate, non appena sarà possibile, d'intesa con coloro che accetteranno l'invito a partecipare.

Voglia il Signore accogliere le nostre suppliche e concederci che l'anno da poco iniziato possa registrare sostanziali progressi nell'intesa ecumenica e nella volontà di pace.

EPISTULAE

I

VENERABILI FRATRI NOSTRO AUGUSTINO S. R. E. CARDINALI CASAROLI AD SOLLEMNIA IN HONOREM SANCTORUM CYRILLI ET METHODII IN IUGOSLAVIA LEGATO.

Participes quadamtenus Nos esse cupientes sollemnium ipsarum celebrationum quas, ut convenienter undecimum iam exactum com-

memoretur saeculum a Sancti Methodii obitu, ecclesialis communitas in Iugoslavia rite indixit, tibimet ipsi, Venerabilis Frater Noster, officium munusque concredere statuimus ut ad eos te amatos populos Noster tamquam Legatus conféras. Te, inquimus, ipsum omnino eandem hanc ad legationem destinare voluimus, qui proxime scilicet Nos in cotidianis operibus ac laboribus adiuvas universalis ministerii pastoralis, ut hoc etiam documento maximum animi adfectum declaremus qui cum illius Nos dilectae Nationis coniungit fidelibus utque pietatem simul eximiam significemus, quam erga Sanctum Methodium Fratremque ipsius Sanctum Cyrillum fovemus perpetua dignos memoria Apostolos gentium Slavarum. Nomine enim illo, *Slavorum Apostoli*, sunt quidem appellati a Nobis ac salutati in Epistula Encyclica, quam ad Christianos omnes cohortandos scripsimus nuperrime ut deprehendant « in eorum vita et actione apostolica... quaedam, quae iis continentur quaeque divina Providentia in iis posuit, ea mente ut aetate nostra patefiant nova plenitudine novosque fructus afferant » (n. 3).

Certam praeterea alimus spem, Epistulam illam magno sane cum studio receptum iri a Iugoslaviae Ecclesiis, quandoquidem exploratus plane Nobis est oriens sua sponte cultus, qui iisdem in terris communiter ab hominibus defertur primos ad illos nuntii evangelici praecones inter Slavicas gentes. Quod notandum est, ecclesiastica Regio Croatiae atque Slavoniae, ex quo constituta anno MDCCCLII erat, suos Patronos agnovit duobus in Fratribus Sanctis, quibus item velut principalibus Patronis concreditae archidioeceses sunt Labacensis et Belogradensis, dum ipsos tamquam Compatronos veneratur dioecesis Mariborensis-Lavantina, Reperiuntur eiusdem pariter pietatis luculentae testificationes in vita operaque filiorum Iugoslaviae illustrium; nec insignes desunt studiorum Cyrillo-Methodianorum cultores, qui amatae illius inter fines Nationis sunt ipsi nati.

Ecclesiali igitur communitati in Iugoslavia non inexspectata accidit nec mira invitatio Nostra ad « Christianos omnesque homines bonae voluntatis, quibus bonum, concordia, unitas Europae sunt cordi », ut videlicet species intueantur « egregiorum virorum Benedicti, Cyrilli et Methodii; qui vera sunt exempla et praesidia spiritalia Christianis aetatis nostrae, potissimum vero Nationibus continentis Europaeae, quae iam pridem maxime ob horum Sanctorum deprecationem et operam, conscie, peculiari sua ratione in Ecclesia ac traditione sunt radicatae » *(Slavorum Apostoli*, **2).** Cuius porro rei aerem sese habere

conscientiam iam testatae sunt christianae communitates Iugoslaviae, quae proprios per Episcopos in praevia nempe Epistula ad centenariae memoriae Iubilaeum extulerunt bona ipsa, quae Sancti Cyrillus et Methodius huic nostrae etiam aetati tradunt uti pignos spemque simul temporis venturi. Haec nominatim bona sunt : avidum prorsus desiderium, ut evangelica nuntiatio unumquemque populum ratione humanioris cultus ipsiusque spiritus attollat atque in divinae salutis consilium, quod per temporum vices in rem deducitur, propria cum qualitate primigena et dignitate inducat ; firma quidem sententia — mundi christiani unionem contingere posse in rationabili varietate at in essentiali semper unitate; tenax quaedam repugnantia adversus omnem imparem hominum Nationumque distinctionem.

A Summis quoque Pontificibus in Beatissimi Petri Cathedra Nos antegressis eadem agnita sunt bona. Qui duorum Evangelii Praeconum ac Magistrorum inter Slavicos populos utilitatem praesentem et imaginem in exemplum praefulgentem universae Ecclesiae horum temporum celebraverunt saepius ipsos Iugoslaviae Episcopos suis sermonibus adlocuti : sic profecto Leo XIII Litteris, quibus titulus *Etsi perspecta,* die VIII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXI Archiepiscopo Iadrensi inscriptis necnon Dalmatiae reliquis etiam Episcopis; ita aequabiliter Pius XI sua Epistula a verbis *Quod Sanctum Cyrillum* incipiente ad Archiepiscopos et Episcopos Serbiae Croatiae Sloveniae reddita die XIII mensis Februarii anno MCMXXVII (cfr. *AAS* 19 [1927], pp. 93-96).

Verum ceteros ante omnes ut primus Slavicae originis Pontifex Maximus, spiritali pacto nos coniungi sentimus cum Slavicarum gentium Apostolis Sanctis. Religio christiana, in Spiritu Sancto ad effectum deducta secundum perpetuam Evangelii doctrinam numquam imminuit neque impedivit, sed provehit contra atque extollit conscium illud et responsale vinculum, quo quisque credens suum pertinet ad populum, dum ex altera simul parte auget in credente sinceram quandam observantiam cunctos erga Populos humanique cultus formas et ipsi persuadet arcana via ubique succrescere posse Verbi Divini semina.

Quaecumque inter Slavicos populos antehac evenerunt ex actuosa Sanctorum Cyrilli et Methodii industria et aliorum, qui exemplis ac praeceptis eorundem Fratrum instructi sunt et incitati, utinam his item diebus contingere pergant per concordem omnium operam quotquot in ipsis caelestes conspicantur Patronos qui numquam parati non sunt singulis auxilio venire invocantibus illos. Ut hoc inter carissimos

Iugoslaviae populos praecipue eveniat, quibus semper in animo peculiarem colimus adiectum.

Graves eventus conversionis rerum publicarum Gallicarum (quae annis 1789-1794 fuit) tamquam procella ingruerunt etiam in familiam Mole, quae tam multas vexationes et violentias est passa, ut die 20 mensis Aprilis a. 1794 maritus Servae Dei guillottiniano supplicio necatus sit; ea vero, apprehensa, ideo tantum vitare potuit ne capite damnaretur, quia ex eius valetudine conici poterat eius excessum e vita non fore longinquum.

Praeter acerbum luctum, quem christiana fortitudine tulit, Serva Dei bonorum et domus confiscatione affecta et, ab omnibus derelicta, ad pauper confugit tectum.

Incommoda, privationes, morbus quo laborabat et aegrimoniae quibus angebatur videns filios in tantam incidisse miseriam, ante oculos proposuerunt eius animi vim et amorem crucis Christi, cui, in iis rerum angustiis, se consecrare quam primum et in perpetuum proposuit.

Contentionum publicarum exacta tempestate, potuit res familiares recuperare et se dedere filiis formandis quod ad mores et ad eruditio^ nem atque doctrinam spectabat, eosque in felici et digno matrimonio collocavit.

Sui matris officiis optime iuncta, Episcopo Antonio Xaverio May< meaud de Pancemont prudenter moderante, ab anno 1788 suo spiritus magistro, anno 1803 Dariorigi Congregationem Sororum Caritatis à Sancto Ludovico instituit, quae praecipue eo pertinebant, ut se iii operam Christi redemptricem consociarent per puellarum desertarum educationem.

Cupiebat sane in solam precationem incumbere, abdita et a mundo segregata, ut scelesta in ea rerum publicarum conversione patrata expiaret, sed submisse magistro spiritus paruit, qui eam hortabatur ad Institutum condendum, quod ante omnia ad opera apostolatus se conferret. Die 25 mensis Maii anno 1803 votorum religiosorum professionem publicam fecit, quae iam privatim nuncupaverat anno 1796, et nomen capit Matrem Sanctum Ludovicum. Eodem die dominus Maymeaud de Pancemont, episcopus Dariorigensis seu Venetensis, cum

iamdiu cognovisset eius sincerum amorem in Ecclesiam, pietatem et studium salutis animarum, eam nominavit Antistitam Generalem novi Instituti quoad ea viveret; quod Institutum semel Sedes Apostolica approbavit anno 1840.

Etsi se munere sibi commisso indignam putabat, tamen Antistitae munia optime explevit, conficiens ea, quae postea Concilium Oecumenicum Vaticanum II docuit de officiis superiorum Institutorum vitae consecratae : « Superiores, rationem pro animabus sibi commissis reddituri (cf. *Hebr* 13, 17), voluntati Dei in munere explendo dociles, in spiritu servitii pro fratribus auctoritatem exerceant, ita ut caritatem, qua Deus illos diligit, exprimant. Subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes » (Conc. Oec. Vat. II, Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae, *Perfectae Caritatis,* 14).

Serva Dei in Instituto regendo non communem ostendit prudentiam, benignitatem et animi firmitatem, diligentiam in hortandis Sororibus ad conficiendas pariter vias contemplationis, humilitatis, crucis, industriae apostolicae et caritatis. Cum in integra regularum observantia omnino maneret, exigebat ut idem facerent Sorores sodales, quarum erat fida rectrix, sapiens consiliorum particeps, mater semper vigilans et studiosa earum bonum proprium et commune fovendi. Omnes antecedebat obsequio erga voluntatem Dei; non in res terrenas maxime insistebat, sed in caelestes, et putans vitam consecratam esse pretiosam margaritam (cf. *Mt* 13, 45-46), omnia conabatur, ut omnes verbum suum et omne factum digna essent accepta vocatione, et ideo continuae laudi Domino essent, uti Sanctus Augustinus docet : <(Laudas cum agis negotium, laudas cum cibum et potum capis, laudas cum in lecto quiescis, laudas cum dormis; quando non laudas? Perficietur in nobis laudatio Dei, cum ad illam civitatem venerimus, quando effecti fuerimus aequales angelis ... Ad illam perfectissimam laudem exerceamus nos laudatione ista in bonis operibus)) (S. Augustinus, *Enarratio in Ps.* 146).

Fides et amor fuerunt eius lorica et spes salutis galea eius (cf. *1 Tess* 5, 8) ; lucerna pedibus eius fuit crux Christi, cui omnibus viribus adhaesit, nitens adimplere in carne sua ea quae desunt passionum Christi, pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col* 1, 26). Gratia divina fortis facta, proelium vicit contra mundi illecebras et impedimenta sibi opposita in via ad perfectionem; quin immo acerbitates et difficultates, quae multae eam, familiam eius et eius Insti-

tutum expresserunt, eius voluntatem confirmaverunt, ut se Deo dicaret, et firmius fecerunt foedus amicitiae cum Domino ictum, in quo totam fiduciam et gaudium collocaverat. Perfecta fuit in servando mandato : ((Qui diligit Deum diligat et fratrem suum » *(1 Io* 4, 21). « Ratio autem diligendi proximum Deus est : noe enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est quod idem specie actus est quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus caritatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi » (S. Thomas, *Summ. Theol.,* II-II, q. 25, art. 1, c). Continua caritate prosecuta est maritum, filios, pauperes, Sorores sodales, puellas desertas. Dilexit Ecclesiam et fideliter servivit ei, quae est « in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis » (Conc. Oec. Vat. II, Constitutio Dogmatica *Lumen Gentium,* 1) ; pro Regni Dei propagatione sine intermissione precationes peragebat, de suis commodis multa detrahebat, parce ac duriter se habebat, utque idem consilium sequeretur, novam condidit religiosam familiam, quae ea etiam vivente est non mediocriter aucta. Magni fecit etiam iustitiam, paupertatem, castitatem et oboedientiam. Se abnuebat, libenter obsequendo praescriptionibus superiorum ecclesiasticorum, maxime magistrorum spiritus. Et quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (cf. *Iac* 4, 6), fundamentum sui aedificii spiritualis posuit humilitatem ; namque « qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat » (S. Gregorius Magnus, *Expositio in septem Psalmos paenitentiales, Expositio tertii Psalmi,* v. 3, n. 3). Animam suam copiose alebat precatione, ardenti pietate erga Eucharistiam, Passionem Domini, Sacrum Iesu Cor, Virginem Mariam; quo maiores progressus faceret in Christi imitatione, multis votis privatis se obstringebat, quae consensu magistri spiritus suscipiebat.

Tantam explicavit alacritatem, quamquam cordis morbo erat correpta, qui multos annos eam vexavit quique ab anno 1820 in deterius mutatus est. Religionis solaciis munita, pie sancteque e vita discessit Dariorigi die 4 mensis Martii anno 1825.

Fama sanctitatis, quam sibi in vita comparaverat, post mortem duravit, sed Causa beatificationis et canonizationis, ob rationes ad eam non attinentes, inita est solummodo anno 1959, cum apud Curiam Episcopalem Venetensem coeptus est celebrari Processus Ordinarius Informativus (annis 1959-1962). Anno 1961 Quebeci instructus est Processus Rogatorialis. Per rescriptum die 29 mensis Ianuarii anno 1962

datum Sacra Rituum Congregatio Episcopo Venetensi permisit ut Commissionem Historicam constitueret instrumentis colligendis Causam contingentibus. Die 14 mensis Novembris anno 1966 editum est Decretum super scriptis Servae Dei tributis; die 9 mensis Iunii anno 1976 Consultores Historici, faventi cum exitu, consultaverunt de *Positione super Introductione Causae et virtutibus,* ab Officio Historico-Hagiographico Congregationis pro Causis Sanctorum exarata. Decretum de non cultu proditum est die 8 mensis Iunii anno 1979. Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 25 mensis Iunii anno 1985 habito, Servam Dei christianas virtutes heroum modo coluisse censuerunt. Deinde in Congregatione Ordinaria, die 19 mensis Novembris a. 1985, et Patres Cardinales et Episcopi, Ponente Causae Exc.mo D.no Paulino Limongi, Archiepiscopo tit. Nicaeensi in Haemimonto, professi sunt Servam Dei, virtutes théologales, cardinales eisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

De hisce omnibus certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, mandavit ut Decretum conficeretur super heroicis eiusdem Servae Dei virtutibus.

Hodierna tandem die, accitis Cardinali infrascripto Praefecto atquae praedicto Archiepiscopo Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis pro Causis Sanctorum ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis Servae Dei Mariae Ludovicae Elisabeth de Lamoignon viduae Molé de Champlâtreux (in religione Matris S. Ludovici), in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 16 Ianuarii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

VERONEN.

Canonizationis Servi Dei Ioannis Calabria, Sacerdotis Fundatoris Congregationum Pauperum Servorum et Pauperum Servarum a Divina Providentia (1873-1954).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Solum nobis curae sit sanctum Dei regnum quaerere et iustitiam eius, effectiva Domini nostri Iesu Christi cognitione, contendentibus ut Deo adiuvante omnes quodammodo evangelia viventia simus, impleti et exundantes caritate in omnes, in omnes animas ». Haec verba, quibus Ioannes Calabria ardenter suos est allocutus religiosos, vitam eius omnino complectuntur.

Servus Dei ex pauperibus parentibus, Aloisio Calabria et Angela Foschio, natus est die 8 mensis Octobris anno 1873 Veronae ; quae dioecesis etiam non multo ante nos est ampie ab insignibus ecclesiasticis illustrata, ex quibus iuvat nos commemorare beatos Gasparem Bertoni (**f** 1853) et Ioannem Henricum Carolum Steeb (**f** 1856), Venerabilem Iosephum Nascimbeni (**f** 1922), Servos Dei Antonium Provolo (**f** 1841), Petrum Leonardi (**f** 1844), Nicolaum Mazza (**f** 1865), Danielem Comboni (**f** 1881), Iosephum Baldo (**f** 1915).

Puer a matre formatus, educatus in Instituto cui nomen erat Nicolaus Mazza, claram erga Deum allegationem ostendit et erga sacra atque singulare Evangelii studium, Die 29 mensis Maii anno 1882 Confirmationem accepit et die sollemni Pentecostes anno 1883 primum, magno cum fervore, Eucharistiam. Cotidie ad ecclesiam Sancti Laurentii adibat, ut Missae inserviret, Ut, suo labore, familiae pauperrimae et insuper patris morte exercitatae, opitularetur, bis debuit ludos elementarios intermittere, quos ad id temporis laudabiliter frequentaverat apud Institutum Patrum a S. Stigmatibus Domini Nostri Iesu Christi. Et quidem in labore ante oculos proposuit magnam suam apostolicam sedulitatem, quam animadvertit rector Sancti Laurentii dominus Petrus Scapini, qui eius praeparationem

privatim suscepit ad examen probationis subeundum, ut in lyceum admitteretur apud Seminarium dioecesanum Veronense, in quod ascriptus est, tamquam externus, anno 1882.

Persuasio se ad sacerdotium vocari, multa pietas et firmitas voluntatis, quam hauriebat ex cura respondendi maxima constantia amori Dei, effecerunt ut, fidei spiritu nisu, magnas difficultates et acerbitates superaret, quae ex summa paupertate, exiguo nutricatu, imbecilla valetudine, privatione iustae scholae praeparationis, indignitatibus et pravis interpretationibus oriebantur. His omnibus rebus adversis promptior factus est ad Christum sequendum eique se totum dedendum, mature doctus vitam amittere pro Domino suo proque Evangelio (cfr. *Me* 8, 35), et experiri per se totam vitam christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crucem esse atque martyrium (cfr. S. Augustinus, *Sermo* 207, n. 3, *ML* 39-1039).

Annis 1894-1896 lycei scholas intermisit ut stipendia in sua urbe mereret; per quod tempus commilitonibus et superioribus exemplo fuit. Studiis recultis, anno 1897 vestem talarem induit. Scholae munia non omittens, multum temporis insumpsit in assidendo aegrotis, prò quibus constituit, approbante auctoritate dioecesana, « Piam Unionem pro curatione aegrorum pauperum ». Die 11 mensis Augusti a. 1901 presbyteratus ordinem accepit. Postea fuit Vicarius cooperator in paroecia Sancti Stephani (annis 1901-1907), et deinceps Vicarius ecclesiae Sancti Benedicti ad Montem (annis 1907-1911). Omnes, superiores et populus, mirabantur in eo sacerdotem humilem, pium, pauperem, omnino ministerio sacerdotali deditum, praesertim confessionibus et caritatis operibus. Iis annis, pueris derelictis non tantum portas cordis, verum etiam parvae suae et pauperis domus aperuit, eos apud se perpetuo et gratuito excipiens, caritatem adhibens, quam Paulus VI definivit « indefatigatam et etiam audacem » (cfr. *L'Osservatore Romano,* 21 *dicembre* 1972), pro certo habens se in illis Christo servire (cfr. *Mt* 25, 40). Die 26 mensis Novembris anno 1907, a quodam sacerdote et nonnullis laicis adiutus,« Domum Bonorum Puerorum » condidit, pro pueris pauperibus, orbis et derelictis. Anno 1908 « Opus Dei » — uti is Domum illam appellabat, quandoquidem vere a Deo institutam existimabat ipseque se villicum et custodem (vulgo ((*casante* ») putabat — sede mutata constitit in oppido *8. Zenone in Monte,* ubi celeriter crevit et ab anno 1920 ad alias dioeceses se extendere coepit, dum ad longinquas Indiae regiones pervenit.

Item anno 1908, multiplicatis adiutoribus, primas «Sanctas Nor-

mas » promulgavit eius Instituti, quod deinde fuit « Congregatio Pauperum Servorum a Divina Providentia ». Huic munus commisit, quod ei iuveni sacerdoti Dominus inspiraverat quodque confessor et magister pietatis, P. Natalis a Iesu, O.C.D., confirmaverat: (c Ut mundo testaretur divinam Providentiam esse, Deum non extraneum esse, sed Patrem et de nobis curam agere, dummodo nos de eo cogitemus et nostrum praestemus ofiicium, seu quaeramus primum regnum Dei et iustitiam eius» (cfr. *Mt* 6, 25-34). Et ut «mundo atheo eius aetatis probaret Evangelium numquam sibi discrepare, quia eius verba sunt omnia consecrantia », « domibus » suis recepit pueros tum quoad res corpóreas tum quoad mores indigentes, valetudinaria aedificavit et « hospitia », ut aegris et senibus astaret in corporum et animorum necessitatibus; suas domus formationis aperuit iuvenibus et adultis pauperibus, eos adiuvaturus ut suam quisque sacerdotalem vel religiosam vocationem assequerentur in Ecclesia, iisdem gratis assidens usque ad theologiam aut donec consilium caperent vitam religiosam eligendi, data postea iis libertate praeoptandi illam Dioecesim aut Congregationem, quam Dominus suggessisset; statuit suos religiosos apostolatum exercere in locis pauperrimis, unde nihil humani sibi exspectarent. Et haec, nullam patrociniis humanis fidem habens, sed divina Providentia confisus, persuasum habens ex verbo Domini Eum, qui pascit volatilia caeli et cooperit lilia agri (cfr. *Mt* 6, 25 ss.), numquam siturum usus vitae necessarios et alimentum deesse.

Die 11 mensis Februarii anno 1932 Episcopus Veronensis Hieronymus Cardinale novam Congregationem approbavit et die 4 Martii eodem anno Servus Dei priorem professionem religiosam fecit. Sed ut plene perficeret imaginem illam propheticam vitae religiosae, quam animo concipiebat quamque magister pietatis ei confirmabat « esse voluntatem Dei pro illis temporibus », multa ei patienda fuerunt. Sed Dominus, per pontificiam approbationem die 25 mensis Aprilis concessam anno 1949, eius fidem, humilitatem, oboedientiam erga Ecclesiam, immensam caritatem in eos, qui tam multorum corporis et animi dolorum ei causa fuerunt, decoravit praemio. Ut Institutum virorum fulciret, iam anno 1914 condiderat Institutum mulierum, videlicet « Piam Unionem », quae die 25 Martii approbata est ab Auctoritate dioecesana tamquam « Congregatio Pauperum Servarum a Divina Providentia », cui eadem ac Instituto virorum erant proposita, sed Constitutiones et Regimen proprium.

Divinitus praevidens « horam laicorum » advenisse, Servus Dei in

lucem protulit et magni fecit vocationem, qua hi in Ecclesia fungebantur ex suo sacerdotio regali, constituendo die 8 mensis Octobris anno 1944, cum ecclesiastica approbatione, « Familiam Fratrum Externorum », compositam ex saecularibus professiones exercentibus, qui vere pro Evangelio viverent, secundum spiritum Congregationis proprium, in suis familiis, in campo suae civilis professionis suique loci in societate.

Semen totius eius apostolicae et beneficae industriae — dictus est « contemplativus apostolatus » — fuit intellegentia, per Evangelium, amoris Dei Patris eiusque Filii Iesu Christi erga hominem. Hinc cotidianus et acerrimus aestus, quo Servus Dei excitabatur ut magis ac magis Dei voluntatem cognosceret et secundum hanc voluntatem quacumque ratione viveret. « Aut sanctus aut mortuus » erat dictum eius. Et addebat : « Volo sanctus fieri, ut alios sanctos efficiam », et etiam : « Iesu, fac me totum tuum, ut tuas faciam animas ». Et haec fuit perfectio eius, fuisse « evangelium vivens » sicut appelatus est. Eam ob rem magna vox prophetica sui temporis fuit , « Ecclesiae lumen », « Margarita cleri Italici », « quasi divus alter Caietanus », pro Ecclesiae et societatis renovatione iuxta Evangelium. « Urget, inde a seminario, clerum saecularem et regularem ad salutem animarum informare omnibus rationibus, quas et Ecclesia et praesentes necessitates suadent. Sed hoc facere oportet — Servus Dei clamabat — secundum integrum Evangelium, sine imminutionibus, sine accommodationibus, sine compromissis ». Et propter vitam suam prorsus in Deo mersam eiusque regni donatam, ac propter suam perspicuam cum Evangelio congruentiam, factus est signum, propheta percontandus, ut Dei voluntas cognosceretur. Episcopi, sacerdotes, religiosi et laici eum habuerunt magistrum tutum sibi suisque inceptis. Plures « motus » ecclesiales, Evangelium fermentantes in societate, ab eius illuminato consilio et hortamento initium ceperunt.

Vi, ab eo delapsa, quod erat « ipsa humilitas » — ipse se definiebat ((nihil et miseriam » — e sanctae vitae suae auctoritate, suas institutiones suamque dioecesim transgressus, campum suum dilatavit usque ad fines Ecclesiae, suum esse existimans consilium Incarnationis Filii Dei. Tempus illud fuit, quo vehementer, dolenter, audacter maximas auctoritates ecclesiasticas compellabat, sacerdotes, religiosos, laicos religione districtus. Tempus fuit coeptorum — tum rerum mutationes molientium —, quibus unitati christianorum, disiunctorum admotioni, recuperationi et restitutioni sacerdotum, in difficultatibus

versantium, faveretur, toti consecratorum instaurationi per reditum ad ((apostolicam vivendi formam ». Fuit etiam tempus vitae eius acerbissimum, et arcano quidem. Videbatur sibi impositum sentire onus mali totius humani generis; videbatur Christus eum participem fecisse sui in Gethsemani et in Calvaria angoris eumque uti « victimam » devotum pro Ecclesiae sanctificatione et mundi salute accepisse. Tempus fuit, quo in suo memoriali libello notavit et Cardinali Schuster scripsit, qui eum cum Servo Jahve comparaverat (cfr. *Is* 53, 10) : ((Vox Iesu "Ecclesia mea, sacerdotes mei, religiosi mei, populus meus" in Sancta Missa plus plusque instat et urget ». Etiam ea « hora », quae ab anno 1948 usque ad mortem duravit (a. 1954), Servus Dei se Patris voluntati permisit, testificans, et quoque « sensuum et spiritus nocte », fidem quam Deo Patri tribuebat et divinae Providentiae fiduciam, preces quodammodo emendicans « ut donum doloris mente comprehenderet ».

Venit in conspectum Domini cum eximio sui ipsius dono; namque vitam suam obtulit pro Pontifice Pio XII, tum graviter aegrotante. Et extrema eius verba fuerunt splendidus exitus vitae, quam totam consumpserat ut caritas floreret : « Sentio Dominum bene mihi velle ; sentio eum mihi obviam procedere ». Primo diluculo de vita decessit, die 4 mensis Decembris anno 1954. Cardinalis Schuster iam verba dictaverat in eius sepulcro inscribenda : « Vita, scriptis et providis institutis pauperibus consulens, Dei Ecclesiae lumen effulsit ». Servus Dei Pius XII eum « exemplum evangelicae caritatis » appellavit.

Fama sanctitatis, quam sibi vivus comparaverat, post mortem crevit; qua re, laudabili cum properatione Curia Episcopalis Veronensis Causam Beatificationis iniit. Acto Processu Ordinario Veronensi (annis 1957-1964) simulque Processibus Rogatorialibus Romano (annis 1959-1960) et Viiayavadano in India (anno 1960), edita sunt Decreta super scriptis Servi Dei (anno 1968) et super Introductione Causae (die 6 mensis Martii anno 1981). Annis 1981-1982 instructus est Processus Apostolicus ; anno 1982 proditum est Decretum de non cultu, et die 31 Martii anno 1984 Decretum de auctoritate horum Processuum. Die 8 Octobris anno 1985, qui dies natalis erat Servi Dei, Consultores Theologi Congregationis pro Causis Sanctorum, in Congressu Peculiari congregati, professi sunt virtutes Servi Dei heroum in modum exercitas esse.

Patres Cardinales et Episcopi, in Cangregatione Ordinaria, die 10 mensis Decembris anno 1985 habita, Ponente Em.mo ac Rev.mo Car-

dinali Mario Aloisio Ciappi, agnoverunt Servum Dei Ioannem Calabria heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Quibus de rebus omnibus certior factus, per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens rataque habens, iussit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum appararetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Calabria, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 16 Ianuarii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINA *Praefectus*

ii. m S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 5 **Giugno** 1986, **S. E. il Barone** SEGEZ JAN JOSEPH VAN VOORST TOT VOORST, **Ambasciatore dei Paesi Bassi presso la Santa Sede.**

Venerdì, 6 **Giugno** 1986, **S. E. il Signor** JOAO DE SA COUTINHO, **Ambasciatore del Portogallo presso la Santa Sede.**

Giovedì, 19 **Giugno** 1986, **S. E. il Signor** ANDRÉ COUMBARY, **Ambasciatore del Senegal presso la Santa Sede.**

Sabato, 21 **Giugno** 1986, **S. E. il Signor** SAILOSI WAI KEPA, **Ambasciatore di Fiji presso la Santa Sede.**

Lunedì, 23 **Giugno** 1986, **S. E. il Signor** TROEL MÜNK, **Ambasciatore di Danimarca presso la Santa Sede.**

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 16 **Giugno** 1986, **S. E. il Signor** JAIME DEL VALLE ALLIENDE, **Ministro degli Affari Esteri del Cile.**

Giovedì, 19 **Giugno** 1986, **il Dr.** SERGIO RAMÍREZ MERCADO, **Vice Presidente della Repubblica del Nicaragua.**

Sabato, 21 **Giugno** 1986, **S. E. il Signor** GIULIO GARRET, **Vice Presidente della Repubblica di Bolivia.**

Lunedì, 23 **Giugno** 1986, **l'On. Dr.** CARLOS BLANCOS, **Ministro del Lavoro del Perù.**

Lunedì, 23 **Giugno** 1986, **S. A. Em.ma Fra** ANGELO DE MOJANA DI CÒLOGNA, **Principe e Gran Maestro del Sovrano Militare Ordine di Malta.**

Martedì, 24 **Giugno** 1986, **S. E. il Signor** HELMUT KOHL, **Cancelliere della Repubblica Federale di Germania.**

Venerdì, 27 **Giugno** 1986, **il Dr.** JUAN CARLOS PALMERO, **Segretario di Stato per il Culto della Repubblica di Argentina.**

Giovedì, 5 Giugno 1986, alla presenza del Santo Padre si è riunita la Congregazione per le Cause dei Santi.

Martedì, 10 Giugno 1986, il Sommo Pontefice, accogliendo il suggerimento della Seconda Assemblea Generale Straordinaria del Sinodo dei Vescovi perché « venga composto un catechismo o compendio di tutta la dottrina cattolica, per quanto riguarda sia la fede che la morale », ha deciso di costituire una Commissione ristretta di Cardinali e Vescovi col compito di redigere un « progetto di catechismo », sul quale saranno poi invitati ad esprimere il loro parere i Pastori di tutta la Chiesa. Successivamente il testo sarà sottoposto all'approvazione del Santo Padre.

La Commissione risulta composta in questo modo :

L'E.mo Signor Cardinale Joseph Ratzinger, Prefetto della Congregazione per la Dottrina della Fede, *Presidente.*

Cli E.mi Signori Cardinali : William Wakefìeld Baum, Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica; Bernard F. Law, Arcivescovo di Boston ; Simon D. Lourdusamy, Prefetto della Congregazione per le Chiese Orientali; Jozef Tomko, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli; Antonio Innocenti, Prefetto della Congregazione per il Clero; — le LL. EE. i Monsignori: Jerzy Stroba, Arcivescovo di Poznan Neophytos Edelby, Arcivescovo di Alep dei Greci Melkiti Cattolici ; Henry Sebastian D'Souza, Arcivescovo di Calcutta; Isidore De Souza, Arcivescovo Coadiutore di Cotonou; Jan P. Schotte, Arcivescovo tit. di Siili, Segretario Generale del Sinodo dei Vescovi ; Felipe Santiago Benitez Avalos, Vescovo di Villarica, *Membri.*

La Commissione dovrà terminare la sua opera in occasione dell'Assemblea Ordinaria del Sinodo dei Vescovi del 1990.

Lunedì, 30 Giugno 1986, alla presenza del Santo Padre si è riunita la Congregazione per le Cause dei Santi.

Da Martedì, I° Luglio a Martedì 8 Luglio 1986, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Colombia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

9 giugno 1986. I Signori: Nicola Cabibbo, professore di Fisica Teorica all'Università di Roma ***(Italia)*;** Albert Eschenmoser, professore di Chimica Organica al Politecnico Federale di Zurigo ***(Svizzera)*;** Paul Germain, professore di Meccanica alla Scuola Politecnica e Segretario Permanente dell'Accademia delle Scienze di Parigi ***(Francia);*** Beatrice Mintz, Ricercatrice Capo all'Istituto della Ricerca per il Cancro di Philadelphia ***(Stati Uniti d'America)*;** Marcos Moshinsky, professore di Fisica Teorica all'Università Nazionale Autonoma del Messico ***(Messico)*** ; Czeslaw Oleen, professore di Matematica all'Istituto di Matematica dell'Accademia delle Scienze Polacca ***(Polonia);*** John Charles Polonyi, professore di Chimica all'Università di Toronto ***(Canada)*;** Maxine Singer, Direttrice del Laboratorio di Biochimica, Divisione di Biologia e Diagnostica al National Cancer Institute di Bethesda, Maryland ***(Stati Uniti d'America);*** Walter Thirring, Professore di Fisica all'Università di Vienna ***(Austria), Membri della Pontificia Accademia delle Scienze.***

12 » » S. E. mons. Gabriel Montalvo, Arcivescovo tit. di Celene, ***Pro-Nunzio Apostolico in Jugoslavia.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

27 maggio 1986. S. E. mons. Jorge Mejía, Vescovo tit. di Apollonia, ***Consultore della Commissione per i Rapporti Religiosi con l'Ebraismo, presso il Segretariato per l'Unione dei Cristiani.***

5 giugno » Mons. Giovanni Angelo Abbo, ***Consultore della Prefettura per gli Affari Economici della Santa Sede.***

10 » » L'E.mo Signor Cardinale Bernard F. Law, Arcivescovo di Boston, ***Membro della Congregazione per i Religiosi e gli Istituti Secolari.***

23 » » Il Dott. Saverio Petrillo, ***Direttore delle Tille Pontificie di Castel Gandolfo.***

NECROLOGIO

3 giugno 1986. Mons. Aloys Bigirumwami, Vescovo emerito di Nyundo *(Burundi)*.
11 » » Mons. Paolo Ghizzoni, Vescovo di S. Miniato *(Italia)*.
13 » » Mons. Fortino Gómez León, Arcivescovo emerito di Antequera *(Mexico)*.
25 » » Mons. Francisco Espino Porras, Vescovo tit. di Farbeto.
30 » » Card. László Lékai, del titolo di Santa Teresa al Corso d'Italia, Arcivescovo di Esztergom *(Ungheria)*.

An. et vol. LXXVIII 6 Augusti 1986 N- 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Ad universos Ecclesiae Sacerdotes adveniente Feria V in Cena Domini anno MCMLXXXVL

Cari Fratres Sacerdotes,

Ecce nunc nos iterum feriae quintae in Cena Domini appropinquamus quo die Eucharistiam instituit Iesus Christus nostramque simul sacerdotale ministerium. Christus enim « cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos)).* Bonus ipse Pastor animam suam pro ovibus posuit[2] quos salvaret suoque cum Patre reconciliaret et in novam vitam induceret. Ipsis iam apostolis in nutrimentum obtulit corpus suum pro eis traditum suumque pro eis sanguinem effusum.

Hic quotannis praeclarus est dies christianis universis : primos enim discipulos imitantes, accedunt corpus et sanguinem Christi in vespertina liturgia recepturi quae ultimam renovat cenam. A Salvatore ipso testimonium suscipiunt fraterni amoris qui omnem eorum vitam informare debet et cum eo iam vigilare incipiunt, ut Passioni eius sese coniungant. Vos autem ipsi congregabitis eos eorumque precem dirigetis.

At nobis, cari Fratres Sacerdotes, praesertim hic praeclarus est dies. Etenim festus est sacerdotum dies. Dies est quo nostrum est sacerdotium exortum, quod Christi mediatoris unicum communicat Sacerdotium. Omnes totius orbis presbyteri hoc die invitantur ut suis

[1] *Io* 13, i.
[2] Cfr. *Io* io, n.

cum episcopis eucharistiam concelebrent et circa eos promissiones renovent suorum sacerdotalium officiorum in Christi eiusque ecclesiae ministerium.

Probe novistis : hac data occasione me quam maxime vestrum cuique coniunctum sentio. Et sicut singulis iam fit annis, tamquam documentum necessitudinis nostrae sacramentalis in eodem sacerdotio egomet amanti aestimatione permotus, quam erga vos habeo, necnon officio meo omnes meos fratres confirmandi eorum in ministerio pro Domino, has vobis litteras mitto adiuturus vos ut singulare excitetis donum quod vobis est per manuum impositionem creditum.[3] Ministeriale hoc sacerdotium, quod nostra est pars, nostra quoque vocatio est nostraque gratia. Hinc nostra vita omnis notatur velut sigillo illius ministerii, quod omnium maxime necessarium est et plurimum poscit, animarum salus. Illuc quidem pertrahimur magno sacerdotum seniorum numero.

Horum quidam sacerdotum ante mentem et ecclesiae memoriam admodum praesens obversatur ac potissimum hoc anno commemorabitur ob ducentesimam ortus sui recordationem : nominatim S. Ioannes M. Vianney curator de Ars. Cupimus omnes Principi pastorum Christo referre grates hoc de unico vitae actionisque sacerdotalis exemplari quod sanctus ille curator universae praebet ecclesiae atque nobis ante omnes presbyteris.

Quot inter nos ad sacerdotium se comparaverunt aut etiam hodie difficile suum pastoralis curationis exsequuntur opus, forma ante oculos constituta Sancti Ioannis Mariae Vianney ! Eius exemplum haud licet in oblivionem reddere. Magis nunc quam alias umquam opus est nobis ipsius testificatione, deprecatione illius, ut huius aetatis obviam procedere possimus condicionibus, ubi quamquam plura subsunt spei signa, crescens tamen laica rerum conversio ipsi evangegelizandi operae adversatur, ubi supernaturalis neglegitur disciplina ascetica, ubi a compluribus amittuntur e conspectu rationes ipsae Regni Dei, ubi saepius etiam intra pastoralem industriam ministri sollicitantur nimis de partibus unis socialibus deque temporalibus propositis. Curator de Ars superiore saeculo configeret cum difficultatibus oportebat quibus alia fortasse species fuit, quae tamen haud minus fuerunt magnae. Sua vero vita propriaque actione praebuit sui temporis societati quasi quandam provocationem evangelicam grandem unde fructus

[3] Cfr. *2 Tim* 1, 6.

conversionis percepti sunt mirabiles. Neque dubitamus nos quin nobis hodie quoque is hanc provocationem evangelicam grandem porrigat.

Yos propterea cohortor ut hoc tempore ipso nostrum ponderetis sacerdotium hoc coram incomparabili pastore qui aliquando ministerii sacerdotalis collustravit plenam consummationem ipsiusque sanctitatem ministri.

Mortuum esse novistis Ioannem Mariam Vianney apud oppidum Ars die quarto mensis Augusti anno millesimo octingentesimo quinquagesimo nono, peractis videlicet plus quadraginta annis abnegationis extremae. Septuaginta tres compleverat annos. Is autem cum illuc advenit, parvus erat Ars vicus et ignotus dioecesis Lugdunensis, hodie vero Bellicensis. Exeunte autem eius vita, iam undique ex Gallia eodem accurrebant ipsiusque sanctitatis fama, una cum appellatione ad Deum, celeriter Ecclesiae universalis studium excitaverat. Sanctus Pius Decimus anno millesimo nongentesimo quinto beatorum ipsum caelitum fastis adiunxit, Pius autem Undecimus anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto sanctorum deindeque anno millesimo nongentesimo undetricesimo sanctum edixit eum curatorum orbis totius Patronum. Centesimo autem volvente anno eius ab obito, Ioannes Vicesimus Tertius Litteras edidit Encyclicas quibus titulus *Sacerdotii nostri primordia,* quibus ipse Curatorem de Ars veluti exemplar ostentaret vitae atque ascesis presbyteralis, pietatis speciem necnon Eucharistici cultus, pastoralis studii exemplum — atque id totum intra adiuncta necessitatum aetatis nostrae. Hic vero animi vestri oculos convertere velim quosdam tantum ad aspectus necessarios ut hinc adiuvemur melius ad detegendum rursus meliusque vivendum sacerdotium nostrum.

Ante omnia exemplar est Curator de Ars firmae voluntatis iis qui ad sacerdotium instituuntur. Plures enim subsequentes vitae asperitates potuerunt ipsius frangere animum : effecta tumultuum rebus ex novis proficiscentium, parum educationis rusticis in eius condicionibus, taciturnitas ipsius patris, necessitas opus agrorum participandi, militiae pericula et in primis, quantumvis intuitivum esset ei ingenium et animus ad omnia vere mollis, permagna comprehendendi ediscendique difficultas ideoque etiam cursus theologiae Latine explicatos sequendi, ac demum hanc ipsam ob causam dimissio de seminario Lugdunensi. Agnita tamen ipsius vocationis veritate, natus iam undetriginta annos potuit sacerdotio initiari. Sua ex operis faciendi tenacitate precationeque superat impedimenta omnia vel limites, sicut et postea in ipsa sacerdotali vita ut labo-

Tiose sacras componeret orationes vel vesperi pergeret theologorum opera auctorumque spiritalium perlegere. Iam inde ab iuventute animabatur permagna cupiditate « animas Deo lucrandi)) per sacerdotis officium ac sustinebatur fiducia curatoris finitimi in oppido Ecully qui nihil iam de «ius dubitans vocatione in se ipsum maximam partem recepit illius educationem. Quod magni animi exemplum iis est qui etiam hodie gratiam illam cognoverunt, quod nempe ad sacerdotium sunt vocati!

Studii dein pastoralis exemplar omnibus est pastoribus Curator de Ars. Procul dubio arcana eius magnanimitatis ratio est ex eius in Deum amore repetenda, quam sine terminis vivendo implevit, dum perpetuo amori respondit in Christo crucifixo luculenter declarato. Ibi enim voluntatem suam collocat omnia efficiendi ut animas ipse salvas faciat tanto quidem pretio a Christo redemptas, easque ad Dei perducat amorem. Memoria tenemus ipsius perbrevium locutionum quandam unde eius elucet secretum : « Sacerdotium est Cordis Iesu amor » . [4] Suisque semper in sermonibus atque instructionibus catechismi ad hunc recurrit amorem : « O Deus, mori egomet malim te amans quam unum dumtaxat ita momentum vivere quin tete amem ... Te diligo, divine mi Salvator quandoquidem pro me cruci es affixus quoniam tu me tenes crucifixum pro te » . [5]

Christi igitur causa studuit ad amussim sese accommodare fundamentalibus illis postulatis quae in Evangelio discipulis suis proposuit Iesus quos ad praedicandum dimittit quaeque sunt precatio, paupertas, humilitas, sui ipsius negatio, voluntaria paenitentia. Et perinde ac Christus ipse, suas erga oves amorem experiebatur qui eum ad extremam pastoralem operam et deditionem perducebat necnon sui ipsius sacrificium. Raro quidem ullus fuit pastor adeo sibi propriorum conscius officiorum, immo cupiditate consumptus fideles proprios de eorum •eripiendi peccatis aut ipsorum de lentitudine. « Concede mihi, Deus, paroeciae meae conversionem : quidquid volueris perpeti consentio per omne vitae meae tempus ».

Cari Fratres Sacerdotes, Concilii Vaticani Secundi doctrinis nutriti quod sacerdotis consecrationem feliciter reposuit intra pastoralis muneris complexum, incitantem vim pastoralis fervoris nostri quaeramus

[4] Cfr. *Jean-Marie Vianney, cure d'Ars, sa pensée, son cœur,* présentés par l'Abbé Bernard Nodet, éditions Xavier Mappus, Le Puy, 1958, p. 100; deinceps ita memoratur: Nodet.

[5] Nodet, p. 44.

nos una cum Sancto Ioanne Maria Vianney apud Cor Iesu in eiusque amore pro animabus. Hoc ex fonte si non hauserimus, periculum est ne ministerium nostrum fructuum afferat perpaulum !

Omnino fuerunt in ipso Curatore de Ars uberrimi fructus, quem ad modum fere Iesu accidit in Evangelio. Huic enim Ioanni Mariae Vianney, qui omnes suas ei devoverat vires omnemque animum, aliquo* pacto Salvator animas tradit. Copiose eas illi concredit.

Paroecia illius — ducentis triginta dumtaxat constans ex hominibus cum ipse advenit — penitus alia est futura. Omnes enim cognoverunt eo in oppido plurimum viguisse indifferentem animum ac minimum simul usum religionis inter viros. Monuerat ante Episcopus Ioannem Mariam Vianney : <(Paulum Dei amoris in ista paroecia invenitur ; tu aliquid inicies ». At cito admodum, ultra hoc ipsius oppidum, curator ille evadit multitudinis pastor accurrentis undique ex tota. provincia, immo variis de Galliae regionibus aliisque etiam ex nationibus. Mentio fit de octoginta hominum milibus uno illo anno millesimo octingentesimo quinquagesimo octavo ! Sunt qui plures nonnumquam exspectent dies eum ut conveniant eique peccata confiteantur. At illos adducit non tam videndi aliqua cupiditas nec fama ipsius sane iustissima ob miracula patrata necnon sanationes miras, quae omnia velit contegere ipse. Eo potius moventur quod sese in illo in venturos praesentiunt sanctum virum, paenitentia propria admirandum, Deo in oratione tam familiarem, interiore pace insignem animique demissione inter tantam operum felicitatem, sed maxime adeo introspicientem ut intimis animarum condicionibus respondeat easque liberet ab oneribus ipsarum potissimum in confessionali sede. Ita est: eum Deus pastorum delegit exemplar qui videri potuit fatuus et miser, debilis et inermis ac despicabilis ante hominum oculos.[6] Illum vero optimis ducis medicique animarum donis compensavit.

Nonne autem, hac agnita in Curatore de Ars peculiari gratia, spes inde aliqua praebetur pastoribus hodie quandam patientibus spiritalem solitudinem?

Praecipue porro Ioannes Maria Vianney ad fidem tradendam incumbebat ac perpurgandas hominum conscientias; quae ministeria duo in Eucharistiam confluebant. Nonne hodie quoque cernere decet ibidem tria quasi adminicula pastoralis ministerii sacerdotis?

[6] Cfr. *1 Cor* 1, 27-29.

Etiam si propositum certissime est populum Dei circa eucharisticum mysterium congregare per catechesim ac paenitentiam, alia tamen apostolica coepta pariter necessaria sunt secundum rerum adiuncta: non numquam simplex per multos annos commoratio cum tacita fidei testificatione in condicionibus non christianis, vel proximum consortium cum hominibus, domibus eorumque sollicitudinibus prima deinde exsistit nuntiatio qua quis non credentes tepentesque ad fidem incitare conatur ; testificatio adest caritatis et iustitiae cum laicis christianis communicata quae efficit ut fidei magis credatur quam ad effectum deducit. Hinc numerus proficiscitur operum atque inceptorum apostolicorum quibus praeparatur vel continuatur christiana institutio. Ipse quidem Curator de Ars operam dedit ut consilia iniret temporibus suis accommodata suisque paroecianis. Universa interea opera eius in Eucharistiam intendebantur et in catechesim et in sacramentum reconciliationis.

Verum sine ullo dubio indefessa ipsius frequentatio sacramenti paenitentiae comprobavit principalem Curatoris de Ars proprietatem eique merito celebrem tribuit famam. Peropportune accidit quod tale nos hodie exemplum incitat ut ministerio reconciliationis omnem illum restituamus locum qui ei convenit quemque Synodus Episcoporum anni millesimi nongentesimi octogesimi tertii tam clare sua posuit in luce.[7] Etenim sine progressu illo conversionis et paenitentiae et veniae petitae, quem Ecclesiae ministri indefatigabili studio instimulare debent atque amplexari ipsi, accommodatio illa adeo exoptata manebit brevis quidem et fugax.

In primis igitur Curator de Ars contendit ut fidelibus ingereret paenitendi voluntatem. Pulchritudinem efferebat Dei indulgentiae. Nonne omnis eius vita sacerdotalis cunctaeque vires devotae sunt peccatoribus convertendis? Atqui in confessionali sede potissimum Dei demonstratur misericordia. Noluit ideo se iis paenitentibus subducere qui undique locorum veniebant quibusque saepius dicavit decem cotidie horas, immo nonnumquam quindecim vel plures. Haec ipsi fuit procul dubio maxima omnium eius ascesium, nempe « martyrium » ; corporis imprimis ratione, in aestu, frigore vel aere crasso; animi sed etiam, quandoquidem accusata peccata ipse vicissim patiebatur magisque immo paenitentiae inopiam : « Ploro ego quod vos haud plo-

[7] Cfr. Ioannes Paulus PP. II, Adhortatio Apostolica post Synodum Episcoporum edita *Reconciliatio et paenitentia* (2 Decembris 1984): *AAS* 77 (1985), pp. 185-275.

ratis ». Sed iuxta indifferentes istos, quos quam optime poterat suscipiebat et in quibus Dei amorem accendere studebat, Dominus concessit ei ut maximos peccatores paenitentes reconciliaret sicque animas ad perfectionem dirigeret quae eam sitiebant. Ibi praesertim voluit eum Deus participare Redemptionem.

Iam ex nobis, melius quam superiore saeculo, rationem communitariam paenitentiae repperimus et praeparationis ad veniam et ipsius gratiarum actionem post indulgentiam. Verum tamen sacramentalis illa venia semper postulat congressionem hominis ipsius cum Christo crucifico per aliquem eius ministrum.[8] Proh dolor, crebro iam paenitentes nullo cum fervore accedunt ad confessionalem sedem, quem ad modum tempore Curatoris de Ars fiebat.

At ibi quoque, ubi complures iam a confessionis usu procul omnino manent diversas ob causas, oportere simul intellegitur potior aliqua pastoralis ratio conficiatur de sacramento reconciliationis, dum videlicet christianis sine intermissione rursus aperiantur necessitates viae cuiusdam coniunctionis cum Deo, peccati sensus quo quis sese claudit ad Alterum aliosque, postulatum illud ut se quis convertat atque ab Ecclesia veniam recipiat sicuti gratuitum Dei donum, pariter etiam conditiones unde possit sacramentum apte celebrari, superatis hac in re praeiudicatis opinationibus falsisque sententiis et inconsiderata sacramenti repetitione.[9] Quare porro rerum conditio simul poscit ut promptos nos semper praebeamus huic indulgentiae ministerio, parati nempe ad necessarium ei tempus diligentiamque dicandum, et — ut ita dicam — ad principatum inter alia opera ipsi tribuendum. Ita scient fideles quantum ei ponderis assignemus, sicut fecit Curator de Ars.

Quem ad modum in Adhortatione Apostolica post Synodum Episcoporum scripsi de paenitentia,[10] reconciliationis ministerium sine dubio difficillimum est maximaeque prudentiae, quod plurimum fatigat plurimumque postulat, praesertim cum numero sint pauci sacerdotes. Similiter in confessario flagitat eximias dotes humanas, in primis intensam spiritus vitam ac sinceram; necesse praeterea est sacerdos ipse hoc sacramento crebro utatur.

[8] Cfr. Ioannes Paulus PP. II, Litterae Encyclicae *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), n. 20: *AAS* 71 (1979), pp. 313-316.

[9] Cfr. Ioannes Paulus PP. II, Adhortatio Apostolica post Synodum Episcoporum edita *Reconciliatio et paenitentia* (2 Decembris 1984), n. 28: *AAS* 77 (1985), pp. 250-252.

[10] Cfr. *ibid.*, n. 29: *AAS* 77 (1985), pp. 252-256.

Id vobis persuasum habetote semper, Cari Fratres Sacerdotes : hoc misericordiae ministerium unum exstat ex iis quae sunt pulcherrima maximeque consulantur. Sinit enim vos conscientias purgare et iis peccata condonare vigoremque Iesu nomine subministrare, et ita medicos consiliariosque spiritales ipsis esse ; etenim fit semper <(ut in ministerio confessiones audiendi sacerdotium ministeriale, quemadmodum est pernecessarium,ostendatur et comprobetur » . "

Bina reconciliationis et Eucharistiae sacramenta arcte inter se coniunguntur. Amota enim nova semper conversione et receptione sacramentalis gratiae peccatorum remissionis, ipsa Eucharistiae participatio non iam plenam suam assequetur redimentem efficacitatem.[12] Quomodo Christus ipse ministerium suum incohavit : « Paenitemini et credite Evangelio » , [13] ita plerumque Curator de Ars indulgentiae ministerium. Verum sic reconciliatos paenitentes feliciter ille ad Eucharistiam dirigebat.

Medium profecto locum spiritalis eius pastoralisque vitae obtinuit Eucharistia. Dicebat enim : « Omnia simul sumpta opera bona haud aequant missae sacrificium, quandoquidem illa sunt hominum coepta, atqui missa sancta Dei ipsius est opus».[14] Ibi enim Calvariae sacrificium repraesentatur in totius orbis Redemptionem. Uti patet, cotidianum sui ipsius donum addat sacerdos oportet huic missae oblationi : « Recte igitur se gerit presbyter, si mane cotidie se Deo in sacrificium offert » ; [15] « sacra communio et sanctum missae sacrificium duo sunt efficientissimi actus ad animi impetrandam commutationem » . [16]

Vitae sic presbyteralis eius gaudium summum erat et solacium Ioanni Mariae Vianney sacrificium missae. Permagna cum diligentia, quamquam paenitentium urgebat multitudo, silentio per horae quartam partem sese comparabat. Animo collecto missam celebrabat beneque adorationem suam declarabat tempore consecrationis et communionis. Rerum veritatem attingens, animadvertit : « Inde causa est laxationis sacerdotis, quod animum non intendit in missam » . [17]

[11] **Ioannes Paulus PP. II, Epistula ad universos Ecclesiae Sacerdotes adveniente Feria V in Cena Domini anno MCMXXXXHI, n. 3: *AAS* 75 (1983), pars I, p. 419.**

[12] **Cfr. Ioannes Paulus PP. II, Litterae Encyclicae *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), n. 20: *AAS* 71 (1979), pp. 309-313.**

[13] ***Me* 1, 15.**

[14] **Nodet, p. 108.**

[15] **Nodet, p. 107.**

[16] **Nodet, p. 110.**

[17] **Nodet, p. 108.**

Capiebatur insigniter Curator de Ars perpetuitate verae Christi praesentiae in Eucharistia. Ante tabernaculum saepius traducebat longas adorationis horas ante solis ortum aut vesperi; illuc praeterea se convertebat, cum contionaretur, crebro dicens ex animo : ((Ibi ipse est». Hinc etiam est quod, pauper admodum domi suae, nihil dubitaverit plurimum expendere in templi sui ornatum. Salutariter inde est etiam effectum ut paroeciae christifideles cito sibi consuetudinem asciscerent accedendi coram Sanctissimo Sacramento precaturi ac detecturi per ipsos curatoris sui mores magnitudinem mysterii fidei.

De tali autem testificatione id omnino cogitamus quod Concilium Vaticanum Secundum hodie quoque nobis de sacerdotibus significat : <(Suum vero munus sacrum maxime exercent in eucharistico cultu)).[18] Ac nuperrime quidem extraordinaria Episcoporum Synodus, mense Decembri anno millesimo nongentesimo octogesimo quinto inculcavit : « Liturgia debet fovere sensum sacri et eundem resplendentem facere. Imbuta esse debet spiritu reverentiae, adorationis et glorificationis Dei... Eucharistia, totius vitae christianae fons et culmen est)).[19]

Cari Fratres Sacerdotes, seriam nos ad conscientiae perscrutationem incitat Curatoris de Ars exemplum : quem locum cotidiana in nostra vita tribuimus missae? Estne ea — sicut primo ordinationis nostrae die, ubi primus fuit noster uti sacerdotum actus — principium apostolicae nostrae industriae Nostraeque singillatim sanctificationis? Quam adhibemus curam ut praeparemur? ut missam celebremus? ut coram Sanctissimo Sacramento precemur? ut fideles nostros eodem perducamus? ut sacris ex aedibus nostris efiiciamus Domum Dei ubi divina praesentia homines nostri temporis alliciat quibus saepe nimis species mundi est Deo vacui.

Operam praeterea dedit Curator de Ars ne ullo pacto Verbi neglegeretur ministerium, quod plane necessarium esset ad animos in fidem conversionemque parandos. Eo pervenerat ut dicere soleret : « Dominus noster, ipsa qui veritas est, haud minoris Verbum suum aestimat quam suum Corpus)).[20] Nemo non novit quantum temporis, principio praesertim, dicaverit laboriose orationibus sacris suis in dies dominicos conscribendis. Postmodum effecit ut liberius loqueretur, semper tamen

[18] Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* de Ecclesia, n. 28.

[19] II, B, b/1 et C/l; cfr. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* de Ecclesia, n. 11.

[20] Nodet, p. 126.

cum viva quadam persuasione et clara, adhibitis imaginibus vel similitudinibus cotidiana de experientia, quibus vehementer ipsius permovebantur fideles. Partem dein magni momenti in eius ministerio obtinebant catecheticae institutiones ad infantes ipsique libenter adulti consociabantur cum illis ut hac testificatione extra ordinem fruerentur, ex animo scaturiente.

Denuntiare ausus est malum omnibus sub eius formis, sine indulgentia; nam in discrimine quodam aeterna fidelium ipsius vita erat: <(Si pastor quis taceat, cum Deum offendi videt animasque errare, vae illi ! Si damnari se nolit, oportet, si qua in illius est turbatio paroecia, omnem humanam observantiam pedibus conculcet omnemque pariter metum, ne forte dispiciatur aut odio habeatur ». Hoc ipsum officium fuit sollicitudo eius Curatoris. At in universum « rationem virtutis pellicientem demonstrare maluit quam vitii deformitatem », et si crebrius quidem flens interdum de peccato mentionem habebat deque periculo salutis, insistebat in Dei offensi benignitate ac in beatitate illius, qui amatur a Deo, Deo coniungitur, coram eo vivit ac pro eo.

Cari Fratres Sacerdotes, persuasissimum vobis habetis quanti ponderis sit munus Evangelii nuntiandi quod Concilium Vaticanum Secundum primo in loco defixit inter sacerdotis officia.[21] Studete ergo, per catechesim et praedicationem aliasque formas quae sic communicationis instrumenta complent, animos afficere hominum nostrae aetatis cum eorum exspectationibus ac dubitationibus, ut excitetur fides et nutriatur. Quem ad modum Curator de Ars fecit et cohortatur Concilium,[22] videte ut ipsum illud Verbum Dei doceatis quod ad conversionem homines hortatur ad sanctitatemque.

Eloquentem sane responsionem reddit Sanctus Ioannes Maria Vianney quibusdam *disceptationibus de propria sacerdotis figura,* quae his viginti proximis annis emerserunt ; ex altera vero parte videntur homines iam in sententias aequiores devenire.

Reperit semper sacerdos atque immutabili quodam pacto originem ipsius suae proprietatis in Christo Sacerdote. Non iam mundus ipse legem ei statuere debet secundum modum necessitatum aut conceptionum de partibus illius socialibus. Signatur enim presbyter Sacerdotii Christi sigillo ut eius communicet unici Mediatoris ac Redemptoris munus.

[21] **Cfr. Decretum *Presbyterorum Ordinis,* de Presbyterorum ministerio et vita, n. 4.**
[22] **Cfr. *iUd.***

Ob hoc ideo principale vinculum recluditur sacerdoti immensus ille campus ministerii pro animabus ad earum salutem in Christo et in Ecclesia. Quod opus totum pervadi necesse est amore animarum ad Christi exemplar qui suam pro eis obtulit vitam. Vult namque Deus omnes salvos fieri homines neque ullum parvulorum perire.[23] ((Promptus esse debet semper sacerdos ut animarum respondeat necessitatibus », aiebat Curator de Ars;[24] ((Ipse non sibi exsistit verum vobis A.[25]

Adest sacerdos pro laicis quos animat sustentatque in exercitatione communis sacerdotii baptizatorum — id quod luce in sua tam luculenter a Concilio Vaticano Secundo est positum — in eo videlicet consistentis quod ex eorum vita conficit spiritalem hostiam, quod in familia testificatur christianum spiritum necnon in negotiorum temporariorum procuratione, quod evangelizationem fratrum eorum communicat. Ministerium tamen sacerdotis alterius est naturae. Etenim eo tandem spectat ut ipse nomine Christi-Capitis agat, ut homines immittat in vitam novam a Christo apertam, ut mysteria eius — Verbum, veniam, Panem Vitae — illis dispenset, ut iterum eos congreget in ipsius Corpore adiuvans ut intus conformentur utque vivant ac se gerant secundum salvificum Dei consilium. Brevi : proprietas nostra elucet ex « creatrici » applicatione amoris in animas a Christo Iesu communicati.

Conamina illa, quibus sacerdotem reddere nonnulli contendunt laicum, nocent Ecclesiae.

Neque istud ullo modo significat procul sacerdotem manere debere humanis a curis laicorum : oportet eum valde prope esse ad ipsos, sicut fuit Ioannes Maria Vianney, at uti sacerdotem, et semper in eo rerum obtutu, qui respiciat videlicet eorum salutem aeternam ac progressionem ad Dei Regnum. Testis enim ille est et dispensator alterius cuiusdam vitae quam terrestris est.[26] Necesse omnino Ecclesiae est essentialem hanc presbyteri proprietatem in tuto collocari sua cum verticali ratione. Vita ac persona Curatoris de Ars demonstratio illius est insigniter illuminans vigensque.

Haud sufficiebat Sancto Ioanni Mariae Vianney ex ritu solum exsequi ministerii actus. Animum namque suum vitamque studebat Christo conformare.

[23] Cfr. *Mt* 18, 14.

[24] Nodet, p. 101.

[25] Nodet. p. 102.

[26] Cfr. Conc. Oec. Vat. II, Decretum *Presbyterorum Ordinis,* de Presbyterorum ministerio et vita, n, 3.

Precatio erat eius vitae anima : tacita precatio et contemplativa, plerumque in ecclesia propria ante tabernaculum. Per Christum aperiebat sese anima ipsius tribus Personis Divinis, quibus suo in testamento ((pauperem animam suam » redditurus erat. « Perpetuam servabat cum Deo coniunctionem intra vitae suae occupatissimae adiuncta ». Nec officium suum ipse neglegebat nec sacellum. Sua sponte ad Virginem convertebatur.

Paupertas ipsius singularis erat. Pro pauperibus se reapse spoliabat. Atque honores declinabat. Castitas in illo fulgebat qui cognoscebat pretium puritatis ut inde « fons amoris detegeretur qui Deus est ». Oboedientia Christo a Ioanne Maria Vianney traducebatur in oboeditionem Ecclesiae ac praesertim Episcopo quae etiam solida sub forma apparuit cum grave accepit curatoris munus quod saepius eum terrebat.

Sed maxime Evangelium inculcat sui ipsius abdicationem atque crucis susceptionem. Et plures quidem cruces Curatori de Ars praebebantur proprio in ministerio : populi calumniae, intolerantiae alicuius vicarii vel fratrum sacerdotum, repugnantiae, immo arcana quaedam dimicatio adversus inferorum potestates, et ipsa aliquando invitatio ad desperandum media in spiritali nocte.

Tamen non ipse solum accepit has probationes sine querimoniis, verum etiam praeivit cum mortificatione, continua scilicet sibi ieiunia imponens aliosque simplices modos quibus « redigere corpus in servitutem » posset, uti dixit Sanctus Paulus. Sed in hac paenitentia, cuius aetas nostra infeliciter exiguam habet consuetudinem, perspicienda bene eius sunt proposita : Dei amor peccatorumque conversio. Sic profecto alicui fratri sacerdoti animo concidenti nuntiat: «Precatus es... gemuisti ... Num vero ieiunavisti, num vigila visti ...?[27] Cui addi potest Iesu admonitio Apostolis data : ((Hoc autem genus non eicitur nisi per orationem et ieiunium » .[28]

In summa : se sanctificavit Ioannes Maria Vianney quo aptior ipse alios ad sanctificandos esset. Remanet quidem conversio cordium in agendo liberorum secretum et arcana Dei gratiae via. Suo ministerio potest tantummodo sacerdos homines illuminare in foroque interno gubernare ac sacramentis donare. Quae nempe sacramenta Christi sunt actiones quarum efficientia haud minuitur vitio aut indignitate ministri. At effectus eorum ex praeparatione et affectionibus pendet hominis

[27] **Nodet, p. 193.**

[28] ***Mt* 17, 21.**

ea recipientis; et hae vehementer adiuvantur sanctimonia sacerdotis ipsius, aspectabili eius vitae testimonio, sicut etiam secreto meritorum commercio intra communionem Sanctorum. Docebat enim Sanctus Paulus : « adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia)).[29] Ioannes Maria Vianney aliquo modo eripere a Deo cupiebat has conversionis gratias non sua tantum prece verum sacrificio totius etiam suae vitae. Diligere volebat Deum pro iis qui eum non diligebant magnamque paenitentiarum absolvere partem quas illi iam non faciebant. Vere fuit ille pastor cum populo suo peccatore coniunctus.

Cari Fratres Sacerdotes, ne iam metuamus ofiicium hoc adeo intimum cuique nostrum, ascetica disciplina signatum amoreque instigatum, quod a nobis poscit Deus bene ut sacerdotio nostro fungamur. Reminiscamur recentis illius considerationis Patrum synodalium: <(Nobis videtur in hodiernis difficultatibus Deus velle nos profundius docere valorem, momentum et centralitatem crucis Iesu Christi ».[30] In presbytero enim iterum Christus suam experitur passionem pro animarum salute. Gratias ideo Deo referamus sic qui nobis permittit ut Redemptionis communicemus opus nostro in corde atque in corpore.

His omnibus de causis haud cessat Sanctus Ioannes Maria Vianney testis esse, semper vivens semperque praesentis utilitatis, de veritate vocationis ac ministerii sacerdotalis. Meminerint omnes quanta ipse animi persuasione locutus sit de sacerdotis magnitudine eiusque plana necessitate. Oportet sacerdotes et illi, qui ad sacerdotium comparantur et ii qui postmodum vocabuntur mentis suae aciem oculosque in ipsius exemplum intendant idque sequantur. Christifideles ipsi beneficio eius melius comprehendent sacerdotii mysterium suorum presbyterorum. Minime quidem figura Curatoris de Ars transibit !

Cari Fratres, utinam cogitationes hae in vobis renovent laetitiam, quod sacerdotes estis, atque cupiditatem simul, ut magis tales sitis ! Curatoris de Ars testimonium vitae plurimas alias complectitur divitias quae sunt pervestigandae. Haec sane argumenta fusius pertractanda suscipiemus tempore peregrinationis quam facere placebit proximo mense Octobri, quandoquidem Episcopi Galliae eum in locum Ars me advocaverunt ut ducentesimum honoremus annum ab ortu Ioannis Mariae Vianney.

[29] *Col* 1, 24.

[30] Relatio finalis, D/2.

Primam vero hanc meditationem vobis inscribo, Cari Fratres, ob sollemnitatem Feriae Quintae in Cena Domini. Singulas apud nostras communitates dioecesanas congregabimur sic gaudentes de sacerdotii nostri origine ut Ordinis sacramenti gratiam innovemus, ut amorem excitemus qui nostram designat vocationem.

Nobis intellegimus Christum id dicere quod olim Apostolis : « Maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam quis ponat pro amicis suis... Iam non dico vos servos... Vos autem dixi amicos ».[31]

Coram ipso qui amorem in propria plenitudine patefecit redintegramus sacerdotales nostras obligationes uti presbyteri et episcopi.

Inter nos mutuo precamur alius pro alio, quisque suo pro fratre, et universi pro universis.

Sacerdotem oramus aeternum ut Curatoris de Ars recordatio nos adiuvet ad inflammandum studium nostrum in ipsius ministerio.

Spiritum Sanctum obsecramus ut pro Ecclesia plures evocet sacerdotes indolis et sanctitatis Curatoris de Ars : hoc tempore nostro tam indiget Ecclesia huius rei neque minus nunc ipsa efficere potest ut hae nascantur vocationes.

Ac tandem sacerdotium nostrum concredimus Virgini Mariae, sacerdotum Matri, ad quam sine intermissione Ioannes Maria Vianney decurrebat tenera cum pietate omnique fiducia. Alia haec ei erat causa gratiarum actionis : « Iesus Christus cum omnia nobis dedisset quae tribuere potuerat, voluit heredes etiam nos reddere illius doni, quod carissimum ipse habet, id est sanctae Matris suae ».[32]

Pro me denique omnem meam ad vos defero benevolentiam et una cum episcopo vestro Apostolicam Benedictionem vobis impertio.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Martii anno MCMLXXXVI, Dominica Quinta Quadragesimae, Pontificatus Nostri octavo.

IOANNES PAULUS PP. II

[31] *Io* 15, 13-15.
[32] Nodet, p. 252.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I
RONDONOPOLITANAE

Praelatura Rondonopolitana ad dioecesis gradum attollitur, eodem servato nomine iisdemque finibus.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laetantes omnino quoniam, Deo adiuvante, efficaciter in praelatura Rondonopolitana operatum est ex quo est condita, uberrimique animorum fructus habiti sunt, censuimus sententiae esse accedendum precibusque Conferentiae Episcopalis Brasiliensis, quae ab Apostolica Sede petiit, ut eadem Praelatura ad dioecesis gradum eveheretur. Accepto ideo favorabili voto Venerabilis Fratris Caroli Furno, Archiepiscopi titulo Abaritani atque in Brasilia Apostolici Nuntii, atque audito consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis pro Episcopis praepositorum, summa Nostra apostolica potestate eorumque omnium suppleto consensu qui hoc super negotio aliquid iuris habeant vel se praesumant habere, his sub plumbo Litteris, praelaturam Rondonopolitanam ad *dioecesis dignitatem* attollimus, eodem nomine iisdemque servatis finibus. Eius praeterea sedem episcopalem eadem in urbe in qua usque ad praesens praelaturae sedes exstitit collocari volumus, episcopalis vero magisterii cathedram in templo eadem in urbe extante, quod ad cathedralis item dignitatem evehimus, cum iuribus congruis. Conditam dioecesim suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Cuiabensi; Episcopum, metropolitano Archiepiscopi eius Ecclesiae iuri obnoxium. Collegium Consultorum quam primum ad normam iuris communis instituatur; item de Seminario struendo ac moderando serventur normae Codicis iuris Ecclesiastici, prae oculis habitis quae a Congregatione pro Institutione Catholica statuuntur. Quod ad Praesulis congruam sustentationem pertinet, Curiae emolumentis provideatur, fidelium oblationibus bonisque temporalibus quae ad praelaturam pertinuerant. Plurimi habeatur institutio iuvenum in Ecclesiae spem succrescentium : immo, selecti iuvenes Romam mittantur apud Collegium Pium Brasiliense philosophicis

theologicisque disciplinis imbuendi. Post Rondonopolitanam dioecesim constitutam, et clerus eiusdem praelaturae incardinatus censetur novae dioecesi. Quod insuper ad novae dioecesis regimen attinet, administrationem, dioecesani Administratoris electionem sede vacante, fideliumque iura et onera, ad amussim serventur quae iure canonico statuuntur. "Venerabilem Fratrem Osorium Villebaldum Stoffel, O. F. M., hactenus Praelatum Rondonopolitanum, vinculo praelaturae solvimus, eundemque Episcopum *Rondonopolitanum* nominamus et constituimus, sic ut iuris communis legibus declaratur, omnibus cum honoribus, iuribus et obligationibus. Haec denique, quae praescripsimus, ad effectum adducat Venerabilis Frater Carolus Furno, Archiepiscopus titulo Abaritanus atque in Brasilia Apostolicus Nuntius, vel ab eo delegatus sacerdos, atque perfecti negotii documenta sinceris exemplis ad Congregationem pro Episcopis de more mittat, rite signata sigilloque impressa. Has vero Litteras Apostolicas sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Laurus Governatori, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 178.668.

II

SINUS TORTUOSI

Distractis quibusdam ab archidioecesi Sydneyensi territoriis nova dioecesis Sinus Tortuosi vocitanda conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quippe cum aeternam ad gregis dominici salutem suis in locis certius praestandam eiusque gubernationem tota in Australia ipsa aptius

ordinandam arbitrati essent tum Venerabilis Frater Eduardus Beda Clancy, Archiepiscopus Sydneyensis, tum universa cum eo Conferentia Episcopalis eiusdem nationis omnino iam oportere dicionis Sydneyensis perlatos fines contrahi immutarique ut inde nova quaedam dioecesana communitas constitueretur, preces nuper hanc in sententiam Apostolicae Sedi moverunt, quo citius ac plenius idem illud adsequerentur propositum. Qui vero Patres Cardinales negotiis praesunt auctoritate Congregationis pro Episcopis, quique tunc apud Civitatem Australianam munus implebat Pro-Nuntii Apostolici, re mature quidem ponderata exceptisque omnium quorum referret opinionibus pariter consenserunt memoratam partitionem constitutionem fieri usquequaque debere. Nos ideo tanto fidentius iam ipsi rei adsentimur et quae singula continuo descripta et praecepta sequuntur iubemus Nos pro Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine effici in actumque prorsus deduci. Ab Archidioecesi Sydneyensi loca illa separamus quae vulgari sermone appellantur : *Warringah 8., Manly M., Willoughby M.., Ku-ring-gai M., Hornsby 8., City of Gosford* et *Wyong 8.,* ex iisque sic rite seiunctis novam creamus et condimus dioecesim posthac *Sinus Tortuosi* vocitandam, cuius novae ecclesiasticae circumscriptionis iidem profecto fines sunto quibus antehac septem illa municipia continebantur. Sedem porro novensilis huius dioecesis in urbe vulgo St. Ives esse censemus atque sacram aedem inibi exstantem Deo sub titulo mysterii Corporis Christi dicatam Episcopi habere Cathedram volumus idcircoque esse Cathedrale Sinus Tortuosi templum ac frui propterea insignibus cunctis et privilegiis quibus ceterae cathedrales per orbem ornantur ecclesiae. Suffraganeam facimus dioecesim Sinus Tortuosi Archidioecesis Sydneyensis eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sydneyensis subicimus. Mensam episcopalem novae dioecesis Sinus Tortuosi constituunto Curiae emolumenta, fidelium oblationes et portio ei obtingens ex partitione, ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici, facienda ipsorum bonorum quae adhuc mensae episcopalis archidioecesis Sydneyensis fuerunt. Episcopum autem pro tempore Sinus Tortuosi iuribus privilegiis atque honoribus augeri iubemus quibus reliqui pariter dioecesani Episcopi decorentur, at oneribus et obligationibus etiam obstringi quibus alii item per orbem locorum Antistites ligentur. Ut Pastori sic constitutae dioecesis in proprio regimine validum aliquod tribuatur auxilium, praecipimus ut Collegium Consultorum ex iuris regula quam primum instituatur. De sacrorum dein alumnorum educatione servanda esse ducimus iuris communis

singula praescripta, ante oculos potissimum constitutis normis Decreti Concilii Vaticani Secundi « Optatam totius)> necnon regulis a Congregatione pro Institutione Catholica editis. Ut primum dioecesis huius Sinus Tortuosi erectio ad validum deducta erit effectum, sacerdotes proin ecclesiae illi censebuntur adscripti in cuius finibus beneficium aut ecclesiasticum officium legitime retinent; reliqui vero sacerdotes clerici seminariique tirones incardinati ecclesiae illi manebunt vel incardinabuntur in cuius regione iure habent domicilium. Mandamus praeterea ut universa documenta et acta ad novam dioecesim eiusque clerum fideles bonaque temporalia attinentia de Curia episcopali Archidioecesis Sydneyensis ad Curiam episcopalem Sinus Tortuosi quam primum diligentissimeque perferantur, quae in tabulario illic condendo religiose adserventur. Quae omnia ut rite impleantur, fidenter destinamus Venerabilem Fratrem Francum Brambilla, Archiepiscopum titulo Viminaciensem, utpote Pro-Nuntium Apostolicum in Australia, cui necessarias et opportunas tribuimus facultates huc spectantes, etiam subdelegandi ád effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere simul iniuncto ad Congregationem pro Episcopis germanum exemplum actus ipsius perfectae sic exsecutionis transmittendi. Hasce denique ipsas Apostolicas Litteras tam nunc quam in posterum ratas esse volumus tempus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 178.892.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Mariae Rivier Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Adoranda Christi verba : « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » ***(Me*** 16, 15) percommode Venerabili Servae Dei cedunt Mariae Bivier, utpote quae talia verba sibi facta reputans, quoad vixit nihil aliud quam apostolatum gesserit in salutem animorum, quasi vis arcana humanam eius voluntatem moverit, atque corpus illud fragile ob infractum robur fulserit. Quam, sane, die XIX Decembris anno MDCCLXVIII in vico Montpezat natam, in Galliae finibus, atque duobus post diebus sacro fonte ablutam, implacabilis dolor momordit, ceu florem hiems. Nam gravi casu cum decidisset, omni amisso pedum usu, iam nullo modo aut stare aut ambulare potuit. Matri ergo tristissimae, sed plenae fidei, simul consolationi erat, simul viridissimae spei, aegram filiolam in aliquam beatae Mariae Virginis a pietate aediculam deferre, eique illam credere. Quod cum quattuor per annos cotidie egisset pia parens, quam longos Î tandem, o mirum ! puella sanata est, quamvis, quasi in signum superati periculi, brevi esset corpore. Iuxta autem promissum, Maria puellarum curam adhibere coepit, alto animo; neque per totam vitam aut ab incepto declinavit, aut a sententia deflexit. Aperto ergo ludo in suo pago natali, pueros puellasque, nec non illorum matres religionem docebat, interim pauperes miserosque visitans, aegrisque assidens. Rogata praeterea a Curione, quam aequissimo animo id etiam in se suscepit, ut pueros ad primam Communionem pararet, quam laetissimo fructu. Sed iam rei publicae commutandae motus, atrociores quidem, in Gallia inminent : dantur strages, sacerdotes occiduntur, Religiosi dissipantur, paroeciae vacuae fiunt, omnia in clandestino fieri, sicut in persecutione. Neque tamen haec Mariae animum frangunt; quae privatim, publice Christifideles cogit, erudit, hortatur quasi sacerdos, periculi incuriosa. Cum autem anno MDCCXCIII mater obiisset, pia filia re paterna pauperibus distributa, Thueyts vicum petit, qui industriae ipsius latius patere videbatur, ibique praeter scholam, etiam ephebeum puellarum educandarum condit. Atque hic etiam, haec est rerum humanarum for>

tuna ! ab acerba reprehensione temeritatis, ad apertam laudem incolae illi transeunt; quin, carentes parocho, confestim ei circumfunduntur, quasi alteri ab illo, religionem sitientes. Ceterum, ea tempestate Maria consilio sacerdotis occulti fulta, qui fuit M. Pontanier, Sulpitianus Sodalis, novam Religiosarum Congregationem constituit, iam diu mente conceptam, ad Christi plebem erudiendam. Quae sane, die XXI Novembris anno MDCCXCVI orta in pago Thueyts, nomen a Praesentatione Mariae sumpsit. Non autem praetereundum est in tanto opere condendo atque moderando Venerabili Matri pium virum Iosephum Vernet adfuisse, Vicarium Generalem dioecesis Vivariensis, rara pietate, consilio, prudentia. Ut autem bonae Matri erat in votis, sociae laboris opinione celerius multiplicantur, non modo simplices et ineruditae, sed doctae litterisque imbutae. Videres igitur illas, Mariae vestigiis instantes, die dominico e sua sede apium more prodeuntes praedicare per pagos, colloqui cum popularibus, confortare haesitantes, aegrotos visitare, vocare noctu sacerdotes qui sacramenta occulte ministrarent. Neque ita agentes iram Dictatorum acerbam non concitaverunt; sed prudentia, robur, interdum studia ipsa illorum qui adversae partis erant, sedavit. Etiam Episscopus, qui antehac nimis circumspectus cum primis fuisset, opere fiorente, flavescente messe in admirationem versus, et laudavit et exclamavit ibi esse certe digitum Dei. Ceterum, per pactum conventum inter S. Sedem et Galliam anno MDCCCI initum, mutatis in medius Ecclesiae condicionibus, Institutum a Praesentatione Mariae effusis habenis altum petiit finesque protulit. Nascuntur ergo novae domus Religiosae quasi ex arbore frondes, in dioecesibus Mimatensi, Nemausensi, Avenionensi; praeterea in urbe Bourg- Saint-Andéol, in qua princeps Sodalitatis Sedes anno MDCCCXX constituta est, in vetere nempe coenobio quam apto ad crescentis ac fiorentis Instituti necessitates; alibi scilicet tam multae, ut labentibus annis iam erectae domus non numerarentur. Atque Maria Rivier praeit omnibus in media acie, industria, labore, virtute, studio rerum caelestium, amore in omnes. Sed si per haec animus celerior et expeditior fiebat, corpus terebatur cotidie ceu vestis. Atque paulatim, anno MDCCCXXXVIII, die III Februarii, naturae cessit, serenissimo occasu. Quod si nunc, quasi eius arcana naturae in interiore sacrario clausa, brevi inquisitione attingere velimus, hoc praecipue est in eius laude ponendum, quod sanctos Christi Apostolos sit fide ac labore aemulata. Is enim unus in ea regnabat articulus : quomodo aptiusque homines in Dei cognitionem et amorem adduceret; adeo ut, dicebat, si optio ei data esset, utrum vive-

ret ad labores, an moreretur ad aeternum et incommutabilem vitam, illud omnino mallet. Inops opum, dives erat atque copiosa fidei. ((Si enim — adfirmabat — opibus afHuxissem, non tanta essem aggressa; cum autem rerum omnium egena essem, idcirco coepta bene verterunt ». His armis divinam arcem semper expugnabat; ac semper tantum pecuniae, olei, vestium adesse, quantum opus esset. Quin immo, quo iniquior condicio esset, eo liberalior pia mater erat, perinde ac si tali ratione Deum sibi obligari vellet. Ceterum, acerbe severa erga se, perindulgens ac dulcis erat in alios, maxime pauperes. Fuit etiam haec beata Dei famula fortis ad pericula ; quod tum cetera ostendunt, tum hoc : quod eo ipso tempore religiosam Societatem constituit, quo reliquae omnes exstinguerentur oppressae; neque id quasi secreto, sed luce et palam. Quanta vero eius auctoritas esset apud omnes, verba alicuius magistratus aperiunt adfirmantis se duos omnino vidisse graves obtutus, Napoleonis I atque Matris Mariae Rivier. Prex eius ex ore fluebat tamquam aqua de fonte perennis; crux omnem eius vitam tinxit; sententiae eius nonnullae Sanctorum sapientiam sapiunt. Non ergo mirum, si adhuc vivens haec Dei famula, tantis cumulata virtutibus gratiisque dignata, sancta haberetur. Crescente vero opinione post mortem, visum est cum utilitate animorum congruere, si publicum Ecclesiae iudicium de eius sanctitate exploraretur. Factum ergo ut, actis de iure agendis, die XII Mai, anno MDCCCLIII, Pius IX, Decessor Noster, decretum de introducenda Causa beatificationis faceret; item Leo XIII P. M. die XIII Iunii, anno MDCCCXC, de heroicis eius virtutibus certam sententiam tulit egregiis cum laudibus. Tandem Ipsi die xxvii Novembris, anno MDCCCCLXXXI, miraculum a Deo patratum ob intercessionem venerabilis Servae Dei probavimus, ab altero signo producendo, iure requisito, actores eximentes. Post haec ad sollemnem beatificationem tum eius, tum aliorum, ventum est, quae hodie facta est in foro S. Petri, Romae, per hic subiectam formulam : <(Nos, vota fratrum Nostrorum Ioannis Bluyssen, Episcopi Boscoducensis, Ioannis Hermil, Episcopi Vivariensis, Paul Grégoire, Archiepiscopi Marianopolitani, Francisci Xavier Azagra Labiano, Episcopi Carthaginensis in Hispania, nec non plurium aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Petrus Donders, Maria Anna Rivier, Maria Rosa Durocher, Maria Angela Astorch, Andreas Bessette, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali :

Beati Petri Donders, die decima quarta Ianuarii. Beatae Mariae Rivier, die tertia Februarii, Beatae Mariae Bosae Durocher, die sexta Octobris, Beatae Mariae Angelae Astorcli, die secunda Decembris, Beati Andreae Bessette, die sexta Ianuarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen ». Contrariis nihil obstantibus. Ceterum, confidimus fore ut novo virtutis exemplo proposito aetati nostrae quam apto, Ecclesia omnis huius Beatae vestigiis insistat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxin mensis Mai, anno MDCCCCLXXXIV Pontificatus Nostri quarto.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

In Secret. Status tab., n. 166.282.

Loco © Sigilli

II

Venerabili Servo Dei Benedicto Menni Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est » *(Lc* 6, 36) : huic mandato dominico obsecuti suique immemores tot egregii viri et mulieres christianae humanitatis officia in proximos contulerunt; per quos est maxime illustrata Ecclesia, pauperum, aegrotorum aerumnosorumque cuiusvis generis amantissima mater. In quorum agmine venerando locum obtinet Benedictus Menni, sodalis Ordinis Hospitalarii S. Ioannis de Deo. Qui natus est Mediolani die xi mensis Martii anno MDCCCXLI, quintus quindecim filiorum, in sacro baptismatis fonte nomine sibi imposito Angeli Herculis. Parentes, qui lignariam negotiationem exercebant, veris virtutibus domesticis eminebant, a quibus ille consuetudinem orandi, probitatem, constantiam, fortitudinem animi didicit. Studiis, ad quae in gymnasiis solet incumbi, absolutis, munus in argentana quadam suscepit,a quo tamen post breve tempus discessit, quia res ei iniungebantur, quae iustitiae eius et recte agendi voluntati adversabantur. Anno MDCCCLix, cum saucios milites de statione viae ferratae Mediolani ad valetudinarium ferret Ordinis Hospitalarii praedicti, se divinitus sensit vocari ad aegrotos adiuvandos. Itaque undevicesimum an-

num agens aetatis, eidem Ordini, mundi calcans delicias, se aggregavit, nomine Benedicti accepto. Postquam votorum sponsione se Deo obligavit, studiis philosophicis ac theologicis in seminario Laudensi operam dedit; haec vero Romae complevit, qua in urbe die XIV mensis Octobris anno MDCCCLXVI est sacerdotio auctus. Superiorum iussu anno MDCCCLXVII se in Hispaniam contulit, ut Ordinem suum, ibi rerum publicarum perturbatione exstinctum, instauraret. Servus Dei Venerabilis Pius PP. IX, Decessor Noster, ei valedicens haec protulit verba : « Proficiscere, fili mi, in Hispaniam, benedictione caelesti adiutus, ad restituendum Ordinem tuum in ipsis eius cunabulis ». Die XIV mensis Decembris eodem anno Barcinone parvum nosocomium aperuit pro pueris corpore detortis scrofulisque affectis. Bello intestino saeviente, una cum nonnullis sodalibus, vulneratis assidebat, sine ullo discrimine factionis. Anno MDCCCLXXVII in oppido *Ciempozuelos* valetudinarium condidit mente captis curandis; varias deinde eiusmodi domos instituit, quae omnes fere destinatae erant morbo animi laborantibus necnon infantibus aegritudine affectis. Ut autem salutarem actionem suam amplificaret, pro mulieribus mentis infirmitate correptis et puellis corpore detorto necnon strumosis iuvandis Congregationem Sororum Hospitalariarum a Ss. Corde Iesu instituit, quam Apostolica Sedes anno MCMI approbavit. Ad curationem quod attinet aegrotorum, de quibus supra est dictum, Servus Dei princeps fuit et veluti antesignanus in Hispania. Re quidem vera parvum ab eo conditum valetudinarium pro infantibus, quod memoravimus, fuit primum in illa natione. Traditioni Ordinis sui inhaerens, etiam adiumentis, quae nova aetas invexerat, scite est usus. Copiosam igitur messem collegit : anno MCMIII quindecim domos Ordinis sui Hospitalarii et novem Sororum instituerat, quarum auctor erat et legifer pater. Tempore difficili, quod Ordo Hospitalarius S. Ioannis de Deo tunc transigebat, Benedictus, Romam accersitus, primo nominatus est Visitator eiusdem Ordinis, deinde, anno MCMXI, Prior Generalis. In tam mirabili vero actione Benedictus non est oblitus spiritus primigenii Ordinis sui, ex quo toti homini, sive corpori sive animae, est adhibenda curatio. Praeterea externa eius opera nitebatur in intima eius coniunctione cum Deo, in eius humilitate, in eius fiducia erga Cor misericors Iesu, et sincera pietate in Deiparam Mariam. « Mi Iesu » — ita dicere solebat — « diffido mihi, fido Cordi tuo ac tibi me permitto ». Sub finem vitae, « sicut igne probatur argen tum et aurum camino » *(Prov* 17, 3), ita Servus Dei non levibus est afílictus aerumnis, doloribus videlicet corporis ac prae-

sertim animi, cum immerito graviores res in eum essent statutae. Qua erat humilitate ac fide, haec omnia tacite toleravit, iam caelo maturus : die XXIV mensis Aprilis anno MCMXIV in urbe Dinano (Diñan) in Gallia piissime obiit. Increbrescente autem Famuli Dei fama sanctimoniae, quam Deus signis visus est comprobare, causa de Beatorum Caelitum honoribus ei decernendis est acta ; atque post ordinarios, ut appellabant, processus, in Matritensi Curia ab anno MCMXLV ad annum MCMXLVII habitos, Commissio introductionis causae, apud Sacram Rituum Congregationem ut tum nuncupabatur, instituendae, die xxvi mensis Februarii anno MCMLXIV a Paulo PP. VI, Decessore Nostro rec. mem., est obsignata. Apostolicis deinde inquisitionibus absolutis, de virtutibus theologalibus et cardinalibus eisque adnexis moralibus venerabilis Benedicti Menni est disceptatum; quas, omnibus perspectis et expensis, a Servo Dei heroum in modum cultas esse Nos die xi mensis Maii anno MCMLXXXII ediximus. Exercita deinde quaestione de miraculis, quae eiusdem Servi Dei nomine invocato a Deo ferebantur patrata, Nos die XIV mensis Decembris anno MCMLXXXIV de uno miraculo, quemadmodum recens exigit lex, pronuntiavimus constare. Deinde diem statuimus, quo ad sollemnem beatificationem procederetur, videlicet xxin mensis Iunii huius anni. Quo feliciter orto, sacra in Petriana Basilica facientes, coram amplissimo Patrum Cardinalium atque Episcoporum coetu, Romanae praeterea Curiae Officialibus, sodalibus Ordinis Hospitalarii S. Ioannis de Deo necnon Sororibus Congregationis Ss. Cordis Iesu ab eo conditis, sacerdotibus aliisque religiosis, ac frequenti Christifidelium congressu, precibus auditis, quibus rogati sumus ut Benedictum Menni et Petrum Friedhofen numero Beatorum ascriberemus, haec ab omnibus exspectata verba protulimus : « Nos, vota Fratrum Nostrorum Angeli Suquía Goicoechea, Archiepiscopi Matritensis, Hermanni Iosephi Spital, Episcopi Trevirensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Benedictus Menni et Petrus Friedhofen Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Benedicti Menni die vigesima quarta Aprilis, Petri Friedhofen die vigesima prima Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Postquam vero novos Beatos precatione propria invocavimus, eorum laudes sermone celebravimus, exempla sancta cunctis ad meditandum proposuimus. Quae vero per has Litteras

statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Komae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiii mensis Iunii, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

8B AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. Î62.638.

HOMILIA

Calendis Ianuariis in basilica Petriana habita.*

1. « Suscipe Sancte Pater ».

« Accogli, o Padre Santo, Dio eterno e onnipotente ».

Accogli questo Anno che oggi incominciamo.

Sin dal primo giorno, sin dalle prime ore desideriamo offrire a Te, che sei senza inizio, questo nuovo inizio collegato con la data 1986.

Questa data ci accompagnerà nel corso di molte ore, giorni, settimane e mesi. Giorno dopo giorno apparirà davanti a ciascuno di noi come un nuovo frammento del futuro, che subito dopo cadrà nel passato, così come del passato fa ora parte l'intero anno trascorso.

L'Anno Nuovo appare davanti a noi come una grande incognita, come uno spazio che dovremo riempire con un contenuto, come una prospettiva di avvenimenti sconosciuti e di decisioni da prendere. Come una nuova tappa e un nuovo spazio della lotta del bene e del male a livello di ogni essere umano e insieme a livello della famiglia, della società, delle nazioni : dell'umanità intera.

Sin dalle prime ore desideriamo offrire a Te questa nuova tappa e questo foglio ancora bianco, il nuovo tempo della prova : *suscipe sancte Pater.*

2. Tu sei il Dio Eterno, che supera ogni tempo del creato : il tempo della terra e il tempo dell'uomo. In Te ((viviamo, ci muoviamo ed esistiamo ».[1]

E nello stesso tempo Tu sei Colui che in Cristo si è fatto a noi

*** Die 1 Ianuarii a. 1986.**

[1] ***At* 17, 28.**

vicino : F Emmanuele, il « Dio con noi ». Sei il Signore della storia. Per Te la storia dell'uomo ha il suo proprio ritmo : il ritmo del Regno di Dio, in cui ci ha introdotto Cristo.

La nascita di Lui ha segnato « la pienezza del tempo », come ci insegna l'Apostolo nella odierna liturgia : « quando venne la pienezza del tempo, Dio mandò il suo Figlio, nato da donna ... perché ricevessimo l'adozione a figli » . [2]

Allora per Te, Eterno Padre, la storia dell'uomo sulla terra si misura col metro di questo mistero, che Tu iscrivi nell'anima e nel corpo dell'uomo : « l'adozione a figli ».

Questo è il metro dell'eterna salvezza. È la misura dell'eterna salvezza. L'adozione a figli, che porta a compimento in ogni uomo l'Immagine e la Somiglianza di Dio, è opera dello Spirito Santo.

Infatti l'Apostolo scrive nel versetto successivo a quello testé citato : « E che voi siate figli ne è prova il fatto che Dio ha mandato nei nostri cuori lo Spirito del suo Figlio che grida : "Abbà, Padre !" » . [3]

Questo grido « Abbà, Padre ! » corre attraverso la storia dell'uomo c al tempo stesso supera, anzi — si potrebbe dire — prorompe oltre il nostro tempo umano. È più grande della storia dell'uomo. Il tuo figlio è venuto al mondo, affinché l'uomo diventasse « più grande » di se stesso e della storia. Affinché avesse in sé il lievito dell'eternità : il fermento della vita eterna in Dio : In Te, Padre, che insieme con il Figlio e con lo Spirito Santo hai prestabilito per i figli umani la partecipazione alla tua vita; hai preparato loro il tuo Regno.

3. Il Figlio ((nato da donna ». I nostri occhi e i nostri cuori sono pieni di questo nascita. Pieni sono della notte santa, che dura nella liturgia della Chiesa otto giorni, un'intera ottava, e incontra, proprio oggi, il primo giorno dell'anno nuovo.

1 nostri occhi e i nostri cuori sono pieni prima di tutto di questa Madre che i pastori trovarono, la notte del Natale, con « Giuseppe e il bambino, che giaceva nella mangiatoia » . [4]

Ecco Maria, ecco Colei che « serbava tutte queste cose meditandole nel suo cuore » . [5] Meditava e medita continuamente insieme con la •Chiesa, insieme con tutti gli uomini di buona volontà.

[2] *Gal* 4, 4-5.
[3] *Gal* 4, 6.
[4] Cfr. *Lc* 2, 16.
[5] *Lc* 2, 19.

E il Bambino, Figlio di Maria, porta il nome di Gesù, perché è stato chiamato così dall'angelo « prima di essere concepito nel grembo della madre ».[6]

Insieme con la nascita di Dio, la Chiesa celebra la divina Maternità di Maria. Il giorno di oggi è dedicato in modo particolare a questo mistero salvifico : Madre di Dio — Theotokos. Maria nel mistero di Cristo, e Cristo nel mistero della sua Madre Vergine.

La dignità ineffabile della Madre di Dio e, nello stesso tempo, l'umiltà più profonda della Serva del Signore. Quanto ce ne parla già la stessa notte di Betlemme, prima ancora che gli avvenimenti successivi dicano il resto, fino alla Croce sul Calvario !

L'Evangelista scrive : ((Maria, da parte sua serbava tutte queste cose meditandole nel suo cuore ».[7]

E in Lei, nella Madre di Dio, la Chiesa trova un'incessante « memoria » di questo mistero divino, dal quale essa cresce nella storia dell'uomo sulla terra : nel cuore della Madre.

« Dio mandò il suo figlio, nato da donna ».

4. Dinanzi a questo Figlio e dinanzi a questa Madre, desideriamo dedicare il primo giorno dell'anno nuovo alla causa della pace e alla preghiera per la pace nel nostro mondo tanto minacciato.

Che cosa parla di più della pace, che cosa ad essa chiama più efficacemente di quest'immagine : La Donna col Bambino tra le braccia. La Madre e il Figlio.

Ed ancora le parole sentite nella notte della sua nascita : ((Gloria a Dio nel più alto dei cieli e pace in terra agli uomini che egli ama ».[8]

5. Corrispondendo alle aspirazioni più profonde che salgono dal cuore dell'uomo, la Chiesa ha proclamato il primo giorno dell'anno « Giornata della Pace ». Nel fare ciò, essa ha voluto sottolineare la propria solidarietà con tutti gli uomini della terra, che servono questa causa con animo generoso e leale. Essa, fra l'altro, intende sostenere gli sforzi che in questo campo compiono i responsabili dell'Organizzazione delle Nazioni Unite, ben apprezzando i nobili scopi che ne ispirano l'attività, in sintonia con i principi fissati nella Carta entrata in vigore quarantanni or sono : allora i Popoli, usciti fuori dall'immane trage-

[6] ***Le* 2, 21.**

[7] ***Le* 2, 19.**

[8] ***Le* 2, 14.**

dia del secondo conflitto mondiale, decisero di « unire le loro forze » per promuovere i beni supremi della pace, della giustizia, della solidarietà. Se questi beni restano ancor oggi in larga misura da realizzare, non deve essere, questo, motivo di scoramento, ma piuttosto di rinnovata decisione e di più convinto impegno.

La Chiesa offre la propria sincera collaborazione in questa ardua, ma appassionante ed urgente impresa. Le Nazioni Unite proclamarono il 1985 Anno Internazionale della Gioventù. Affiancandosi a tale iniziativa, la Sede Apostolica rivolse in particolare ai giovani l'annuale Messaggio di inizio d'anno, centrandone il contenuto sul tema : « La pace e i giovani camminano insieme)). L'invito ad assumere con coraggio ((la responsabilità in questa che è la più grande delle avventure spirituali, cui una persona può andare incontro)), fu accolto dai giovani con entusiasmo e dalla loro generosità scaturirono promettenti fermenti di bene.

6. L'anno che oggi inizia è stato proclamato dall'ONU « Anno Internazionale della Pace ». Ben volentieri la Sede Apostolica si è posta in questa prospettiva, affermando che « la pace è valore senza frontiere » ed aggiungendo, come espressione di una certezza che si radica nella fede nell'a unico Mediatore fra Dio e gli uomini, l'uomo Cristo Gesù » :[9] ((Nord-Sud, Est-Ovest : una sola pace ».

È mio profondo convincimento che la pace ((è valore che corrisponde alle speranze ed alle aspirazioni di tutte le persone e di tutte le Nazioni, dei giovani e dei vecchi, di tutti gli uomini e donne di buona volontà » .[10] Rinnovo perciò anche oggi l'appello « a riconoscere l'unità della famiglia umana » ed a rifiutare, in conseguenza, « quel modo di pensare che porta alla divisione e allo sfruttamento » . " Occorre che tutti si impegnino ((per una nuova solidarietà : la solidarietà della famiglia umana » .[12] Nella promozione di tale altissimo valore, i cristiani hanno una ben precisa responsabilità: «Animati da viva speranza, capaci di sperare contra ogni speranza,[13] essi devono superare le barriere delle ideologie e dei sistemi, per poter entrare in dialogo con tutte le persone

[9] *1 Tm* 2, 5.

[10] Messaggio per la pace 1986, n. 1.

[11] *Ibid.,* n. 4.

[12] *Ibid.*

[13] Cf. *Rm* 4, 18.

di buona volontà e creare nuove relazioni e nuove forme di solidarietà ».[14]

Nella prospettiva della mia visita in India vorrei ricordare — fra le affermazioni che indicano nella fraternità la via che porta alla pace — quelle dell'artefice dell'indipendenza dell'India, Mahatma Gandhi : « l'odio può essere vinto solo dall'amore. Opponendo odio a odio, non si fa che aumentarne l'estensione e la profondità ».[15] ((Dovunque vi siano discordie, ogni qual volta vi troviate di fronte a un avversario, vincetelo con l'amore ».[16]

Mi piace, inoltre, in questo contesto, esprimere il mio apprezzamento per il prezioso ruolo svolto a favore della pace e dell'intesa da coloro che si dedicano al servizio diplomatico. Il mio pensiero va specialmente a quanti rappresentano i propri Governi e Popoli presso questa Sede Apostolica e che sono qui presenti : desidero oggi salutarli in segno di apprezzamento per la funzione che essi svolgono e che consente allá Santa Sede di meglio operare per una sempre maggiore comprensione tra le Nazioni, in ordine alla promozione della pace, alla difesa dell'uomo, al sostegno di ogni iniziativa volta a favorire lo sviluppo dei vari Paesi nel mondo.

7. Proprio perché la pace possa diventare un ((valore senza frontiere », occorre essere sicuri che dappertutto è presente lo stesso desiderio di pace e lo stesso rapporto nei suoi confronti : in ogni regione del globo terrestre, in ogni sistema, in ogni società — in definitiva — in ogni cuore umano.

Tutti devono accogliere l'eloquenza essenziale della beatitudine del discorso della montagna, rivolta agli « operatori di pace »,[17] a coloro che si impegnano a favore della giustizia e procurano così la sicurezza e la pace. Occorre che l'uomo possa essere sicuro dell'uomo. La nazione sicura della nazione. Dietro la parola « pace » non può nascondersi nessuna intenzione né attività ad essa contrarie.

8. Infatti la pace così intesa è condizione del nostro pensare al futuro. Ê condizione del futuro stesso, nella dimensione più lontana e più vicina; e per immediato futuro, nella dimensione di quest'anno 1986.

[14] **Messaggio per la pace 1986, n. 6.**

[15] *Gandhi, Antiche come le Montagne,* **Milano 1971, p. 146.**

[16] *lUd.,* **p. 120.**

[17] *Mt* **5, 9.**

Perciò oggi ci poniamo ancora una volta dinnanzi al mistero del Natale.

In esso cerchiamo e troviamo le ragioni ultime della pace in terra.

Le parole cantate nella notte di Betlemme ci rafforzano in questa convinzione, quando dicono, prima, della « gloria a Dio » e poi degli « uomini che Dio ama », degli uomini di buona volontà. Appunto : di buona volontà.

E la Maternità della Genitrice di Dio rende testimonianza alla dignità di ogni vita umana, e grida a gran voce a tutti, da un confine all'altro della terra : « non uccidere ».

E come prova che « siamo figli », noi ci avviciniamo all'altare per gridare « Abbà, Padre ! ».

Non siamo schiavi delle forze, che portano la distruzione, siamo figli nel Figlio, siamo eredi nel Regno di Dio.

Ci avviciniamo quindi all'altare e diciamo : « Suscipe sancte Pater ».

Padre accogli in questo sacrificio eucaristico il nostro anno nuovo.

Dona ad esso la pace in terra.

ALLOCUTIONES

I

Ad Exc.mum Virum Franciscum Cossiga, Rei Publicae Italiae Praesidem, quem Summus Pontifex humanissime invisit.*

Signor Presidente!

1. Le sono molto grato per le cortesi espressioni con cui Ella, facendosi interprete anche dei sentimenti del Popolo italiano, mi ha accolto nella sua dimora. Ho seguito con grande attenzione le pensose riflessioni da Lei svolte, sentendo in esse vibrare la viva coscienza che Ella ha del suo compito istituzionale.

L'odierna visita in questa storica residenza del Quirinale richiama altri due incontri, succedutisi in un breve volgere di anni. Il ricordo più vicino si riferisce alla visita da Lei fatta recentemente in Vaticano ; ma è pure sempre viva nel mio animo la memoria di quando, il 2 giugno 1984, fui ricevuto dal suo Predecessore, il Senatore Sandro Pertini.

* Die 18 m. Ianuarii a. 1986.

La frequenza di questi incontri negli ultimi anni è certo dovuta alla coincidenza di particolari circostanze; tuttavia, non ci si può sottrarre ad una domanda in ordine al loro significato. Si tratta di un interrogativo, che ha aspetti generali ed assume rilievo ogni volta che i rappresentanti della Chiesa si incontrano con quelli di uno Stato. Nel caso dell'Italia, esso presenta caratteristiche singolari e specifiche, a motivo di una ((vicinanza » che è insieme geografica e storica, oggettiva e personale. Quando il primo Magistrato della Repubblica Italiana ed il Pastore universale della Chiesa si trovano l'uno di fronte all'altro, immediatamente emergono quelle ragioni di distinzione e di legittima autonomia nelle rispettive funzioni, di mutuo rispetto e di leale collaborazione, che costituirono il principio ispiratore dei Patti Lateranensi e che hanno trovato conferma nell'Accordo del 18 febbraio 1984. Questo, apportando al Concordato le modificazioni suggerite dalle mutate situazioni storiche e culturali, ha inteso favorire il pacifico e fruttuoso esercizio delle due potestà, che riguardano persone che sono, allo stesso tempo, membri della Chiesa e cittadini dello Stato. A tale proposito, come è noto, il Concilio Vaticano II afferma : « La comunità politica e la Chiesa sono indipendenti e autonome l'una dall'altra nel proprio campo. Tutte e due, anche se a titolo diverso, sono a servizio della vocazione personale e sociale delle stesse persone umane. Esse svolgeranno questo loro servizio a vantaggio di tutti in maniera tanto più efficace quanto meglio coltiveranno una sana collaborazione tra di loro, secondo modalità adatte alle circostanze di luogo e di tempo)>.*

Un primo e fondamentale significato dell'odierno incontro è dunque da ritrovarsi nella comune affermazione di tali principi e dell'impegno che da essi scaturisce, di una sempre più concorde e benefica cooperazione tra lo Stato e la Chiesa nel servizio di promozione dell'uomo e della società.

2. Al contempo, rendendo visita al Primo Cittadino d'Italia, io desidero compiere un pubblico, doveroso atto di gratitudine per l'accogliente ospitalità che cittadini e gruppi, istituzioni e autorità riservano a tutti coloro che vengono in Italia e, in particolar modo, a Roma, mossi da motivazioni spirituali e religiose. Ciò dicendo, io so di interpretare anche il pensiero dei miei Confratelli nell'Episcopato di tutto il mondo.

[1] **Cost.** ***Gaudium et spes,*** **76.**

È consolante costatare come i numerosi pellegrini e visitatori, che si recano nell'Urbe per « celebrare » la loro fede cattolica, trovino qui un ambiente che si distingue per cordialità, semplicità, generosità. È un tipico spirito di ospitalità che è proprio dell'animo del Popolo italiano e tradizionalmente ne caratterizza il costume : mi piace, in questa sede, darne ancora una volta formale riconoscimento.

3. Signor Presidente, l'accenno all'ospitalità tradizionale del Popolo italiano mi porta quasi naturalmente ad allargare il discorso all'intero patrimonio storico di questa Nazione, che affonda le sue radici nella tradizione cristiana ed è intimamente legato alla presenza della Sede Apostolica. Tale presenza, in quanto evocatrice di memorie storiche e di funzioni provvidenziali, costituisce un perenne richiamo che stimola alla custodia ed allo sviluppo di tale bimillenario patrimonio.

Ut operis sui stabilitati consuleret, adiutores sibi conciliavit, sacerdotes et laicos, qui eius consilium, negotia, incommoda et vitae rationem probabant. Pro bis instituit, ea peculiari mente ut in educationem christianam iuventutis pauperis in campo laboris incumberet, Pium Sodalicium a Sacra Familia Nazarena, quae postea Congregatio religiosa facta est et viva voce approbata a Domino Iacobo Maria Corna Pellegrini, episcopo Brixiensi, die 25 mensis Maii a. 1902 et die 23 mensis Decembris a. 1908 formali Decreto. Huic proposuit ad imitandum tamquam exemplar Sacram Familiam Nazarenam : Ioseph, exemplum servitii gratuiti et fidelis; Mariam, exemplum credentis, quae Verbum accepit prompta et tota voluntate; Iesum qui, oboediens voluntati Patris et parentum auctoritati, simplicem et humilem operariorum vitam participavit non paucos annos. Sodales suos monebat ut alacriter spiritum familiae colerent eumque significarent « patientia, caritate, benevolentia, benignitate ; quas virtutes — aiebat — non exercebimus, nisi prius conabimur esse inter nos affabiles, suaves, et in ore mel habere, caritatem in cordibus ; nisi prius inter nos amabimus, feremus, adiuvabimus, benignitate abundabimus et redundabimus : hic enim spiritus pervadere debet penitus sanctum nostrum Institutum ».

Ad puellas educandas suisque operibus assidendum, instituit una cum piissima vidua Elisa Baldo Foresti, Sodalicium Pauperum Servarunt a Sacra Familia (anno 1911), mutatum postea in Congregationem iuris dioecesani ab Episcopo Hyacintho Gaggia, die 15 mensis Decembris a. 1924, nomine indito Humilibus Domini Servis.

Nec solummodo opera sua condenda et regenda curavit, verum etiam multimodis populo Dei servivit, libenter se conferens in ministerium evangelizationis, praedicationis, confessionum, moderationis spiritualis, in curam pauperum, infirmorum, viduarum, operariorum. Favit vocationibus sacerdotalibus et religiosis. Eximie functus est peculiaribus et difficilibus muneribus sibi a superioribus ecclesiasticis creditis. Scripta catholica typis edenda fulsit. Optimo, quo poterat, modo, quodlibet fovit inceptum in urbe sua initum. Gaudia et spes luctus angoresque hominum suae aetatis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum, tamquam gaudia sua et spes, luctus et angores suos habuit; nihilque vere humanum inveniebatur, quod in corde eius

non resonabat (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et Spes,* 1).

Omnes nanciscebatur occasiones ut ad promotionem regni Dei in animas et in mundum prodesset, hortationem explicans Sancti Gregorii Magni : « Si ad Deum tenditis, curate ne ad Deum soli veniatis » *(Homiliae XL in Evangelia,* hom. 6, n. 9. ML 76, 1098).

Continui exanclati labores, ut cum ceteris « investigabiles divitias Christi » *(Eph* 3, 8), communicaret, vita interiore alebantur, quam summo studio, assiduitate et fervore excoluit.

Semper ardenter appetivit perfectionis christianae culmen et re vera sine intermissione progressus fecit in coniunctione cum Christo et in fidelitate erga voluntatem Dei, a quo solacia et dolores, commodam valetudinem et morbos, prosperitatem et paupertatem aequo animo accipiebat. Est enim summa sapientia se ipsos reicere ut Patris caelestis voluntas fiat tum in adversa fortuna tum in secunda.

Etsi naviter ad quaestiones hominum sui temporis accedebat, mente tamen et animo coram Deo semper erat, quem magis magisque pernoscere cupiebat. Qua re numquam deprecationem et meditationem Sacrarum Litterarum et magisterii Ecclesiae dimittebat. Magni faciebat Liturgiam, quae ((est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat » (Conc. Oec. Vat. II, Constitutio de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* 10). In Missae celebratione et in sacris operandis quodammodo transfigurabatur et multum temporis insumebat in Eucharistiae adoratione.

Peccatum putabat unicum, verum malum, et contra illud obstinata voluntate pugnabat, tum per accuratam iuvenum educationem illud praecavendo, tum arguendo et severe refrenando, tum denique peccatorum conversioni favendo.

Eius fides et spes et caritas in Deum et in proximum ardentissimo igni similes erant, qui eius animum incendebat, verba, acta; quin, conscius necessitatum spiritualium eius aetatis, voluisset illum ignem in omnes familias et in universam humanam societatem disseminare, ne ullus bonis redemptionis et ad ultimum gaudio aeterno privaretur.

Quotquot eum cognoverunt, eius rectae et limpidae indolis beneficam allegationem senserunt, dotibus humanis et praesertim virtutibus christianis et sacerdotalibus exornatae. Is vero nihil faciebat, ut hominum attentionem in se converteret eorumque existimationem et laudem sibi compararet : humilis et pauper natus, sponte et constanter humilis esse perrexit inter humiles et pauper inter pauperes.

Servum inutilem et parvum Providentiae instrumentum se putans, latere et neglegi studebat, et operum suorum exitum tribuebat gratiae divinae et peritiae adiutorum.

Fortis fuit in rebus adversis, prudens in regimine Institutorum suorum; sibi temperavit, quamvis natura fervidus esset; firmus in consultis, disciplinae et asceseos cultor; parcus cibi et somni, simplex et obsolete vestitus; consideratus, habitu austerus, terrestrium bonorum neglegens, moribus integer, iustus erga omnes, superioribus obsequens, in quibus ipsum Deum videbat; amicus fratribus sodalibus, gratus erga beneficiorum auctores.

Splendidam virtutum suarum coronam ornavit pretiosissima margarita dolorum corporis, quorum causae fuerunt complures morbi, qui praesertim ultimis vitae annis ei quasi consueti comites fuerunt; quos vero is, cum bene passionem et mortem Domini meditatus esset, excepit et perfecta cum laetitia tulit, adimplens in carne sua ea, quae desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia (cf. *Gol* 1, 24).

Die 9 mensis Aprilis anno 1913, dum Coloniam Agrestem in vico *Remedello Sopra* visebat, est gravi paralysi correptus. Insequenti die petiit et habuit Sanctum Viaticum, quod magno fervore recepit; dein placide in Domino sopitus est, die 25 mensis Aprilis anno 1913.

Fama sanctitatis, quam vivus sibi pepererat, etiam in morte eius et in exsequiis apparuit et insequentibus annis dimanavit. Quam ob rem Curia episcopalis Brixiana, acto Processu Ordinario Informativo (annis 1943-1948), Causam beatificationis et canonizationis iniit; die 2 mensis Aprilis anno 1954 editum est Decretum de scriptis Servo Dei tributis. Deinde adornatus est Processus additicius (anno 1958) apud eandem Curiam.

Tum deinceps prodita sunt Decreta de Causae Introductione (anno 1963, die 29 mensis Martii) et de non cultu (die 4 mensis Aprilis anno 1964). Processus Apostolicus instructus est annis 1967-1969. Die 11 mensis Aprilis anno 1970 editum est Decretum de horum Processuum vi et auctoritate. Tandem, etiam rogatu sollertis Postulatoris, P. Guidonis Mantovani Lanfranchi, die 14 mensis Ianuarii anno 1986, Consultores Theologi Congressum Peculiarem de virtutibus egerunt felici cum exitu.

Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 4 mensis Martii eodem anno habita, Ponente Causae Em.mo ac Rev.mo Cardinali Iosepho Casoria, professi sunt Servum Dei Ioannem Bapti-

stam Piamarta heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum appararetur.

Quod cum rite esset factum, hodierna die, accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Baptistae Piamarta, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Martii, A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINA *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

II

MAIORICEN.

Canonizationis Servae Dei Caietanae Albertae Giménez vid. Civera, Fundatricis Congregationis Sororum a Puritate B. M. Virginis (1837-1922).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Ecclesiae praesentia in scholarum campo ostenditur peculiari ratione per scholam catholicam. Ea quidem non minus quam aliae scholae fines culturales et humanam iuvenum formationem prosequitur. Proprium autem illius est communitatis scholaris ambitum,

spiritu evangelico libertatis et caritatis animatum creare, adolescentes adiuvare ut in propria persona evolvenda una simul crescant secundum novam ereaturam quae per baptismum effecti sunt, atque universam culturam humanam ad nuntium salutis postremo ordinare ita ut cognitio quam alumni de mundo, vita et homine gradatim acquirunt, fide illuminetur » (Conc. Oec. Vat. II, Declaratio de educatione christiana *Gravissimum Educationis,* 8).

In numerum eorum, qui in schola se ad formationem humanam et christianam iuventutis contulerunt, ascribenda est etiam Serva Dei Caietana Alberta Giménez, vidua Civera, quae effecit ut multae sui temporis puellae materni nominis Ecclesiae benéficos effectus prorsus experirentur suasque corporis, animi, intellectus et spiritus facultates harmonice excolerent, ita quidem ut fierent mulieres vere maturae, aptae ad tranquille adeundam societatem, ad actuose et libenter bonum commune fovendum, ad congruenter agendum qua Dei filiae et Ecclesiae alacria membra.

Volens muneri, Sponsae Christi proprio, Evangelium praedicandi et homines servandi atque populi sui progressui operam navare, totam se dedidit puellarum ministerio, provectui mulieris re favens auctu spiritualis et humani civilisque cultus.

Serva Dei die 6 mensis Augusti nata est anno 1837 ex Alberto Giménez et Apollonia Adro ver Pollentiae in insula Maiorica. Insequenti die baptismi sacramentum accepit, nominibus inditis Caietana Alberta Francisca Aloisia. Iam a pueritia lenem et affabilem indolem ostendit, aere ingenium, studii curam et diligentiam, obsequium erga parentes et fervidam pietatem, cum familia vitam degens in pluribus urbibus. Anno 1852 Palmae semel domicilium collocavit, ubi, moderrante professore Francisco Civera, claro mathematico et artis educandi studioso, diploma magistrae ludorum elementariorum est assecuta, cui postea addidit officia praeceptricis et praesidis Scholae ludi magistri instituendis.

Die 7 mensis Aprilis anno 1860 nupsit professori, quem supra diximus, cui quattuor filios genuit; sed horum ultimus tantum, Albertus, aetatem adultam attigit, ceteri vero in teneris mortui sunt. Hi coniuges, magno amore coniuncti et eodem institutorio proposito, scholam privatam aperuerunt, in qua ipsi erant praeceptores. Cum die 17 mensis Iunii anno 1869 vidua facta esset, Episcopus Michael Salva Munar anno 1870 eam praefecit Ephebeo a Puritate Mariae Sanctissimae, condito anno 1809 puellarum educandarum causa, in

quo laudatissima magistra fuit. Adiuvante sacerdote Thoma Rullán, Institutum renovavit; rem oeconomicam sanavit, disciplinam emendavit, professores in melius mutavit, gradum culturae et religionis evexit. Haec persequens, fortem animum ostendit, consiliorum planitatem, peculiares ordinandi dotes, constantiam in actione, incommodorum tolerantiam, eximias educandi virtutes, maternum animum, Providentiae et divinae gratiae fiduciam. Voluit suum Ephebeum quoad educandi rationes et instrumentorum didacticorum novitatem principatum obtinere et omni ope contendit ut in eo praeceptio normam vere catholicam sequeretur essetque efficax via qua animae adducerentur ad Deum. Habilitatem singularum alumnarum observans, optabat omnes ad amplum et solidum mentis animique cultum informarentur, ut quam optime futuris suis muneribus in familiis et in societate fungi possent.

Quandoquidem « evangelium scholae catholicae est anima, eiusque vitae et doctrinae norma » *(Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* vol VII, 1 [1984], p. 1957), Serva Dei potissimum curabat ut Ephebei alumnae non solum doctrinam et legem christianam de moribus cognoscerent, verum etiam Christi praecepta explicarent. Hinc eas adiuvabat, ut interiorem et spiritualem vitam suam continuo colerent et permagni facerent precationem, exercitium virtutum, sacramentorum assiduitatem, fidelitatem erga Ecclesiam, peccati evitationem. Pietatem erga Sanctissimam Trinitatem, Eucharistiam, Sacrum Cor Iesu et erga Virginem Dei Matrem inculcabat eis. Postremo, cupiebat magis magisque eas conscias esse doni fidei et discere in spiritu et veritate Deum adorare (cf. *Io* 4, 23), ut occurrerent in mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph* 4, 13), et augmento corporis mystici operam praestarent (cf. Conc. Oec. Vat. II, *ib.*, 2).

Non minore sollertia et peritia, ab anno 1872 ad annum 1912, munere functa est Praesidis Scholae Femineae ludi magistris instituendis, a Potestatibus publicis constitutae in conclavibus Ephebei a Puritate; et quando vidit eam abolitam esse, cum multi suam non dissimularent indignationem, ea contra, plene aequa et serena mansit.

Nec tantum formandae iuventuti se tradidit, sed mira cum sapientia et constanti sollertia inde ab initio vitam christianam et ad disciplinam pertinentem excoluit <(Sororum », id est earum mulierum quae, cum ea viventes, in rectione et in institutione alumnarum Ephebei eam adiuvabant.

Pro his mulieribus post aliquot annos accuratae et progredientis praeparationis, condidit, industrio adiumento reverendi Rullán, Congregationem Sororum a Puritate Beatae Mariae Virginis, quae est canonice approbata postridie calendas Augustas anno 1892 ab Ordinario dioecesano, qui eodem die ratam habuit nominationem Servae Dei in primam Antistitam Generalem; quod munus deposuit anno 1916 ob incommodam valetudinem. Die 6 Augusti a. 1892 vota iteravit iam antea suscepta. Anno 1901 laetata est, quod decretum laudis accepit, quo Sancta Sedes familiam religiosam approbavit, quam ipsa instituerat.

Sicut alumnis, ita sodalibus Sororibus vera mater fuit, semper intenta ad necessitates earum et communitatis. Humanitate et simplicitate earum gaudia et aegrimonias communicabat et multimodis in Congregatione spiritum familiae alebat, mutuae benignitatis mutuique officii.

Alte de vocatione religiosa sentiebat, et idcirco consilia dabat, adhortabatur, firmiter et prudenter filias suas ad perfectionem ducebat ; gratiosior erat in infirmas, quas frequenter visebat et solabatur amanter.

In hortando et in corrigendo multa utebatur prudentia multaque lenitate; sed, pro tempore, etiam firmitate et severitate; semper autem aequabilitate et continentia, maternis sensibus et tractatione. Quodlibet studium et iniquum favorem vitabat, tantaeque suavitatis erat in sorores, ut quaeque opinaretur se in oculis eius esse. Anteibat omnibus vita pietatis, Regularum et votorum observantia, cumque gratia et auctoritate primum locum teneret, libenter quemlibet laborem exanclabat, qui communitati et proximo utilis esset.

Quamvis multis gravibusque negotiis distineretur, continenter tamen coram Deo vitam vivebat. Cultum liturgicum magno in honore habebat, ex: quo perutiles vires hauriebat ut suam aleret animam, semper maioris perfectionis studiosam. Multum temporis ad precationem destinavit, ad divinarum veritatum contemplationem, ad Eucharistiae adorationem, ad pium Viae Crucis exercitium, ad Rosarium, ad iaciilatorias preces. Magno cum fervore ad sacramenta accedebat, et ceteros hortabatur, ut idem facerent.

Spiritu Evangelii ducta, fidem Dei composuit ad amorem culturae, progressus, provectionis socialis mulieris; sicque pro certo habebat omnes fideles per viam fidei vivae incedere debere, quae spem excitat et per caritatem operatur (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio dogma^

tica de Ecclesia, *Lumen Gentium,* 41), ut parata esset ad quolibet incommodum obeundum, ut lux vera omnem hominem illuminarci. Qua re formationi iuvenili fundamentum iecit institutionem religiosam et almam Christi cognitionem et imitationem. Ipsa spiritum missionale distinctissimum coluit, conscia omnes fideles officio teneri cooperandi ad expansionem et dilatationem Regni Dei (cf. Conc. Oec. Vat. II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae *Ad Gentes Divinitus,* 36).

Amoris Dei et proximi lucernam semper subvexit et quae longae vitae cursu fecit nitebantur oboedientia praecepto caritatis, quod est lex maxima humanae perfectionis indeque mundi transformationis (cf. Conc. Oec. Vat. II, Constitutio pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et Spes,* 38).

Cum cognovit vires suas ob morbos et aetatem decessisse, non invita munus Antistitae Generalis abdicavit, et pergens vitae communi interesse, utilis erat Ecclesiae et congregationis suae continua deprecatione, testimonio perfectae oboedientiae, patientia in doloribus, opellis.

Cuiuslibet boni terrestris immemor et aeternitatis ardens appetione, sancte de vita decessit Palmae in insula Maiorica die 21 mensis Decembris anno 1922. Postridie funus ei factum est, quod in summam laudem cessit et in iustum exitum vitae ministerio Dei et proximi omnino deditae in perfecta fidelitate erga vocationem et Ecclesiam.

Fama sanctitatis, qua viva floruit, post mortem eius increbuit. Quam ob rem Ordinarius Maioricensis causam beatificationis et canonizationis iniit celebrato Processu Ordinario Informativo (annis 1960-1963) ; eodem tempore adornatus est Processus Rogatorialis Caesaraugustanus (anno 1962), atque anno 1965 editum est Decretum de scriptis Servae Dei tributis, dieque 7 mensis Octobris anno 1972 Causa est introducta. Concessa dispensatione super celebratione Processus Apostolici de virtutibus in' specie, loco eius paratum est *Summarium Documentorum,* moderante Officio Historico-Hagiographico Congregationis pro Causis Sanctorum. Anno 1972 promulgatum est Decretum *de non cultu;* anno autem 1981 Decretum de horum omnium Processuum vi et auctoritate exiit. Die 26 mensis Novembris a. 1985 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum consuluit de virtutibus a Serva Dei explicatis, eorumque sententiae faventes fuerunt.

Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 25

mensis Februarii a. 1986 habita, Ponente Causae Em.mo ac Rev.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi, professi sunt Servam Dei Caietanam Albertam Giménez, viduam Civera, virtutes théologales, cardinales et adnexas ut héroes addecet exercuisse.

Facta demum Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua, vota excipiens Congregationis pro Causis Sanctorum, mandavit ut Decretum super Servae Dei heroicis virtutibus conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque convocari solitis, eisque astantibus, Beatissimus Pater edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Caietanae Albertae Giménez, viduae Civera, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 22 mensis Martii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

SANCTI PHILIPPI

Canonizationis Servae Dei Teresiae a Iesu (in saeculo: Ioannae Fernández Solar), Novitiae monialium Ordinis Carmelitarum discalceatorum.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio, et in misericordia et miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, et cognosces Dominum» *(Os* 2, 21-22).

Ut fortem et tenerum, aemilium et misericordem Domini amorem in Israel, et postea Christi in Ecclesiam, exprimant, Sacrae Litterae saepe imagine utuntur amoris coniugalis. Eadem imago pluries in traditione catholica est adhibita ad significandam Dei necessitudinem cum omni anima christiana quae, se omnino neglecta, ex toto corde Dominum amat, ex tota mente, ex tota virtute (cf. *Me* 12, 30), et sine exceptione cum divina voluntate consentit; perfecta namque cum Deo coniunctio efficitur « cum duae voluntates, animae videlicet et Dei, plene conveniunt, quandoquidem in altera nihil est quod alteri repugnet » (S. Ioannes a Cruce, *Subida del Monte Carmelo,* II, 5, 3).

Multae animae saeculorum cursu, humiles et magnae, trahi se prorsus, purificari, mutari a Domino siverunt; unde ab eo obtinuerunt ut vehementer et suaviter mirum sponsalis amoris donum experiantur, cui ipsae, uti sponsae fidelissimae, per totam vitam suam responderunt. Scimus enim sponsam Christi esse « significare se dedere sicut is se dedidit; significare sicut eum, ab eo, pro eo immolari. Sponsam Christi esse significat omnia iura in Cor eius habere. Est quoddam per totam vitam *cor ad cor.* Est in eo plene requiescere eique permittere ut plene in animis nostris requiescat. Est nihil aliud scire, quam amare; amare adorando, amare precando, donando, se obliviscendo; semper amare omnibus modis » (B. Elisabeth a Trinitate, *J'ai trouvé Dieu,* II, p. 122).

Haec cogitavit, optavit et experta est etiam Serva Dei Teresia a Iesu (in saeculo, Ioanna Fernández Solar), novitia Ordinis Carmelitidum Discalceatorum, quae paucis annis summum iugum montis Dei attigit, seu magnam perfectionem, ardenter ex intima coniunctione cum Deo vivendo, coram eo ambulando et, ut Sancta Teresia docet, « boni Iesu convictum » quaerendo (cf. *Camino de perfección,* 29, 7); et in hoc convictu tam assidua fuit, ut ei cantare licuerit: « Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi » *(Ct* 6, 3). Cum eo voluit vivere idem cogitando, idem sentiendo, idem faciendo, ita ut Pater, in eam oculos convertens^ invenire posset imaginem Filii sui, Spiritus eam sibi desponderet et Tres Divinae Personae suum in ea domicilium collocarent.

Serva Dei nata est Sancti Iacobi in Chile die 13 mensis Iulii anno 1900 e Michaele Fernández Jaraquemada et Lucia Solar Armstrong, bene de rebus domesticis constitutis et piis christianis; biduo post est baptizata eique indita sunt nomina Ioanna, Henrica et Iosepha a Sacris Cordibus. A familia, et maxime ab optima matre, est primo ad religionem educata. Sinens se submisse et tranquille actione gra-

tiae permeari, cito fructus edere coepit exquisitae bonitatis et insignis pietatis. Puellula constantem precationis amorem ostendit, parvarum castigationum, et vivam accedendi ad Sanctissimam Eucharistiam cupiditatem. Ipsa scripsit iam anno 1906 cor suum a Iesu captum esse.

Septem annos nata primum ad sacramentum reconciliationis accessit ; die 11 mensis Septembris a. 1910 post longam et fervidam praeparationem, primam sancti altaris Communionem accepit, quae initium fuit procedentis mutationis et similitudinis cum Christo. Exinde eius cum Domino cumque Virgine Maria familiaritas crevit sine intermissione eiusque agendi ratio, firma custodia sui recta, singulari modo facta est amabilis, mitis, gratiosa, quieta, constans, quamquam eius indoles erat fortis et animosa. Iam tunc nihil omnino terrenis rebus trahebatur : adeo ut mortem cuperet, quo semper cum Domino esset cuius amore fiagrabat. Eodem anno sacramentum confirmationis accepit.

Ludos litterarios pueris instituendis, domicilia maiorum disciplinarum, athenaea magna frequentavit Sancti Iacobi apud ephebeum cui Sorores a Sacro Corde praesidebant, primum ut alumna externa (annis 1907-1915), deinde ut interna (annis 1915-1918). Diligenter pensa explicavit, persuasum habens ea esse voluntatis Dei significationem. Familiares, educatrices et aequales, eius animi et corporis moderationem mirabantur, placidam modestiam, ephebei disciplinae observantiam, aequam ad amicitiam inclinationem et ad proximi utilitatem, promptum erga vocem Dei obsequium, fervidam pietatem et spiritum paenitentiae, vehementissimam appetitionem proiiciendi in perfectione et obstinatam voluntatem peccata fugiendi vel venialia voluntaria, cum mori mallet quam suum offendere Dilectum. Iam Sponsi animae eius amor fortior erat morte et cupido se ei vovendi durior inferno (cf. *Gt* 8, 6). Hoc proposuerat: «Iesu volo esse sponsa». Hinc die festo Immaculatae Conceptionis anno 1915, confessarii permissu, castitatis votum nuncupavit novem dierum, quod semper iteravit. Cum studeret se a Deo cognosci, non a mundo, delicias suas ponebat in se vitae interiori tradenda, quam abundanter alebat exercitio praesentiae Dei, precatione continua, meditatione, diligenti Sacrarum Litterarum cognitione, singulari pietate erga Eucharistiam, erga Sacrum Iesu Cor et Virginem Mariam, quam praesertim colebat sub titulo ((Matris Admirabilis ». Divino amore incensa expetebat ut aqua Redemptionis et igne caritatis christianae terra renovaretur; qua re vere apostolici animi erat; christianae religionis magistra indefa-

tigata fuit tum Sancti Iacobi in Chile tum alibi, quo se familia conferebat, auxilium ferens etiam in missionibus ad populum. In famulos et inquilinos curam intendebat, quolibet et omnibus nitebatur, cum laetitia, verbum evangelicum afferre et humile maxime caritatis exemplum. Pauperes diligebat, quibus dabat quae a matre accipiebat. Ad fraternam consuetudinem propensa, erat amica mira, amabilis et modesta, atque in amicitia et in apostolica industria manifestabat quae in ea Dei gratia egerat.

Seiungens se ab iis, quae potissimum amabat, et quidem non sine aegrimonia, consentientibus parentibus die 7 mensis Maii anno 1919 ingressa est, ingenti cum gaudio, pauperem et humilem Carmelum de *Los Andes*, quo altius se in divinam caritatem abderet et, in solitudine et silentio, in precatione et paenitentia, cum eo esset, qui cor eius devinxerat. Ipsa causas patefecit, quibus inducta est ad Carmelum ingrediendum : « Imprimis est vita deprecationis quae ibi vivitur ... Solitudo : felix sum cum sola sum, quia cum Deo sum ... Paupertas Carmeli ... Paenitentia ... Incommoda vitae Carmelitanae ... Vita Carmeli eo spectat, ut pro sacerdotibus precetur, quo sancti fiant, et pro peccatoribus, quo se convertant ... Carmelitis se sanctam facit, ut Ecclesiae membra sancta faciat ». Et, in alio scripto, addidit : « Haec est vocatio carmelitana : hostiam esse, quae Deo se offert continuo pro mundo peccatore ». De hac re ita certa erat ut, cum etiam in ephebeo Sacri Cordis degebat, se hostiam piacularem offerret. Qua de re non defuerunt ei angores, aerumnae et morbi; sed ad extremos usque dies in sui proposito mansit : ((Non tantum vitam tibi offero, sed etiam mortem cum gaudio suscipiam in solitudine et desolatione Calvarii vel in paradiso domus Nazaretanae. Si vis me dolorem patientem, Crucem portantem, humiliationes sustinentem, et insuper ab omnibus conculcatam, *Fiat Voluntas Tua*».

Die 14 mensis Octobris anno 1919 vestem religiosam sumpsit et nomen Sororem Teresiam a Iesu ; dein canonicum novitiatum iniit. Durae vitae monasteriali adhaesit toto suo fidei et amoris fervore, fortis et patiens in aegritudinibus animi, Regulae studiosa, commoditatis iacturae, laboris vel humilis et gravis. Meditatio, spiritus precationis, vivus praesentiae Dei sensus per omnia et perennis cum Domino coniunctio contemplativa, animi ad sodalitatem proclivitas, in austeritatibus generositas, cellae solitudinis cultus, brevi tempore eam ad spiritum Carmeli Teresiani informaverunt et eius vitam verterunt in spirituale sacrificium Deo acceptum.

Sponsus, qui eam traxerat ad se et in desertum duxerat ut loqueretur ad cor eius (cf. *Os 2,* 16), non est moratus ad nuptias aeternas eam admittere : quod quidem iam illa vehementissime exoptabat ; namque corpore peregrinabatur in terra, animo vero habitabat in caelo. Privilegium habuit ascensum in Calvariam incipiendi una cum Victima divina, die Veneris Sancto anno 1920, cum est typho correpta. Acerbis vexata doloribus, quos toleravit praemium proximum expectans, laete sacramenta accepit et die 6 mensis Aprilis « in articulo mortis » professionem religiosam fecit. Placide et pie mortua est die 12 mensis Aprilis vesperi.

Fama sanctitatis, qua viva floruit, inopinata cum magnitudine apparuit in exsequiis et insequentibus annis increbruit non tantum in familia carmelitana, verum etiam in populo Chiliensi et in aliis Americae Latinae regionibus. Eam ob rem Ordinarius Sancti Philippi beatificationis et canonizationis Servae Dei causam iniit per celebrationem Processus Ordinarii Informativi (annis 1947-1954), quocum acti sunt duo Processus Rogatoriales Sancti Iacobi et Processus item Rogatorialis Vallis Paradisi. Obtento a Congregatione pro Causis Sanctorum « Nihil Obstat » (die 23 Aprilis anno 1976) ad normam M. P. *Sanctitas clarior,* apud Curiam Sancti Philippi actus est Processus Cognitionalis (aa. 1976-1977). Deinde edita sunt Decreta super non cultu (anno 1981) et super vi atque auctoritate Processuum (anno 1981).

Felici cum exitu Consultores Theologi exquisiverunt virtutes Servae Dei in Congressu Peculiari diei 3 Decembris anno 1985.

Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 18 mensis Martii a. 1986 habita, Ponente Causae Em.mo Cardinali Agnelo Rossi, professi sunt Servam Dei Teresiam a Iesu heroum in modum virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem fideli relatione Summo Pontifici Ioanni Paulo II, Sanctitas Sua vota Congregationis libenter excipiens, ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus conscriberetur mandavit.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis,*

Servae Dei Teresiae a Iesu, novitiae monialium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 22 Martii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il **Santo Padre Giovanni Paolo** II **ha ricevuto in Udienza :**

Giovedì, 10 Luglio 1986, S. E. il Signor JOSÉ SARNEY, **Presidente della Repubblica Federativa del Brasile.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

7 maggio 1986. L'Ill.mo Signor Ivan Ruggiero, ***Ragioniere Generale della Prefettura degli Affari Economiei della Santa Sede.***

23 maggio 1986. I Sacerdoti : Barthélémy Adoukonou ; Jan Amhaum ; Jean Corbon ; Joachim Gnilka ; José M. Ibáñez Langlois, Op. Dei; Peter Miyakawa; Francis Molonney, S.D.B.; Henrique de Noronha Galvâo; Franc Perko ; Felix Wilfred ; — i Rev.di Padri : Jean-Louis Brués, O.P.; Georges Cottier, O.P.; Gilles Langevin, S.I.; Stanislaw Nagy, SCI; James Okoye, CSSp; — i Signori: John Finnis; William May, ***Membri della Commissione Teologica Internazionale.***

» » » Le LL. EE. i Monsignori Carlo J. Boaventura Kloppenburg, Vescovo tit. di Vulturara e Jorge Medina Estévez, Vescovo tit. di Tibili ; — i Monsignori : Carlo Caffarra; Giuseppe Colombo; Philippe Delhaye ; Wilhelm Ernest ; Michael Ledwith ; — i Sacerdoti : Hans Urs von Balthasar ; Walter Kasper; Carl Peter; — i Padri: Cándido Pozo, S.I.; Christophe von Schönborn, O.P.; Jan Walgrave, O.P., ***Membri della Commissione Teologica Internazionale « in aliud quinquennium ».***

21 giugno » Mons. Joseph-Marie Sauget e P. Pietro Chiocchetta, F.S.C.I., ***Consultori della Congregazione per le Cause dei Santi a in aliud quinquennium».***

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

II Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

7	maggio	1984.	Al sig. Gregory Brian (Armagh).
4	settembre	»	Al sig. Liam McCormick (Armagh).
»	»	»	Al sig. Mario D. Camacho (Manila).
17	luglio	1985.	Al sig. Joseph Alfred Canessa (Gibraltar).
»	»	»	Al sig. James Patrick Galliano (Gibraltar).
»	»	»	Al sig. John Fromow (Gibraltar).
27	luglio	»	Al sig. Robert de Gentil Baichis (Paris).
22	maggio	»	Al sig. Giovanni Tozzi (Subiaco).
4	settembre	»	Al sig. Adriano Consentino (Roma).
»	»	»	Al sig. Adalberto Anastasi (Roma).
»	»	»	Al sig. Paolo D'Ambrosio (Roma).
9	»		Al sig. Johannes Pitsch (Rottenburg-Stuttgart).
14	»	»	Al sig. Henry Van Lotringen (Bois-Le-Duc).
18	»		Al sig. Arnoldus William Van Loon (Breda).
»		»	Al sig. Welhelmus Hendrikus Bülte (Utrecht).
19	»	»	Al sig. Iosephus M. Brölmann (Haarlem).
26	»	»	Al sig. Louis Gaben (Paris).
»	»	»	Al sig. Louis Reverdy (Paris).
30	»	»	Al sig. Luis José Torry Oliver (Mayagüez).
12	ottobre	»	Al sig. Helmut Haun (Rottenburg-Stuttgart).
15	»	»	Al sig. Ruperto E. Ramora (Tarlac).
»	»	»	Al sig. Iesus D. Viray (Tarlac).
28	»	»	Al sig. Paul Decuypere *{Belgio).*
6	novembre	»	Al sig. Mansueto Faccin (Casale Monferrato).
21	»	»	Al sig. Ugo De Robertis (Bari).
»	»	»	Al sig. Pierre Compain (Strasbourg).
25	»	»	Al sig. Martinus Manders (Bois-Le-Duc).
27	»	»	Al sig. Gastone Maddaluni (Roma).
4	dicembre	»	Al sig. Giuseppe Tedeschi (Roma).
»	»	»	Al sig. Federicus Maria Hamer (Bois-Le-Duc).
10	»	»	Al sig. Myroslaw Antonowycz (Utrecht).
13	»	»	Al sig. Domenico Bureca (Roma).
»	»	»	Al sig. Francesco Maggi (Roma).
16	gennaio	1986.	Al sig. Petrus Philippus Bogaers (Bois-Le-Duc).
18	»	»	Al sig. Emilio L. Nery (Manila).
»	»	»	Al sig. Giuseppe Lippolis (Bari).
22	»	»	Al sig. Primo Bertoldi (Todi).
»	»	»	Al sig. Renato Domenico Orsini (Todi).
24	»	»	Al sig. Helio Povoas Junior *(Brasile).*
9	febbraio	»	Al sig. Nello Mercuri (Roma).
28	»	»	Al sig. Bernardus Ferdinand M. Grapperhaus (Haarlem).
4	marzo	»	Al sig. Giuseppe Fiorini (Grosseto).
»	»		Al sig. Giuseppe Mancini (Grosseto).

4	marzo	1986.	Al sig. Mario Calamai (Grosseto).
8		»	Al sig. Alphonsus William Rajmaekers (Bois-Le-Duc)
12	»	»	Al sig. Francesco Paolino (Noto).
»	»	»	Al sig. Robert T. Culi (Columbus).
6	maggio	»	Al sig. Hans Roggen *(Vaticano).*

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

28	ottobre	1985.	Al sig. Mario Cardone (S. Severo).
11	gennaio	1986.	Al sig. Joseph Henselmann (Augsburg).
13	febbraio	»	Al sig. Salvatore Cassisi (Belluno e Feltre).
»	»	»	Al sig. Giorgio Angelozzi Gariboldi (Roma).
18	»	»	Al sig. Bruno Olini (Roma).
»	»	»	Al sig. Giovanni Bottiglieri *(Italia).*
»	»	»	Al sig. Vincenzo Maliardo *(Italia).*
»		»	Al sig. Antonio Ghirelli *(Italia).*
»	»	»	Al sig. Antonio Badini *(Italia).*

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

10	luglio	1985.	Al sig. Angelo Galli (Roma).
4	settembre	»	Al sig. Adriano Másala (Roma).
»	»	»	Al sig. Claudio De Cet (Roma).
9	»	»	Al sig. Johannes Pitsch (Rottenburg-Stuttgart).
2	ottobre	»	Al sig. Günther Dallinger (Wien).
»	»	»	Al sig. Georg Wailand (Wien).
»	»	»	Al sig. Franz Wagner (Wien).
7	»	»	Al sig. Wolfgang V. Arnold (Graz-Seckau).
28	»	»	Al sig. Leonardo D'Orsi (San Severo).
»	»	»	Al sig. Mario Fiore (San Severo).
»	»	»	Al sig. Umberto Buccino (San Severo).
»	»	»	Al sig. Aldo Irmici (San Severo).
14	novembre	»	Al sig. Giuseppe Bernardo (Caserta).
21	»	»	Al sig. Jean E. Wintgens (Liège).
25	»	»	Al sig. Cornelius Franciscus (Rotterdam).
2	dicembre	»	Al sig. Giovanni Ferrari (Policastro).
»	»	»	Al sig. Roberto Fontana (Treviso).
»	»	»	Al sig. Leandro Walter Baggio (Treviso).
10	»	»	Al sig. Raimondo Pesaresi (Viterbo).
16	»	»	Al sig. Giuseppe Zuballi (Trieste).
»	»	»	Al sig. Josef Hendricks (Paderborn).
8	gennaio	1986,	Al sig. Fondi Lodovico (Roma).
16	»	»	Al sig. Bruno Rampaldi (Siena).
2	febbraio	»	Al sig. Antonio Nenna (Lanciano e Ortona).
9	»	»	Al sig. Antonino Cerritelli (Chieti).
»	»	»	Al sig. Filippo Tartaglia (Chieti).
18	»	»	Al sig. Gino Falconetti (Roma).
5	marzo	»	Al sig. Dieter Bach (Salzburg).
14	»	»	Al sig. Giovanni Battista Passone (Udine).
21	»	»	Al sig. Edgard Joseph Korherr (Graz-Seckau).

2	aprile	1986.	Al sig. Giuliano Montelatici (Roma).
4	»	»	Al sig. Peppino Del Vecchio (Benevento).
8	»	»	Al sig. Gilberto Bianco *(Italia).*
»	»	»	Al sig. Giovanni Gargioli *(Italia).*
»	»	»	Al sig. Paolo Oavenenghi *(Italia).*
14	»	»	Al sig. Luciano Lineette (Padova).
18	»	»	Al sig. Aldo Battista Ferretti (Guastalla).
»	»	»	Al sig. Bruno Gatti (Reggio Emilia).
6	maggio	»	Al sig. Peter Hasler *(Vaticano).*

II Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

24	maggio	1985.	Al sig. Ioannes Wittmann (Sankt Pölten).
25	»	»	Al sig. Reiner Käthe (Münster).
7	luglio	»	Al sig. Hubertus Martinus Houet (Bois-Le-Duc).
15	»	»	Al sig. Dominic Chang Ohi-Hung (Kiayi).
»	»	»	Al sig. Matthew Liu Tsai Yin (Kiayi).
»		»	Al sig. Vincent Wu Wu-Hsiung (Kiayi).
22	»	»	Al sig. Ferdinand Katzler (Innsbruck).
»		»	Al sig. André Tong Ling (Taipeh).
4	settembre	»	Al sig. Willi Muhr (Köln).
9	»	»	Al sig. Alexander Götz (Rottenburg-Stuttgart).
»	»	»	Al sig. Alfred Haile (Rottenburg-Stuttgart).
»		»	Al sig. Anton Ilg (Rottenburg-Stuttgart).
»	»	»	Al sig. Bernhard Vesennayer (Rottenburg-Stuttgart).
»	»	»	Al sig. August Fütterer (Rottenburg-Stuttgart).
12	»	»	Al sig. Marino Menia (Belluno).
14	»	»	Al sig. Pieter lozef Bie (Bois-Le-Duc).
19	»	»	Al sig. Antonon Arnold Karal (Haarlem).
22	»	»	Al sig. Lazarus Binle (Bamenda).
26	»	»	Al sig. Hermann Prie King (Köln).
2	ottobre	»	Al sig. Walter Weisenstein (Wien).
»		»	Al sig. Joseph Jedletzberger (Wien).
»	»	»	Al sig. Donat Land jo (Ngaoundéré).
12	»	»	Al sig. Johannes Hay (Rottenburg-Stuttgart).
18	»	»	Al sig. Enrico Camerini (Fano).
23	»	»	Al sig. Jacobus Adrian de Winder (Breda).
»	»	»	Al sig. Antonius Gerardus Van Schaik (Utrecht).
»		»	Al sig. Hadrianus Gerardus de Roojy (Haarlem).
»	»	»	Al sig. Nicolaas Giestkey (Haarlem).
8	novembre	»	Al sig. Romeo Villonco (Manila).
»	»	»	Al sig. Leocadio De Asis (Manila).
16	»	»	Al sig. José Roisin (Mechelen-Brussel).
24	»	»	Al sig. Franciscus H. Breuer (Sydney).
25	»	»	Al sig. Hendrikus Antonius van Deursen (Bois-Le-Duc).
»	»	»	Al sig. Danilo Del Priori (Iesi).
»	»	»	Al sig. Mario Febo (Iesi).
27	»	»	Al sig. Jozef Zeller (Würzburg).
29	»		Al sig. Sergio Olivieri (Roma).

2	dicembre	1985.	Al sig. Ergo Benigno Natividad de los Santos (Rotterdam).
»	»	»	Al sig. Gerardus Petrus Hof man (Rotterdam).
»	»	»	Al sig. Ioannes Hendricus A. Scheffers (Rotterdam).
10	»	»	Al sig. Albertus Ioannes Baltussen (Utrecht).
»	»	»	Al sig. Arnaldo Falco (Roma).
13	»	»	Al sig. Vincenzo Mirante (Napoli).
»	»	»	Al sig. Jean-Marie du Fontbare de Fumai (Liège).
16	»	»	Al sig. Gerhard Teriet (Paderborn).
»	»	»	Al sig. Anthony Lee (Kaohsiung).
»	»	»	Al sig. Peter Sung (Kaohsiung).
18	»	»	Al sig. Beniamino Valoppi (Udine).
28	»	»	Al sig. Attilio Amana (Belluno e Feltre).
»	»	»	Al sig. Theodor Köhren (Paderborn).
11	gennaio	1986.	Al sig. Frans van Der Linden (Gent).
14	»	»	Al sig. Willem Nicolaas Koopman (Haarlem).
16	»	»	Al sig. Joseph Blommestijn (Bois-Le-Duc).
18	»	»	Al sig. Pietro Ferdinando Migliazza (Pavia).
»	»	»	Al sig. Vitaliano Abbiati (Pavia).
24	»	»	Al sig. Mariano Angioni *(Italia).*
27	»	»	Al sig. Henricus Judas Thaddeus Manders (Rotterdam).
29	»	»	Al sig. Umberto Chiappini (Piacenza).
24	febbraio	»	Al sig. Joseph Ferron (Liège).
4	marzo	»	Al sig. Antonio Visioni (Isernia e Venafro).
»	»	»	Al sig. Antonio Valerio (Isernia e Venafro).
8	»	»	Al sig. Rino Miconi (Udine).
14	»	»	Al sig. Michele Grandinetti (Nicastro).
7	aprile	»	Al sig. Pietro Petrino (Casale Monferrato).
9	»	»	Al sig. Ferruccio Lazzi (Massa Marittima-Piombino).
»	»	»	Al sig. Aldo Mattiello (Massa Marittima-Piombino).
6	maggio	»	Al sig. Heinrich Portmann *(Vaticano).*

NECROLOGIO

5	luglio	1986.	Mons. Gaston Hains, Vescovo emerito di Amos *(Canada).*
16	»	»	Mons. Carlo Martini, Arciv. emerito de L'Aquila *(Italia).*
23	»	»	Mons. Carlos Humberto Rodríguez-Quirós, Arciv. emerito di San José de Costa Rica *(Costa Rica).*
26	»	»	Mons. Anton Grauls, Arciv. tit. di Giru di Marcello.
28	»	»	Mons. William Johnson, Vescovo di Orange in California *(Stati Uniti d'America).*
1	agosto	»	Card. Carlo Confalonieri, Vescovo tit. di Ostia e Palestrina, Decano del Collegio Cardinalizio.

An. et vol. LXXVffl 2 Septembris 1986 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE ENCYCLICAE

De Spiritu Sancto in vita Ecclesiae et Mundi.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII ET FILIAE,

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

1. « DOMINUM ET VIVIFICANTEM » Ecclesia fide sua confitetur Spiritum Sanctum; verba illa enuntiat ea in Symbolo Fidei, quod Nicaenum-Constantinopolitanum appellatur e nomine duorum Conciliorum — Mcaeni (anno CCCXXV celebrati) et Constantinopolitani (anno CCCLXXXI acti) — a quibus compositum est vel promulgatum. Cui Symbolo haec etiam verba sunt adiuncta: «qui locutus est per prophetas».

Ecclesia hasce voces ab ipso fidei suae fonte, Iesu Christo, accepit. Etenim iuxta Evangelium secundum Ioannem Spiritus Sanctus nobis datur una cum vita nova, quemadmodum Iesus praeclaro die festo tabernaculorum annuntiat et pollicetur : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat, qui credit in me. Sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae ».[1] Explanat vero evangelista: « *Hoc autem dixit de Spi-*

[1] *Io* 7, 37 s.

ritu Sancto, quem accepturi erant qui crediderant in eum ».[2] Eadem aquae similitudine usus est Iesus in colloquio cum muliere Samaritana habito, dicens de « fonte aquae salientis in vitam aeternam »,[3] et in colloquio cum Nicodemo, necessitatem asserens *regenerationis « ex aqua et Spiritu* » ut quis in regnum Dei valeat introire.[4]

Ecclesia ergo, verbis Christi erudita, res ex experientia die Pentecostes et ex historia apostolica hauriens, ab initio fidem suam pronuntiat in Spiritum Sanctum ut *in eum qui vivificat,* in eum *in quo* inscrutabilis *Deus, unus et trinus,* se cum hominibus communicat, fontem vitae aeternae ponens in iis.

2. Haec fides, quam Ecclesia sine intermissione est professa, oportet in conscientiis Populi Dei semper renovetur altiusque perpendatur. Per saeculum praeteritum id pluries est factum: a *Leone PP. XIII,* qui Epistulam Encyclicam « *Divinum illud munus* » edidit (anno MDCCCXCVII), quae tota de Spiritu Sancto agit; a *Pio PP. XII* in Litteris Encyclicis, a verbis *Mystici Corporis* incipientibus (anno MCMXLIII), in quibus ad Spiritum Sanctum refertur ut ad principium vitale Ecclesiae, in qua una cum Capite Corporis Mystici, Christo, operatur;[5] denique a *Concilio Oecumenico Vaticano II,* quod necessitatem ostendit novae perspectionis doctrinae de Spiritu Sancto, quemadmodum *Paulus PP. VI* verbis dixit expressis: « Christologiam et praesertim ecclesiologiam Concilii sequi debet novum studium novusque cultus Spiritus Sancti, quippe quibus institutio Concilii certo compleatur ».[6]

Aetate igitur nostra *fide Ecclesiae vetere semper semperque nova iterum excitamur* ut ad Spiritum Sanctum tamquam

[2] *Io* 7, 39.

[3] *Io* 4, 14; cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 4.

[4] Cfr. *Io* 3, 5.

[5] Cfr. LEO PP. XIII, Ep. Enc. *Divinum illud munus* (9 Maii 1897): *Acta Leonis,* 17 (1898), pp. 125-148; Pius PP. XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis* (29 Iunii 1943): *AAS* 35 (1943), pp. 193-248.

[6] Sermo habitus in Admissione Generali die 6 Iunii 1973: *Insegnamenti di Paolo VI,* XI (1973), p. 477.

ad *eum qui vivificat,* nos applicemus. Qua in re nos adiuvat ac monet etiam hereditas, quam cum *Ecclesiis orientalibus* habemus communem, quae eximium thesaurum doctrinae Patrum de Spiritu Sancto studiose servarunt. Hac etiam de causa affirmari licet unum e maximi momenti eventibus ecclesialibus annorum proxime praeteritorum fuisse *XVI saeculum expletum a I Concilio Constantinopolitano* celebrato; quae memoria simul Constantinopoli et Pomae in sollemnitate Pentecostes anno MCMLXXXI est acta. Spiritus Sanctus, dum mysterium Ecclesiae considerabatur, clarius tum innotuit ut is qui vias commonstrat ad unitatem Christianorum ducentes, immo ut *fons supremus eius unitatis,* quae a Deo ipso promanat quamque sanctus Paulus peculiari cum significantia his verbis expressit, a quibus haud raro Liturgia eucharistica incipit: « Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis ».[7]

Ab hac exhortatione quodammodo profectae sunt indeque hauserunt priores Litterae Encyclicae *Redemptor hominis* ac *Dives in misericordia,* quibus in lumine ponitur eventus salutis nostrae, in Filio peractus, qui a Patre missus est in mundum ut « salvetur mundus per ipsum »[8] et « omnis lingua confiteatur: "Dominus Iesus Christus!", in gloriam Dei Patris ».[9] Ab ea exhortatione originem nunc trahunt *hae Litterae de Spiritu Sancto,* qui a Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio adoratur et conglorificatur: est Persona divina, quae in ipso intimo fidei christianae versatur atque fons est et virtus dynamica renovationis Ecclesiae.[10] Mana-

[7] Missale Romanum; cfr. *2 Cor* 13, 13.

[8] *Io* 3, 17.

[9] *Philp* 2, 11.

[10] Cfr. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 4; IOANNES PAULUS PP. II, *Allocutio habita ad eos qui Conventui theologico de Pneumatologia ex omnibus nationibus interfuere* (26 Martii 1982), 1: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II,* V/1 (1982), p. 1004.

verunt scilicet ex *hereditate Concilii ac quidem ex eius profundo;* etenim textus Concilii, doctrina sua de Ecclesia in se ac de Ecclesia in mundo, nos excitant ut in mysterium Trinitatis Dei ipsius magis magisque penetremus, iter Evangelii, Patrum, Liturgiae sequentes: quo videlicet ad Patrem — per Christum — ducimur in Spiritu Sancto.

Hoc modo Ecclesia etiam quibusdam gravibus postulationibus respondet, quas ea in hominum huius temporis cordibus se deprehendere putat: agitur nempe de Deo iterum reperiendo, quatenus humana realiter ut Spiritus infinitus transcendit, quemadmodum Iesus eum mulieri Samaritanae ostendit; de necessitate eum adorandi « in spiritu et veritate »;[11] de spe in eo arcanum amoris et vim « novae creaturae »[12] inveniendi: *illum* profecto, *qui vivificat.*

Ecclesia ad eiusmodi munus Spiritum annuntiandi se sentit vocari, dum una cum familia humana *ad finem alterius millennii post Christum natum* appropinquat. In prospectu caeli ac terrae, quae « transeunt », probe novit verba, quae non « praeteribunt »,[13] peculiare accipere momentum. Haec sunt verba, a Christo de Spiritu Sancto prolata, qui est fons inexhaustus « aquae salientis in vitam aeternam »,[14] prout est veritas et salvifica gratia. De his verbis ea vult meditari, ad haec verba revocare credentes omnesque homines, dum ad celebrandum magnum iubilaeum — ut infra dicetur —, quo transitus ab altero millennio christiano ad tertium millennium denotabitur, sese componit.

Ut patet, considerationibus, quae sequuntur, non est propositum ut uberrima doctrina de Spiritu Sancto enodate exquiratur neve maius momentum alicui solutioni quaestionum, de quibus adhuc disceptatur, tribuatur; sed ad hoc potis-

[11] Cfr. *Io* 4, 24.
[12] Cfr. *Rom* 8, 22; *Gal* 6, 15.
[13] Cfr. *Mt* 24, 35.
[14] *Io* 4, 14.

simum spectant ut in Ecclesia foveatur conscientia, ex qua illa «a Spiritu Sancto... ad cooperandum compellitur, ut propositum Dei, qui Christum principium salutis pro universo mundo constituit, effectu compleatur ».[15]

I

3. Cum iam tempus immineret, quo Christus de hoc mundo discederet, Apostolis « alium Paraclitum »[16] annuntiavit. Ioannes evangelista, qui praesens aderat, narrat inter cenam paschalem, quae diem eius passionis ac mortis praecedebat, Iesum ad eos haec verba fecisse : « Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam ut glorificetur Pater in Filio ... »; « Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis ».[17]

Iesus hunc ipsum Spiritum veritatis appellat Paraclitum, quod nomen « consolatorem » atque etiam « intercessorem » vel ((advocatum » significat. Dicit autem eum esse « alium Paraclitum », ac quidem secundum, quoniam ipse, Iesus, est primus Consolator,[18] cum primus sit Laeti Nuntii lator datorque. Spiritus Sanctus venit post eum et eius gratia ut in mundo, per Ecclesiam, opus *Laeti Nuntii salutis* **persequatur. De hac continuatione operis sui, quod Spiritus Sanctus pergit, Iesus haud semel in ipso loquitur sermone supremo, quo Apostolos, in Cenáculo congregatos, ad discessum suum componit, id est ad passionem suam et mortem in Cruce.**

Verba, ad quae hic revocamur, in *Evangelio secundum Ioannem* **legimus scripta. Unumquodque eorum ad nuntiationem illam et promissionem novam quandam adiungit sententiam; atque simul ea verba arctissime inter se conectuntur non solum respectu eorundem eventuum, sed etiam respectu**

[15] CONC. OEC. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium*** **de Ecclesia,** 17.

[16] **ἄλλον παράκλητον :** ***Io*** 14, 16.

[17] ***Io*** 14, 13. 16 **s.**

[18] **Cfr.** ***1 Io*** 2, 1.

mysterii Patris et Filii et Spiritus Sancti, quod fortasse nullo loco Sacrarum Scripturarum tam egregie ut hic exprimitur.

4. Paulo post verba supra memorata Iesus addit: « Paraclitus autem, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille *vos docebit* **omnia et** *suggeret vobis* **omnia, quae dixi vobis ».[19] Spiritus Sanctus erit Consolator Apostolorum et Ecclesiae, semper praesens inter eos — licet invisibiliter — ut doctor eiusdem Laeti Nuntii, quem Christus praedicavit. « Docebit... et suggeret » : hoc significat fore ut non solum ipse, modo sibi proprio, praedicationem Evangelii salutis pergat inspirare, sed etiam ut adiuvet ad mente comprehendenda, quae in nuntiatione Christi vere contineantur; significat fore ut in tuto collocet eius continuationem eandemque rationem illam intellegendi inter mutabiles rerum condiciones atque adiuncta. Spiritus Sanctus ergo efficiet ut in Ecclesia** *eadem veritas* **maneat semper, quam Apostoli ex ore Magistri sui acceperunt.**

5. **Apostoli in Laeto Nuntio tradendo peculiarem in modum Spiritui Sancto iungentur. En quae Iesus dicit pergens sermonem: « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit,** *ille testimonium perhibebit de me;* **sed et vos testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis ».[20]**

Apostoli testes proximi et oculati fuerunt, quia « audierunt », « viderunt oculis suis », « perspexerunt », immo « manibus suis contrectaverunt » Christum, quemadmodum alio loco Ioannes evangelista asseverat.[21] Hoc humanum, oculatum et « historicum » testimonium de Christo cum testimonio necti tur Spiritus Sancti : « Ipse testimonium perhibebit de me ». *Testificatione Spiritus veritatis* **humanum testimonium Aposto-**

[19] ***Io* 14, 26.**

[20] ***Io* 15, 26 s.**

[21] **Cfr. *1 Io* 1, 1-3; 4, 14.**

lorum summe *fulcitur.* **Postmodum eius continuatio inter generationes Christi discipulorum et confessorum, qui per saecula sibi succedebant, in eo ut** *in interiore fundamento* **est innixa.**

Quodsi Christus ipse est suprema et pienissima revelatio, qua Deus se hominum generi patefecit, testimonium *Spiritus veritatis* **certam eius nuntiationem in praedicatione et in scriptis apostolicis inspirat, in tuto collocat atque confirmat,**[22] **cum testimonium Apostolorum faciat ut in Ecclesia et historia familiae humanae ea verbis humanis exprimatur.**

6. Inde etiam efficitur ut argumentum ipsum et propositum arcte conectantur cum annuntiatione et promissione modo memoratis, quae in verbis textus sancti Ioannis, quae sequuntur, continentur : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille, Spiritus veritatis, *deducet vos in omnem veritatem;* **non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annuntiabit vobis ».**[23]

Verbis, quae praecedunt, Iesus Paraclitum, Spiritum veritatis, exhibet ut eum qui « docebit et suggeret », ut eum qui ei « testimonium perhibebit » ; nunc vero ait « deducet vos in omnem veritatem ». Locutio « deducet vos in omnem veritatem », prout ad ea refertur, quae Apostoli « non possunt portare modo », imprimis necessario coniungitur *cum exinanitione Christi,* **passione et Cruce peracta, quae eo tempore, quo has protulit voces, iam impendebat.**

Postea tamen patefit illud « deducere in omnem veritatem » necti non solum cum *scandalo Crucis,* **sed etiam cum iis omnibus, quae Christus «fecit et docuit».**[24] **Ee enim vera** *myste-*

[22] **«Divinitus revelata, quae in Sacra Scriptura litteris continentur et prostant, Spiritu Sancto afflante consignata sunt» ideoque eadem Sacra Scriptura est «eodem Spiritu quo scripta est etiam legenda et interpretanda»:** CONC. OEC. VAT. II, **Const. dogm.** ***Dei Verbum*** **de Divina Revelatione, 11. 12.**

[23] ***Io*** **16, 12 s.**

[24] ***Act*** **1, 1.**

riurn Christi, ut totum, postulat fidem, cum haec hominem in mysterii revelati « realitatem » opportune inducat. Illud ergo « deducere in omnem veritatem » in fide et per fidem ad effectum adducitur: quod Spiritus veritatis operatur, idque ex eius actione in homine promanat. Hac in re Spiritus Sanctus est hominis summus magister, est lux spiritus humani. Id dicendum est de Apostolis, testibus oculatis, a quibus iam tradendus est cunctis hominibus nuntius eorum quae Christus ((fecit et docuit », atque praesertim Crucis eius et Resurrectionis. Si longius prospicitur, id ipsum pertinet etiam ad omnes generationes discipulorum et confessorum Magistri, qui debent *accipere* in fide et *profiteri* aperte mysterium Dei, in historia hominis operantis, mysterium dicimus revelatum, quo sensus eius historiae modo certo ac definito explicatur.

7. Itaque inter Spiritum Sanctum et Christum, in oeconomia salutis, intimus nexus intercedit, ob quem Spiritus in historia hominis operatur ut « alius Paraclitus », qui efficit ut Laetus Nuntius, a Iesu Nazareno revelatus, continenter aliis tradatur et propagetur. Quam ob rem in Spiritu Sancto Paraclito, qui in mysterio et actione Ecclesiae praesentiam historicam Redemptoris in terra eiusque opus salvificum sine intermissione continuat, effulget gloria Christi, ut subsequentibus verbis sancti Ioannis declaratur : « Ille (id est Spiritus) me clarificabit, quia *de meo accipiet et annuntiabit* vobis Quibus verbis ea omnia iterum confirmantur, quae praecedentibus effatis sunt declarata: ((Docebit»... «suggeret»... «testimonium perhibebit ». Suprema et absoluta revelatio,- quam Deus de se ipso fecit quaeque in Christo est peracta et praedicationis Apostolorum testimonio firmata, continenter manifestatur in Ecclesia ope missionis Paracliti invisibilis, Spiritus veritatis. Quam arcte haec missio iungatur Christi missioni, quam plene illa ex hac Christi hauriat missione — eius fructus salvificos

[25] *Io* 16, 14.

in hominum rerumque historia firmando et provehendo — verbo « accipiendi » exprimitur : « de meo accipiet et annuntiant vobis ». Iesus, quasi hanc vocem « accipiet » explanans, unitatem divinam ac trinitariam fontis claro in lumine ponens, addit: « *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt;* propterea dixi quia de meo accipit et annuntiabit vobis ».[26] Eo quod de « meo » accipiet, propterea hauriet de iis « quaecumque habet Pater ».

Ratione igitur habita illius verbi « accipiet », explanari possunt cetera verba de Spiritu Sancto a Iesu in Cenáculo ante Pascha prolata, verba significantia quidem: «Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; *si autem abiero,* mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio ».[27] De his verbis adhuc seorsum erit agendum.

8. Indoles peculiaris textus sancti Ioannis in eo est posita ut Pater, Filius et Spiritus Sanctus explicite nominentur ut Personae, quarum prima ab altera ac tertia, et haec a ceteris distinguatur. Iesus de Spiritu-Paraclito loquitur, saepius adhibens pronomen, quo personam significat, « ille », et simul in toto supremo ante passionem sermone nexus ostendit, quibus Pater, Filius et Spiritus Sanctus inter se coniunguntur. Itaque « Spiritus ... a Patre procedit »[28] et Pater « dabit » Spiritum.[29] Pater « mittet » Spiritum in nomine Filii.[30] Spiritus « testimonium perhibebit de Filio ».[31] Filius vero rogat Patrem ut Spiritum Paraclitum mittat,[32] sed hoc etiam affirmat et pollicetur, ad « abitionem » suam, quae fit per Crucem, se-

[26] *Io* 16, 15.
[27] *Io* 16, 7 s.
[28] *Io* 15, 26.
[29] *Io* 14, 16.
[30] *Io* 14, 26.
[31] *Io* 15, 26.
[32] *Io* 14, 16.

se referens: « si autem abiero, mittam eum ad vos ».[33] Itaque Pater Spiritum Sanctum mittit virtute paternitatis suae, quemadmodum dedit Filium,[34] simul vero eum mittit vi Redemptionis a Christo peractae; qua sane ratione Spiritus Sanctus etiam a Filio mittitur: « mittam eum ad vos ».

Animadvertendum est, si cetera promissa in Cenáculo data adventum Spiritus Sancti *post* **abitionem Christi annuntient, adventum tamen, de quo apud Ioannem,** 16, 7-8, **agitur, continere claroque in lumine ponere etiam rationem copulationis — quam** *causalem* **dixeris — inter utriusque manifestationem: « si autem abiero, mittam eum ad vos ». Spiritus Sanctus veniet, quatenus Christus per Crucem abierit: veniet non solum** *post,* **sed** *propter* **Redemptionem, a Christo, e voluntate et opera Patris, peractam.**

9. In postremo ergo sermone paschali attingitur — ita loqui licet — *fastigium revelationis Trinitatis.* **Simul vero in initio sumus eventuum terminalium et verborum supremorum, quae ad ultimum praeclaro illo mandato missionali exprimuntur, quod Apostolis et per eos Ecclesiae datur: « Euntes ergo docete omnes gentes »; quo quidem mandato aliquo modo formula trinitaria baptismi continetur: « baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».[35] Haec formula ostendit intimum mysterium Dei, vitae divinae, quod est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unitas divina in Trinitate. Sermonem illum supremum interpretari possumus ut singularem praeparationem illius formulae trinitariae, qua virtus salvifica Sacramenti exprimitur, quod efficit** *participationem vitae Dei, unius ac trini,* **quia gratiam tribuit sanctificantem ut supernaturale homini donum. Ea enim homo vocatur et « capax » fit ad inscrutabilem Dei vitam participandam.**

[33] *Io* 16, 7.
[34] Cfr. *Io* 3, 16 s., 34; 6, 57; 17, 3. 18. 23.
[35] *Mt* 28, 19.

10. Deus in vita sua intima « caritas est »,[36] amor essentialis, tribus Personis divinis communis: amor personalis est Spiritus Sanctus ut Spiritus Patris et Filii. Quocirca is ut *increatus amor-donum* **« scrutatur profunda Dei ».[37] Affirmari licet vitam intimam Dei, unius et trini, in Spiritu Sancto esse prorsus donum, mutuum amoris commercium inter Personas divinas, atque per Spiritum Sanctum Deum in modum doni « exsistere ». Spiritus Sanctus est** *expressio personalis* **huiusmodi donationis, huiusce, ut dicimus, esse amorem.[38] Persona-amor est, Persona-donum est: est inscrutabilis ubertas veritatis et ineffabilis perspicientiae notionis personae in Deo, quas sola Revelatione cognoscimus.**

Simul autem Spiritus Sanctus, prout Patri et Filio in divinitate est consubstantialis, est amor ac donum (increatum), unde ut e *fonte vivo* **emanat** *omnis largitio* **data creaturis (donum creatum): donum exsistentiae, tributum cunctis rebus per creationem, donum gratiae hominibus impertitam per oeconomiam salutis. Ut scripsit Paulus Apostolus, « caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis ».[39]**

11. Supremus sermo, a Christo in Cena paschali habitus, peculiari modo ad hoc « *donare* **» et « se donare », quod est Spiritus Sancti, refertur. In Evangelio secundum Ioannem patefit illa veluti « convenientia » profundissima mysterii salvifici, quod in aeterno Dei consilio continetur quodque est quasi diffusio illius ineffabilis communionis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Est « convenientia » divina, quae a mysterio Trinitatis ad mysterium Redemptionis mundi in Iesu Christo perducit.** *Redemptio a Filio peracta* **secundum rationem historiae hominis terrenae — peracta quidem in « abitione » eius**

[36] Cfr. *1 Io* 4, 8. 16.

[37] Cfr. *1 Cor* 2, 10.

[38] Cfr. S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* I[a], qq. 37-38.

[39] *Rom* 5, 5.

per Crucem et Resurrectionem — simul cum tota virtute sua salvifica *Spiritui Sancto traditur:* **« qui de meo accipiet ».**[40] **Verba textus sancti Ioannis significant « abitionem » Christi, secundum consilium divinum, esse pernecessariam condicionem « missionis » et adventus Spiritus Sancti, sed ostendunt etiam tunc** *novam communicationem salvificam Dei in Spiritu Sancto* **coepisse.**

12. Est *novum initium,* **respectu** *prioris,* **initium** *principale donationis salvificae* **Dei, quod idem est ac mysterium ipsum creationis. Haec iam in primis verbis libri Genesis legimus: «In principio creavit Deus caelum et terram..., et spiritus Dei** *(ruah Elohim)* **ferebatur super aquas ».**[41] **Haec notio biblica creationis infert non solum actum, quo exsistat universum, id est** *donationem exsistentiae,* **sed etiam praesentiam Spiritus Dei in creatione, nempe initium communicationis salvificae Dei cum rebus, quas creat. Quod** *imprimis* **de** *homine* **est dicendum, qui creatus est ad imaginem et similitudinem Dei : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ».**[42] **« Faciamus » : nonne licet putari numerum pluralem, quo Creator hic de se loquens utatur, aliquo modo iam significare mysterium Trinitatis, praesentiam Trinitatis in opere creationis hominis? Christianus, haec legens, qui revelationem huius mysterii iam novit, his etiam verbis id, quasi luce repercussa, reddi animadvertere potest. Quidquid id est, contexta oratione libri Genesis efficitur ut in creatione hominis primum initium percipiamus donationis salvificae Dei, quatenus homini tribuit « imaginem et similitudinem» sui ipsius.**

13. Itaque etiam verba, a Iesu in supremo sermone facta, relegenda esse videntur ratione habita « initii » illius, tam

[40] *Io* 16, 14.
[41] *Chi* 1, 1s.
[42] *Gn* 1, 26.

longinqui, sed fundamentalis, quod e libro Genesis cognoscimus. « Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos ». Christus, cum asserit « abitionem » suam esse *condicionem* « adventus » Paracliti, novum initium communicationis salvificae Dei in Spiritu Sancto coniungit cum mysterio Redemptionis. Hoc est novum initium imprimis propterea quod inter primum initium ac totam historiam hominis, principio ducto a lapsu originali, *peccatum est interpositum,* quod repugnat praesentiae Spiritus Dei in creatione atque *communicationi salvificae Dei cum homine* potissimum adversatur. Propter ipsum peccatum, ut sanctus Paulus scribit, « vanitati... creatura subiecta est... congemiscit et comp ar tur it usque adhuc » et « revelationem filiorum Dei exspectat».[43]

14. Hac de causa Iesus Christus in Cenáculo dicit: « Expedit vobis, ut ego vadam ». « Si... abiero, mittam eum ad vos M .[44] « Abitio » Christi per Crucem vim habet Redemptionis — hoc autem significat etiam novam praesentiam Spiritus Dei in creatione, novum initium communicationis Dei cum homine in Spiritu Sancto. « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: "Abba, Pater!" » — ita Paulus apostolus scribit in *Epistula ad Galatas.®* Spiritus Sanctus est *Spiritus Patris,* ut verba in supremo sermone, in Cenáculo habito, testantur. Is est autem simul *Spiritus Filii:* est Spiritus Iesu Christi, ut Apostoli et imprimis Paulus Tarsensis affirmant.[46] Missione huius Spiritus « in corda nostra » « exspectatio creaturae » incipit impleri, ut in *Epistula ad Romanos* scriptum videmus.

« *Rom* 8, 19-22.

[44] *Io* 16, 7.

[45] *Gal* 4, 6; cfr. *Rom* 8, 15.

[46] Cfr. *Gal* 4, 6; *Philp* 1, 19; *Rom* 8, 11.

Spiritus Sanctus venit *condicione* « abitionis » Christi. Quodsi haec « abitio » *tristitia* Apostolos affecit,[47] ad summum adducta in passione et morte, quae die Parasceves evenerunt, tamen « tristitia ... vertetur in gaudium ».[48] Christus enim in « abitionem » suam redemptricem inseret gloriam resurrectionis et ascensionis ad Patrem. Tristitia ergo, unde laetitia perlucet, sors est apostolorum inter « abitionem » Magistri eorum; quae est abitio « bona », quia propter eam alius venturus est <(Paraclitus ».[49] Spiritus Sanctus condicione Crucis, Redemptionem operantis, in virtute totius mysterii paschalis Iesu Christi venit ut *inde a die Pentecostes* cum Apostolis maneat, ut maneat cum Ecclesia et in Ecclesia atque per hanc in mundo.

Hoc modo ratione certa ac definita *efficitur novum initium* communicationis Dei, unius et trini, in Spiritu Sancto, Iesu Christo, Redemptore hominis mundique, operante.

15. Ad effectum etiam adducitur missio Messiae, id est eius qui plenitudinem Spiritus Sancti accepit pro Populo Dei electo universaque familia humana. « Messias » ad verbum « Christum » significat, id est « Unctum », atque in historia salutis idem valet atque « unctus Spiritu Sancto». Haec fuit traditio prophetica Veteris Testamenti. Quam secutus, Simon Petrus in domo Cornelii dixit: « Vos scitis quod factum est verbum per universam Iudaeam... post baptismum, quod praedicavit Ioannes: *Iesum a Nazareth,* quomodo *unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute ».*[50]

Ab his verbis Petri multisque aliis similibus[51] oportet ad prophetiam *Isaiae* revocemur, quae interdum « quintum evangelium » vel « evangelium Veteris Testamenti » appellatur.

[47] Cfr. *Io* 16, 6.
[48] Cfr. *Io* 16, 20.
[49] Cfr. *Io* 16, 7.
[50] *Act* 10, 37 s.
[51] Cfr. *Lc* 4, 16-21; 3, 16; 4, 14; *Me* 1, 10.

Isaias, adventum arcanae personae significans, quae secundum revelationem Novi Testamenti est ipse Iesus, personam illam eiusque munus cum peculiari actione Spiritus Dei — Spiritus Domini — conectit. Haec sunt verba Prophetae:

« Et egredietur virga de stirpe lesse,
et *flos* **de radice eius ascendet;**
et requiescet super eum spiritus Domini:
spiritus sapientiae et intellectus,
spiritus consilii et fortitudinis,
spiritus scientiae et timoris Domini;
et deliciae eius in timore Domini ».[52]

Hic locus magni momenti est pro tota pneumatologia, quae dicitur, Veteris Testamenti; qui est veluti pons inter antiquam notionem biblicam « spiritus », qui imprimis « afflatus charismaticus » intellegitur, et « *Spiritum » et personam ac donum, donum pro persona.* **Messias e genere David (« e stirpe lesse »), ipsa est persona, super quam « requiescet » Spiritus Domini. Liquet hoc loco nobis loqui nondum licere de revelatione Paracliti: tamen illo dicto de persona venturi Messiae via, ut ita dicamus, aperitur, qua plena revelatio Spiritus Sancti in unitate mysterii Trinitatis, quae in Novo Testamento tandem innotescet, praeparatur.**

16. Messias ipse est via illa. In Vetere Testamento unctio symbolum externum factum est doni Spiritus. Messias potius quam alia quaevis persona uncta secundum Vetus Testamentum est unicus magnus *Unctus a Deo ipso.* **Est Unctus, quatenus plenitudinem possidet Spiritus Dei. Ipse est etiam mediator, qui hunc universo Populo tribuit. Etenim alia verba apud Prophetam leguntur:**

« Spiritus Domini super me,
eo quod unxerit **Dominus me;**

[52] ***Is* 11, 1-3.**

ad annuntiandum laeta mansuetis misit me,
ut mederer contritis corde
et praedicarem captivis liberationem
et clausis apertionem;
ut praedicarem annum placabilem Domino ».[53]

Unctus *missus est etiam « cum Spiritu Domini* **» : « nunc Dominus misit me cum spiritu suo »J**[54]

Secundum *librum Isaiae* **Unctus et Missus una cum** *Spiritu Domini* **est etiam** *Servus Domini* **electus, super quem Spiritus Dei requiescit:**

« Ecce servus meus, suscipiam eum;
electus meus, complacet sibi in illo anima mea;
dedi spiritum meum super eum ».[55]

Notum est Servum Domini in *libro Isaiae* **revelari ut verum Hominem doloribus obnoxium: est** *Messias cruciatus tolerans* **propter iniquitates mundi.**[56] **Simul vero is ipse est, cuius missione** *toti generi humano veri fructus salutis afferentur:*

«Iudicium gentibus proferet... »;[57] **datus est «in foedus populi, in lucem gentium ...» ;**[58] **« ut sit salus mea usque ad extremum terrae ».**[59]

Quia :

« Spiritus meus, qui est super te,
et verba mea, quae posui in ore tuo,
non recèdent de ore tuo
et de ore seminis tui
et de ore seminis seminis tui,
dixit Dominus, amodo et usque in sempiternum ».[60]

[53] **is 61, 1 s.**
[54] ***Is* 48, 16.**
[55] ***Is 42,* 1.**
[56] **Cfr. *Is* 53, 5-6. 8.**
[57] ***Is* 42, 1.**
[58] ***Is* 42, 6.**
[59] ***Is* 49, 6.**
[60] ***Is* 59, 21.**

Loci prophetae hic **aliati a nobis oportet legantur** *luce Evangelii affulgente* **— quemadmodum, vicissim, Novum Testamentum peculiari modo illustratur mirabili lumine, quod in hisce textibus Veteris Testamenti continetur. Propheta Messiam exhibet ut** *venientem in Spiritu Sancto,* **ut** *huius Spiritus* **habentem** *plenitudinem* **in semet ipso atque simul** *pro aliis,* **pro Israele, pro cunctis nationibus, pro toto hominum genere. Plenitudini Spiritus Dei multiplicia dona adiciuntur, bona salutis, quae imprimis pauperibus et dolore afflictis destinantur necnon omnibus, qui hisce donis aperiunt animos — interdum inter vitae aerumnas, quas experiuntur, verumtamen potissimum illa promptitudine cordis praediti, quae oritur ex fide. Hoc Simeon senex, « homo iustus et timoratus », super quem « Spiritus Sanctus erat », perspexit, cum Iesus in Templo praesentaretur et ille in eo videret « salutare paratum ante faciem omnium populorum », condicione summi cruciatus — id est Crucis — quem una cum Matre esset toleraturus.[61] Id etiam altius Virgo Maria percepit, quae « concepit de Spiritu Sancto »,[62] cum in corde conferebat « mysteria » Messiae, cui sociabatur.[63]**

17. Asserendum est hic « spiritum Domini », qui est super venturum Messiam, aperte imprimisque esse *donum Dei datum personae* **illius Servi Domini. Sed ipse non est persona, quae ab aliis seiungatur sitque per se, quia ex voluntate Domini, virtute deliberationis suae vel optionis, operatur. Quamvis, ratione habita verborum Isaiae, opus salvificum Messiae, Servi Domini, secum ferat actionem Spiritus, quae fit per Unctum, tamen in contexta oratione Veteris Testamenti nulla insinuatur distinctio subiectorum seu personarum divinarum, quae in mysterio Trinitatis subsistunt et postea in Novo Testamento sunt revelatae. Sive apud Isaiam, sive in toto Vetere Testa-**

[61] **Cfr.** ***Lc 2,*** **25-35.**
[62] **Cfr.** ***Lc*** **1, 35.**
[63] **Cfr.** ***Lc 2,*** **19. 51.**

mento *persona* **Spiritus Sancti prorsus latet: latet in revelatione unici Dei atque etiam in annuntiatione venturi Messiae.**

18. Hanc annuntiationem, quae in verbis Isaiae continetur, Iesus Christus memoravit, cum operis messianici initium faceret. Quod in ipso oppido Nazareth est factum, ubi in domo Ioseph f abri, iuxta Mariam, Matrem suam Virginem, triginta vitae degerat annos. Cum ei datum esset ut in synagoga loqueretur, invenit, libro Isaiae aperto, locum, ubi scriptum est: « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me», et postquam locum Isaiae, 61, 1-2, legit, dixit ad astantes: *« Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris* **».[64] Ita profecto confessus est et pronuntiavit se esse eum qui « unctus esset » a Patre, se esse Messiam, id est Christum, eum super quem requiesceret Spiritus Sanctus ut donum Dei ipsius, eum qui plenitudinem haberet Spiritus illius, eum qui « novum initium » denotaret doni, quod Deus hominum generi daret in Spiritu.**

19. Quamquam Iesus in patria sua Nazarethana non accipitur ut Messias, tamen in exordio publicae eius operae missio ipsius messianica in Spiritu Sancto populo revelatur a *Ioanne Baptista.* **Ioannes, filius Zachariae et Elisabeth, apud Iordanem adventum Messiae annuntiat et baptismum paenitentiae populo confert. Ait enim: « Ego quidem vos baptizo in aqua in paenitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta solvere: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni ».[65]**

Ioannes Baptista Messiam - Christum annuntiat non solum ut eum qui « affert » Spiritum Sanctum, quemadmodum Iesus in Cenáculo apertius declaravit. Ioannes hoc loco accurate reddit verba Isaiae, quae apud veterem Prophetam ad tempus futurum pertinebant, sed in propria doctrina eius, in ripa Ior-

[64] **Cfr.** ***Lc*** **4, 16-21;** ***Is*** **61, Is.**

[65] ***Lc*** **3, 16; cfr.** ***Mt*** **3, 11;** ***Me*** **1, 7s.;** ***Io*** **1, 33.**

danis praedicantes, novam veritatem messianicam, quae iam statim habeatur, inducunt. Ioannes non est tantum propheta, sed etiam praeco: est Christi praecursor. Id quod annuntiat, coram omnibus accidit. Iesus Nazarenus ad Iordanem se confert ut etiam ipse baptismum paenitentiae accipiat. Ioannes, videns eum venientem, haec verba profert: « Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi ».[66] Hoc dicit Spiritus Sancti motus afflatu,[67] *testificalis prophetiam Isaiae esse impletam.* Simul vero fidem in missionem redemptricem Iesu Nazareni profitetur. In ore Ioannis Baptistae « Agnus Dei » est affirmatio veritatis de Redemptore, haud minus significans quam ea qua Isaias est usus, dicens: «Servus Domini».

Testimonio igitur Ioannis apud Iordanem Iesus, a suis civibus repudiatus, *ante oculos Israelis ut Messias,* id est <(Unctus » Spiritu Sancto, *effertur. Huiusmodi vero testificatio* alio confirmatur testimonio, cuius altior est ordo quodque tres Synoptici memorant. Etenim, cum omnis populus baptizaretur et Iesus, baptismo accepto, oraret, « apertum est caelum, et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba super ipsum »,[68] et simul « vox de caelo facta est: "Tu es Filius meus dilectus; in te complacui mihi" ».[69]

Est *theophania trinitaria,* quae exaltationem Christi, occasione data baptismi apud Iordanem, testatur. Ea non solum testimonium Ioannis Baptistae confirmat, sed etiam altiorem rationem veritatis de Iesu Nazareno ut Messia patefacit: videlicet *Messias* est *Filius dilectus a Patre.* Sollemnis eius exaltatio non ad missionem messianicam *Servi Domini* redigitur; haec enim exaltatio, ratione habita theophaniae, ad Iordanem factae, mysterium contingit ipsius Personae Messiae. Exaltatur, quia Filius est complacentiae divinae. Vox enim de caelo sonat: « Filius meus ».

[66] *Io* 1, 29.
[67] Cfr. *Io* 1, 33 s.
[68] *Lc* 3, 21 s.; cfr. *Mt* 3, 16; *Me* 1, 10.
[69] *Mt* 3, 17.

20. Theophania, ad Iordanem facta, in transitu dumtaxat et breviter Iesu Nazareni recludit mysterium, cuius totum opus in Sancti Spiritus conspectu peragetur.[70] Hoc idem mysterium Iesus ipse patefacturus erat paulatimque confirmaturus per ea cuncta, quae « fecit et docuit ».[71] Secundum eandem hanc doctrinam necnon messianica indicia, quae Iesus perfecit, priusquam ad sermonem supremum adveniret in Cenaculum, eventa reperimus ac dicta, quae tempora praecipue gravia signant progredientis huius patefactionis. Sic profecto Lucas evangelista, a quo Iesus dicitur « plenus Spiritu Sancto » et quo referente, « agebatur in Spiritu in desertum »,[72] docet nos, redeuntibus septuaginta duobus discipulis a praedicandi opere, quod Magister crediderat iis,[73] laetissimeque narrantibus propriae industriae effecta: « in ipsa hora *exsultavit Spiritu Sancto* **et dixit: "Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis: etiam, Pater, quia sic placuit ante te" ».[74] In divina paternitate Iesus exsultat; exsultat quoniam licet ei hanc ostendere paternitatem; exsultat demum velut ob peculiarem huius paternitatis radiationem ad ipsius « parvulos ». Quae omnia evangelista perstringit et complectitur voce illa « exsultationis in Spiritu Sancto ».**

Eiusmodi exsultatio Iesum quodammodo inducit ut etiam plura dicat. Audiamus: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo; et nemo scit qui sit Filius nisi Pater, et qui sit Pater nisi Filius et cui voluerit Filius revelare ».[75]

21. Id quod theophaniae tempore ad Iordanem « extrinsecus », ut ita dicamus, accessit, nempe de caelo, hic contra

[70] **Cfr. S. BASILIUS,** ***De Spiritu Sancto,*** **XVI, 39:** ***PG*** **32, 139.**

[71] ***Act*** **1, 1.**

[72] **Cfr.** ***Lc*** **4, 1.**

[73] **Cfr.** ***Lc*** **10, 17-20.**

[74] ***Lc*** **10, 21; cfr.** ***Mt*** **11, 25 s.**

[75] ***Lc*** **10, 22; cfr.** ***Mt*** **U, 27.**

((intrinsecus » evenit *ex intimo eo quod est Iesus.* Alia est Patris ac Filii patefactio, in Spiritu Sancto iunctorum. De paternitate dumtaxat Dei loquitur Iesus suaque de filiatione; neque recta via de Spiritu verba facit, qui amor est ideoque Patris Filiique coniunctio. Nihilo minus, *quod de Patre ipse dicit de seque Filio, profluit* ex illa *plenitudine Spiritus,* qui in eo est, se in eius effundit animum, penetrat ipsum illius « ego », excitat ex intimo ipsius animatque eius operam. Hinc illud « exsultare in Spiritu Sancto ». Unio Christi cum Spiritu Sancto, cuius absoluta est ei conscientia, declaratur ea « exsultatione », quae certo aliquo pacto « aspectabilem » reddit secretum ipsius fontem. Ita peculiaris quidem habetur significatio atque exaltatio, quae Filii Hominis, Christi-Messiae, est propria, cuius humana natura ad personam pertinet Filii Dei, unius substantialiter cum Spiritu Sancto in divinitate.

Praeclara in testificatione Dei paternitatis Iesus Nazarenus se quoque ipsum patefacit, suum videlicet « ego » divinum : Filius namque is est « consubstantialis », quapropter « nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius », ille nominatim Filius, qui propter nos homines et propter nostram salutem incarnatus est *de Spiritu Sancto* ex Virgine, et homo factus est, et nomen Virginis Maria.

22. Narratione sua perducit nos Lucas quam proxime ad veritatem, quae oratione in Cenáculo habita continetur. Iesus Nazarenus « exaltatus » in Spiritu Sancto, per totum hunc sermonem et colloquium se praebet uti *illum qui Spiritum « portat* », qui eum portare debet ac « dare » Apostolis et Ecclesiae, impendio scilicet suae « abitionis » per Crucem.

Verbum « portandi » hic significat *ante omnia « revelare ».* In Vetere Testamento, iam inde a *libro Genesis,* Spiritus Dei aliquomodo cognitus est primum uti « halitus » Dei, qui vitam tribuit, tamquam « halitus vitalis » et supernaturalis. In *libro Isaiae* exhibetur sicut « *donum* » Messiae personae impertí-

tum, utpote qui super eum requiescat ut intrinsecus gubernet omnem eius salutarem operam. Apud Iordanem Isaiae nuntius solidam induit formam: Iesus Nazarenus est ille *qui venit in Spiritu Sancto* eumque portat uti donum proprium suae ipsius *personae* ut per humanitatem suam eum diffundat: « ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto ».[76] In Lucae ideo Evangelio haec Spiritus Sancti patefactio confirmatur et locupletatur; id est *tamquam intimus fons* vitae actionisque messianicae Iesu Christi.

Ex iis vero quae Iesus eloquitur, sermonem faciens in Cenáculo, Spiritus Sanctus ratione nova plenioreque declaratur. Ipse *non modo donum* est, *personae* tributum (Messiae personae), verum est etiam *Persona-donum.* Eius adventum nuntiat Iesus uti « alterius Paracliti », qui cum veritatis sit Spiritus, Apostolos ducturus est « in omnem veritatem ».[77] Hoc efficietur virtute peculiaris illius communionis inter Spiritum Sanctum et Christum: « de meo accipiet et annuntiabit vobis ».[78] Quae quidem communio *primigenium suum fontem in Patre* obtinet: « Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi quia de meo accipit et annuntiabit vobis ».[79] A Patre veniens, Spiritus Sanctus a Patre mittitur.[80] *Antea* missus est Spiritus Sanctus *uti donum pro Filio,* qui homo factus erat ut nuntios impleret messianicos. Post « abitionem » Christi-Filii, secundum Ioannis scriptum, Spiritus Sanctus *« veniet » directo* — haec est nova ipsius missio —, Filii consummaturas opus. Ipse igitur novam sic absolvet perficietque aetatem historiae salutis.

23. Ad limen consistimus paschalium eventuum. Nova et ultima Spiritus Sancti revelatio ut Personae, quae *est* donum,

[76] *Mt* 3, 11; *Lc* 3, 16.
[77] *Io* 16, 13.
[78] *Io* 16, 14.
[79] *Io* 16, 15.
[80] Cfr. *Io* 14, 26; 15, 26.

hoc ipso temporis momento peragitur. *Eventus paschales* **— passio et mors et resurrectio Christi — etiam sunt** *tempus novi adventus* **Spiritus Sancti, ut Paracliti et Spiritus veritatis. Tempus sunt « novi initii », quo unus trinusque Deus cum hominibus sese communicat in Spiritu Sancto, per Christi-Redemptoris operam. Hoc principium novum est mundi redemptio: « Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum Unigenitum daret ».[81] Iam eo quod « dat » Filium,** *Filii dono,* **altissima exprimitur Dei essentia, qui ut Amor fons inexhaustus est largitionis. In dono quidem,** *a Filio dato,* **expletur** *revelatio necnon largitio* **aeterni Amoris:** *Spiritus Sanctus,* **qui in profundo inexplicabili divinitatis est Persona-donum, per Filii opus, scilicet per paschale mysterium, nova ratione Apostolis tribuitur atque Ecclesiae et, per eos, omnibus hominibus mundoque universo.**

24. Huius postrema denique mysterii significatio accidit *die Resurrectionis.* **Eo quidem die Iesus Nazarenus « factus ... ex semine David secundum carnem », perinde ac Paulus Apostolus scribit, « constitutus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum ».[82] Affirmari porro licet « exaltationem » messianicam Christi in Spiritu Sancto attingere apicem in Resurrectione, in qua se patefacit etiam uti** *Filium Dei,* **« plenum potestatis ». Haec vero potestas, cuius fontes scaturiunt in communione inscrutabili Trinitatis, proditur ante omnia eo quod Christus resuscitatus, si ex altera parte Dei implet promissionem, iam per Prophetae os enuntiatam: « dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri, ... spiritum meum »,[83] ex altera tamen parte complet suam ipsius pollicitationem, Apostolis factam verbis illis: «si autem abiero, mittam eum ad vos».[84] Ipse**

[81] ***Io*** **3, 16.**

[82] ***Rom*** **1, 3 s.**

[83] ***Ez*** **36, 26s.; cfr.** ***Io*** **7, 37-39; 19, 34.**

[84] ***Io*** **16, 7.**

quidem est: Spiritus veritatis, Paraclitus, a Christo resuscitato missus, ut nos in ipsius imaginem resuscitati transfiguren[85]

En igitur: « Cum esset ergo sero die illa prima sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli propter metum Iudaeorum, venit Iesus et stetit in medio et dicit eis: "Pax vobis". Et hoc cum dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: "Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos". Et cum hoc dixisset, insuma vit et dicit eis : *"Accipite Spiritum Sanctum" ».*[86]

Singulae vero partes huius loci praecipui Evangelii Ioannis suam prae se ferunt significantiam, praesertim si eas peregimus cum verbis coniunctas, quae in eodem Cenáculo prolata sunt ad paschalium eventuum principium. Iam hi eventus — *triduum sacrum* **Iesu, quem Pater unxit et misit in mundum — ad exitum perducuntur. Christus enim, qui** *in Cruce* **« tradidit spiritum »**[87] **uti Filius hominis et Agnus Dei, cum resurrexisset, Apostolos adit ut «** *insufflet in eos* **» ea ipsa virtute, de qua in** *Epistula ad Romanos.®* **Domini adventus astantes gaudio cumulat: «tristitia vestra vertetur in gaudium»,**[89] **quemadmodum iam ante passionem iis erat pollicitus. At imprimis principalis completur nuntius illius supremi sermonis: Christus resuscitatus, tamquam novam instituat creaturam,** *« portat » ad Apostolos Spiritum Sanctum.* **Affert eum vi « abitionis » suae : hunc Spiritum elargitur iis veluti per suae crucifixionis vulnera: « ostendit eis manus et latus ». Virtute huius crucifixionis dicit ad illos: « Accipite Spiritum Sanctum ».**

Arctum ideo vinculum *inter missionem Filii ac Spiritus Sancti missionem* **statuitur. Nulla fit (post peccatum originale) Spiritus Sancti missio sine Cruce et Resurrectione : « Si enim**

[85] **Cfr.** S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, ***Jn Joannis Evangelium,*** **lib. V, cap. II:** ***PG*** **73, 755.**

[86] ***Io*** **20, 19-22.**

[87] ***Io*** **19, 30.**

[88] **Cfr.** ***Rom*** **1, 4.**

[89] ***Io*** **16, 20.**

non abiero, Paraclitus non veniet ad vos ».[90] Nexus pariter proximus constituitur inter missionem Spiritus Sancti ac Filii missionem in ipsa Redemptione. Certo quodam pacto Filii missio in Redemptione « completur ». Missio autem Spiritus Sancti « haurit » ex Redemptione : « de meo accipiet et annuntiabit vobis ».[91] *Redemptionem omnino* **Filius** *operatur* **tamquam Unctus, qui venit egitque Spiritus Sancti virtute ac se tandem in sacrificium supremum tradidit Crucis in ligno. Quae quidem Redemptio simul** *perficitur continenter* **in animis atque conscientiis — per aetatum mundi decursum — a Spiritu Sancto, qui est « alius Paraclitus ».**

25. « Opere autem consummato, quod Pater Filio commisit in terra faciendum (cfr. *Io* **17, 4),** *missus est Spiritus Sanctus die Pentecostes, ut Ecclesiam iugiter sanctificaret,* **atque ita credentes per Christum in uno Spiritu accessum haberent ad Patrem (cfr.** *Eph* **2, 18). Ipse est Spiritus vitae seu fons aquae salientis in vitam aeternam (cfr.** *Io* **4, 14; 7, 38-39), per quem Pater homines, peccato mortuos, vivificat, donec eorum mortalia corpora in Christo resuscitet (cfr.** *Rom* **8, 10-11) ».[92]**

Hisce verbis Concilium Vaticanum II nuntiat *Ecclesiae ortum* **die Pentecostes. Qui eventus extremam efficit patefactionem illius rei ipsius, quae eodem in Cenáculo iam Paschatis die dominico contigerat. Venit nempe Christus resuscitatus adque Apostolos Spiritum Sanctum « portavit ». Quem iis dedit dicens: «Accipite Spiritum Sanctum». Quod** *tunc intrinsecus in Cenáculo,* **« ianuis clausis », evenerat, postmodum ipso Pentecostes die etiam extrinsecus coram hominibus patescit. Cenaculi reserantur valvae seseque Apostoli ad incolas conferunt ac peregrinatores Hierosolymis déversantes ob festum diem ut Christo testimonium reddant in Spiritus Sancti virtute. Hoc**

[90] ***Io*** **16, 7.**

[91] ***Io*** **16, 15.**

[92] CONC. OEC. VAT. II, **Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 4.**

modo nuntius impletur: *«Ille* **testimonium perhibebit de me; sed** *et vos* **testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis ».[93]**

Alio autem in documento Concilii Vaticani II scriptum legimus : « Procul dubio Spiritus Sanctus iam in mundo operabatur antequam Christus glorificaretur. Die tamen Pentecostes in discipulos supervenit, ut cum eis maneret in aeternum, Ecclesia coram multitudine publice manifestata est, diffusio Evangelii inter gentes per praedicationem exordium sumpsit ».[94]

Initium itaque cepit *tempus Ecclesiae* **ex « adventu », videlicet e descensu Spiritus Sancti in Apostolos, intra Cenaculum Hierosolymitanum congregatos una cum Maria, Domini Matre.[95] Tunc iniit Ecclesiae tempus, cum** *promissa et nuntia,* **quae tam manifesto ad Paraclitum, Spiritum veritatis, spectabant, cum omni potentia et claritate ad effectum adduci coepta sunt in Apostolis, unde factum est ut Ecclesia nasceretur. Hac de re loquuntur fuse passimque** *Actus Apostolorum,* **ex quibus consequitur** *Spiritum Sanctum,* **secundum priscae illius communitatis conscientiam, cuius certitudinem Lucas testatur,** *suscepisse invisibilem gubernationem* **— at quodammodo sub sensum cadentem — eorum qui post Domini Iesu discessionem se penitus veluti orbatos sentirent. Adveniente vero Spiritu, iam sibi idonei visi sunt, qui munus sibi creditum perficerent. Virtute se plenos senserunt. Quod omnino ipsum in iis est Spiritus Sanctus operatus, et in Ecclesia idem continenter operatur illorum per successores. Namque Spiritus Sancti gratia, quam per manuum impositionem suis adiutoribus tribuerunt Apostoli, etiam nunc per episcopalem traditur ordinationem. Episcopi per ordinis vicissim sacramentum participes reddunt eiusdem huius spiritualis muneris ipsos ministros sacros faciuntque ut sacramento confirmationis omnes**

[93] *Io* 15, 26 s.

[94] Decretum *Ad gentes* de activitate missionali Ecclesiae, 4.

[95] Cfr. *Act.* 1, 14.

ex aqua et Spiritu renati corroborentur illa gratia; et sic profecto in Ecclesia Pentecostes gratia quadamtenus perpetuatur.

Perinde ac scribit Concilium: « *Spiritus in Ecclesia* et in cordibus fidelium tamquam in templo *habitat* (cfr. *1 Cor* 3, 16; 6, 19), in eisque orat et testimonium adoptionis filiorum reddit (cfr. *Gal* 4, 6; *Rom* 8, 15-16 et 26). Ecclesiam, quam *in omnem veritatem inducit* (cfr. *Io* 16, 13) et in communione et ministratione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit ac dirigit, et fructibus suis adornat (cfr. *Eph* 4, 11-12; *1 Cor* 12, 4; *Gal* 5, 22). Virtute Evangelii *iuvenescere facit Ecclesiam* eamque perpetuo *renovat* et ad consummatam cum Sponso suo unionem *perducit* ».[96]

26. Loci Constitutionis Concilii *Lumen Gentium* aliati nos docent, adventante Spiritu Sancto, coepisse Ecclesiae tempus. Significant etiam tempus, *Ecclesiae tempus, perdurare. Persistit enim per saecula hominumque aetates.* Nostro quidem saeculo, quo hominum genus iamiam appropinquat fini alterius millennii post Christum natum, hoc tempus Ecclesiae insigniter declaratum est per *Concilium Vaticanum II,* veluti ipsius nostri saeculi concilium. Constat namque illud fuisse peculiari ratione concilium « ecclesiologiam »: *concilium in argumento Ecclesiae versatum.* Simul tamen huius Concilii doctrina secundum suam naturam est « pneumatologica »: quam scilicet *pervadit veritas de Spiritu Sancto,* tamquam de

[96] Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 4. Exsistit copiosissima Patrum ac theologorum traditio de intima coniunctione Spiritus Sancti cum Ecclesia; quae coniunctio interdum perhibetur per similitudinem coniunctionis animae cum corpore in homine: cfr. S. IRENAEUS, *Adversus haereses,* III, 24, 1: *SC* ***211,*** pp. 470-474; S. AUGUSTINUS, *Sermo* ***267,*** 4, 4: *PL* 38, 1231; *Sermo* ***268, 2:*** *PL* 38, 1232; *In Iohannis evangelium tractatus,* XXV, 13; XXVII, 6: *CCL* 26, 266. 272s.; S. GREGORIUS MAGNUS, *In septem psalmos poenitentiales expositio,* Ps. V, 1: *PL* 79, 602; DIDYMUS ALEXANDRINUS, De Trinitate, II, 1: *PO* 39, 449 s.; S. ATHANASIUS, *Oratio III contra Arianos,* 22, 23, 24: *PO* 26, 368 s., 372s.; S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Epistolam ad Ephesios,* Homil. IX, 3: *PO* 62, 72 s. S. THOMAS AQUINAS antecedentem Patrum ac theologorum traditionem est complexus exhibens Spiritum Sanctum tamquam « cor » et « animam » Ecclesiae: cfr. *Summa Theologiae,* III, q. 8, a. 1, ad 3; *In symbolum Apostolorum Expositio,* a. IX; *In Tertium Librum Sententiarum,* Dist. XIII, q. 2, a. 2, quaestiuncula 3.

Ecclesiae anima. Dici proin licet in uberi suo magisterio Concilium Vaticanum II proprie complecti id omne, quod « Spiritus dicat Ecclesiis »,[97] quantum ad praesentem attineat historiae salutis aetatem.

Ductum ita Spiritus veritatis sectans cum eoque testimonium perhibens, Concilium ipsum attulit peculiarem *confirmationem praesentiae Spiritus Sancti Paracliti.* **Aliquo pacto id eum rursus « praesentem » reddidit hac difficili nostra aetate. Qua ex persuasione melius comprehenditur permagnum pondus omnium inceptorum, unde Concilium Vaticanum II possit ad effectum deduci, necnon ipsius magisterii atque pastoralis et oecumenici propositi. Hac ex parte etiam extollendi sunt et aestimandi posteriores** *Coetus Synodi Episcoporum,* **illuc spectantes ut fructus veritatis caritatisque — veri id est Spiritus Sancti fructus — perpetuum fiant bonum Populi Dei in terrestri eius peregrinatione per saeculorum decursum. Hoc Ecclesiae opus pernecessarium est, quod id efficere oportet ut comprobentur ac corroborentur salutares Spiritus fructus in Concilio tributi. Quare necesse est diligenter ii « discernantur » ab illis omnibus, quae e contrario exoriri possunt potissimum a ((principe huius mundi».[98] Quae quidem discretio tanto magis est necessaria in Concilii opere compiendo, quia illud adeo** *late sese aperuit mundo huius temporis,* **perinde ac liquido emergit e magni momenti Constitutionibus Concilii** *Gaudium et spes* **et** *Lumen gentium.*

In pastorali Constitutione legimus : « Ipsorum enim communitas (discipulorum Christi)... ex hominibus coalescit, qui, in Christo coadunati, a Spiritu Sancto diriguntur in sua ad Regnum Patris peregrinatione et nuntium salutis omnibus proponendum acceperunt. Quapropter *ipsa* **cum genere humano eiusque** *historia se revera intime coniunctam experitur » .* [99]

[97] Cfr. ***Apc*** **2, 29; 3, 6. 13. 22.**
[98] Cfr. ***Io*** **12, 31; 14, 30; 16, 11.**
[99] ***Gaudium et spes,*** **1.**

« Vere novit Ecclesia solum Deum, cui ipsa inservit, profundissimis respondere desideriis humani cordis, quod nutrimentis terrestribus numquam plene satiatur ».[100] *«Spiritus Dei...* **mirabili providentia** *temporum cursum dirigit et faciem terrae renovat ».*[101]

II

27. Sermonem in Cenáculo conferens, Iesus, cum Spiritus Sancti nuntiat adventum « condicione » quidem abitionis suae et pollicetur: « si autem abiero, mittam eum ad vos », eodem ipso omnino loco addit : « Et cum venerit ille, *arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio* **».[102] Idem igitur Paraclitus veritatisque Spiritus, qui promissus est uti is qui « docebit » et « suggeret », uti is qui « testimonium perhibebit », uti ille qui «deducet... in omnem veritatem», verbis modo allatis enuntiatur ut ipse qui « arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio ».**

Plurimum significare videtur hic etiam ipsius orationis locus *contextus.* **Hunc Spiritus Sancti nuntium Iesus coniungit cum vocibus suam indicantibus « abitionem » per Crucem, eius immo effert necessitatem : « expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos ».[103]**

At quod pluris est aestimandum, est *explanatio, quam Iesus ipse adicit* **tribus his nominibus: peccato, iustitiae, iudicio. Etenim ita explicat : « arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio : de peccato quidem, quia non credunt in me; de iustitia vero, quia ad Patrem vado et iam non videtis me; de iudicio autem, quia princeps mundi huius iudicatus est ».[104] Secundum Iesu mentem peccatum, iustitia, iudicium prae se ferunt** *significationem admodum definitam,* **aliam**

[100] ***Gaudium*** *et spes,* **41.**
[101] ***Ibid.,*** **26.**
[102] ***Io*** **16, 7 s.**
[103] ***Io*** **16, 7.**
[104] ***Io*** **16, 8-11.**

quidem ac velit quis forsitan hisce tribuere verbis, omissa nempe explanatione eius qui loquitur. Haec vero explicatio simul illuminat quomodo intellegendum sit illud « arguere mundum », quod Spiritus Sancti actionis est proprium. Interest hic tum quid singulae significent voces, tum quod inter se eadem in sententia eae a Iesu iunguntur.

« Peccatum » **hoc loco incredulitatem declarat, quam Iesus inter « suos » repperit, iam inde a civibus suis Nazarethanis. Repudiationem indicat eius operis ac muneris, quae homines eo adducet ut morte eum condemnent. Cum de** *« iustitia »* **subinde loquitur, Iesus illam cogitare videtur iustitiam postremam, quam reddet ei Pater, cum resurrectionis eum gloria circumdabit atque ascensionis in caelum: « Vado ad Patrem ». In hac autem coniunctione « peccati » ac « iustitiae » sic intellectae, ((** *iudicium* **» docet veritatis Spiritum « mundi » culpam esse patefacturum in Iesu damnatione ad mortem in Cruce. Verumtamen, Christus haud venit in mundum dumtaxat ut iudicet eum atque condemnet:** *venit ut salvet illum.*[105] **Illud arguere de peccato ac de iustitia spectat ad mundi salutem, salutem hominum. Haec omnino veritas efferri videtur illa affirmatione, ex qua « iudicium » solum respicit « principem huius mundi », Satanam videlicet, qui iam inde a principio perverse abutitur opere creaturae adversus salutem, contra foedus consortiumque hominis cum Deo : is iam « iudicatus est » ab initio. Si Spiritum Paraclitum mundum arguere oportet, quantum pertinet ad iudicium, hoc fit ut in eo salvificum Christi opus propagetur.**

28. Intendere hoc loco praecipue volumus in hoc Sancti Spiritus munus, quod est « *arguere mundum de peccato »,* **at simul etiam observare totum contextum verborum a Iesu in Cenáculo prolatorum. Spiritus Sanctus, qui a Filio Redemptionis opus in mundo suscipit, eodem cum hoc munere**

[105] **Cfr.** ***Io*** **3, 17; 12, 47.**

accipit etiam officium salutariter « arguendi de peccato ». Hoc arguendi opus *continenter refertur ad « iustitiam »* **: id est ad extremam salutem in Deo, ad illius oeconomiae exsecutionem, cuius quasi centrum est Christus crucifixus et glorificatus. Haec** *Dei salutifera oeconomia* **aliquo modo hominem subtrahit « iudicio », nempe damnationi, quo peccatum Satanae, « principis mundi huius », est punitum; ipse est qui sua culpa factus est « mundi rector tenebrarum harum ».[106] Hinc igitur causa cur, per talem coniunctionem cum « iudicio », fines latissimi aperiantur ad intellegendum « peccatum » necnon « iustitiam ». Spiritus Sanctus, dum ante Christi Crucem, tamquam in recessu positam, demonstrat peccatum in oeconomia ipsius salutis (dici possit aliqua ratione « peccatum salvatum »), docet quomodo munus sit suum « arguendi » etiam de peccato, quod iam in perpetuum est iudicatum (« peccatum condemnatum »).**

29. Omnia verba, a Redemptore in Cenáculo in passionis ipsius pervigilio prolata, *inseruntur in Ecclesiae tempus:* **ea autem praesertim de Spiritu Sancto ut Paraclito ac Spiritu veritatis dicta. Novo semper modo illa eo inseruntur in omni generatione omnique tempore. Hoc, quod ad nostrum attinet saeculum, corroboratur summa doctrinae Concilii Vaticani II, potissimum** *Constitutione pastorali « Gaudium et spes »*. **Multi huius documenti loci luculenter comprobant Concilium, luci sese aperiens Spiritus veritatis, exhiberi tamquam** *verum depositarium* **nuntiorum promissorumque, quae Apostolis atque Ecclesiae Christus tradidit in sermone supremo: praecipue vero illius nuntii, ex quo Spiritus Sanctus arguere debet « mundum de peccato et de iustitia et de iudicio ».**

Hoc iam eo loco declaratur, ubi *Concilium explicat quid sub « mundo » intellegat:* **« Mundum igitur hominum prae oculis habet (Concilium ipsum) seu universam familiam hu-**

[106] **Cfr.** ***Eph*** **6, 12.**

mariam cum universitate rerum inter quas vivit; mundum, theatrum historiae generis humani, eiusque industria, cladibus ac victoriis signatum; mundum, quem christifideles credunt ex amore Creatoris conditum et conservatum, *sub peccati quidem servitute positum,* sed *a Christo* crucifixo et resurgente, *fracta potestate Maligni, liberatum* ut secundum propositum Dei transformetur et ad consummationem perveniat ».[107] Ad hunc valde brevem pressumque locum quod attinet, oportet in Constitutione pastorali alios etiam perlegere locos, quorum est secundum *omnem fidei congruentiam cum rebus ipsis* ostendere condicionem peccati in mundo huius temporis, necnon eius explanare essentiam, initio a variis aspectibus facto.[108]

Cum Iesus in Paschatis pervigilio de Spiritu Sancto loquitur veluti de eo qui « arguet mundum de peccato », hinc tribuenda est eidem ipsius affirmationi *quam latissima vis et interpretatio,* quoniam totam complectitur peccatorum summam in generis hominum historia; illinc vero, cum Iesus docet in eo consistere illud peccatum quod « non credunt in eum », talis vis et interpretatio videtur iis solis *circumscribi,* qui in Israele messianicum munus Filii hominis repudiaverunt, morte eum Crucis damnantes. Vix tamen praeteriri potest quomodo haec intellegentia magis « circumscripta » atque historico modo definita ipsius sensus peccati eo usque dilatetur ut amplitudinem sibi sumat universalem *propter ipsam universalitatem Redemptionis,* quae per Crucem est peracta. Mysterii Redemptionis revelatio viam aperit ad intellectum, quo *omne peccatum,* ubique et quolibet temporis momento admissum, refertur ad Christi Crucem ac proinde via obliqua etiam ad eorum peccatum, qui « in eum non crediderunt », damnantes Iesum Christum ipsius Crucis morte.

Quibus ita inspectis, opus est ad Pentecostes redire eventum.

[107] Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 2.
[108] Cfr. *ibid.,* 10. 13. 27. 37. 63. 73. 79. 80.

30. Die Pentecostes modo certissimo maximeque directo *confirmati sunt nuntii Christi,* **in supremo sermone prolati, ac nominatim nuntius ille de quo agimus: « Paraclitus ... arguet mundum de peccato ». Illo enim die ipso in Apostolos, congregatos oratione una cum Maria Iesu Matre in eodem Cenáculo,** *descendit Spiritus Sanctus promissus,* **haud secus ac legitur in** *Actibus Apostolorum:* **«et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui aliis linguis prout Spiritus dabat eloqui illis »,[109] « ita in unitatem Stirpes dispersas redigens Patrique offerens omnium nationum primitias ».[110]**

Necessitudinis ratio elucet inter nuntium, a Christo prolatum, et hunc eventum. Hic enim primam deprehendimus principalemque exsecutionem pollicitationis Paracliti. Qui quidem venit a Patre missus, « *post » Christi discessionem* **eiusque « condicione ». Prima haec est abitio per mortem in Cruce deindeque quadraginta post Resurrectionem diebus per ascensionem in Caelum. Ipso etiam ascensionis tempore Iesus Apostolis praecepit « ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris » ; « vos autem** *baptizabimini in Spiritu Sancto* **non post multos hos dies » ; « accipietis virtutem superveniente Sancto Spiritu in vos, et eritis mihi testes et in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae ».[111]**

Postrema haec verba quandam quasi vocis imaginem in se concludunt vel memoriam ipsius nuntii in Cenáculo aliati. Qui quidem nuntius Pentecostes die evenit omnino. Agens Spiritus Sancti impulsu, quem Apostoli in Cenáculo precantes receperant, iam coram multitudine hominum varii sermonis ob festum diem congressorum, *Petrus prodit et dicit.* **Id pronuntiat, quod** *antea* **numquam** *eloqui esset ausus:* **« Viri Israelitae, ... Iesum Nazarenum, virum approbatum a Deo apud**

[109] *Act 2,* 4.
[110] Cfr. S. IRENAEUS, *Adversus haereses,* III, 17, 2: *BC* 211, pp. 330-332.
[111] *Act 1,* 4. 5. 8.

vos virtutibus et prodigiis et signis quae fecit per illum Deus in medio vestri... hunc definito consilio et praescientia Dei traditum per manum iniquorum *äff ig entes* **interemistis, quem Deus suscitavit solutis doloribus mortis, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab ea ».[112]**

Iesus enim praedixerat pollicitus: «ille (Spiritus Sanctus) testimonium perhibebit de me; sed et vos testimonium perhibetis... ». In primo Petri sermone, Hierosolymis habito, illud « testimonium » *claram suam sumit inceptionem:* **testimonium enim est de Christo crucifixo et resuscitato; testificatio haec est Spiritus Paracliti atque Apostolorum. In ipsa huius primi testimonii doctrina, Spiritus veritatis per os Petri «** *arguit mundum de peccato* **» : ante omnia, de illo peccato, quod fuit Christi repudiatio usque ad damnationem mortis, usque ad Crucem in Calvariae loco. Similis sententiae affirmationes repetuntur secundum librum** *Actuum Apostolorum* **aliis temporibus diversisque in locis.[113]**

31. Iam inde a pristina hac Pentecostes testificatione opus Spiritus veritatis, qui « arguit mundum de peccato » repudiationis Christi, arcta ratione *coniungitur cum testimonio exhibendo mysterio paschali:* **mysterio videlicet** *Crucifixi ac Resuscitati.* **Qua in necessitudine ipsum illud « arguere de peccato)) propriam ostendit indolem salvificam. Etenim hoc « arguere » pertinet non ad** *solam accusationem* **mundi eoque minus ad illius** *condemnationem.* **Non enim venit in mundum Iesus Christus ut iudicaret eum et condemnaret, verum ut** *salvaret.*[114] **Hoc sane extollitur in hoc primo sermone, cum Petrus exclamat : « Certissime ergo sciat omnis domus Israel quia et Dominum eum et Christum Deus fecit, hunc Iesum quem vos crucifixistis ».[115] Deinde vero, cum astantes Petrum**

[112] *Act* 2, 22-24.
[113] Cfr. *Act* 3, 14 s.; 4, 10. 27s.; 7, 52; 10, 39; 13, 28s., et cetera.
[114] Cfr. *Io* 3, 17; 12, 47.
[115] *Act* 2, 36.

rogarent Apostolosque : « Quid faciemus, viri fratres? », en responsio: *«Paenitentiam... agite,* **et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi** *in remissionem peccatorum vestrorum,* **et accipietis donum Sancti Spiritus ».**[116]

Sic profecto « arguere mundum *de peccato* **» simul fit persuadere ei** *de peccatorum remissione,* **in Spiritus Sancti virtute. Sermone suo Hierosolymitano Petrus hortatur ad conversionem, perinde ac suos etiam auditores cohortabatur Iesus ineunte messianica opera sua.**[117] **Conversio enim** *postulat persuasionem de peccato,* **iudicium in se interius continet ipsius conscientiae idque, cum comprobatio sit actionis Spiritus veritatis in hominis intimo, simul novum evadit principium largitionis gratiae amorisque: «Accipite Spiritum Sanctum».**[118] **Itaque in illo « arguere de peccato » reperimus** *duplicem largitionem:* **donum veritatis ipsius conscientiae necnon donum certitudinis de redemptione. Spiritus veritatis est Paraclitus.**

Hoc arguere de peccato, per ministerium praedicationis apostolicae in Ecclesia nascente habitae — e Spiritus die Pentecostes effusi impulsu —, *refertur ad redemptricem virtutem* **Christi crucifixi et resuscitati. Ita promissio, ad Spiritum Sanctum attinens, ante Pascha facta, impletur : « de meo accipiet et annuntiabit vobis ». Cum igitur, inter Pentecostes eventus, Petrus loquitur** *de peccato eorum qui « non crediderunt »* [119] **quique probrosae morti Iesum Nazarenum tradiderunt, testimonium praebet victoriae de peccato: quae reportata est quodam modo per maximum peccatum, quod homo potuit patrare : per** *occisionem Iesu Filii Dei, consubstantialis Patri!* **Filii autem Dei mors similiter vincit hominis mortem : «** *Ero mors tua, o mors* **»,**[120] **quemadmodum peccatum ipsum, quo** *Filius Dei* **est crucifixus,** *humanum vincit peccatum!* **Peccatum scilicet illud**

[116] ***Act* 2, 37 s.**

[117] **Cfr. *Me* 1, 15.**

[118] ***Io* 20, 22.**

[119] **Cfr. *Io* 16, 9.**

[120] ***Os* 13, 14 *Y g;* cfr. *1 Cor* 15, 55.**

quod Hierosolymis die Parasceves est peractum — atque etiam omne hominis peccatum. Etenim maximo ab homine patrato peccato respondet in Redemptoris animo *oblatio summi amoris,* **quod malum superat peccatorum omnium hominum. Ecclesia, hac innixa certitudine, nihil dubitat in Liturgia Romana quoque anno, inter Vigiliam paschalem, iterare : «** *O felix culpa!* **», in nuntiatione illa resurrectionis, quam diaconus profert cantico «** *Exsultet ».*

32. De hac autem ineffabili veritate nemo *persuadere* **valet** *mundo* **et homini et humanae conscientiae,** *nisi is ipse, Spiritus veritatis.* **Hic namque est Spiritus, qui « scrutatur etiam profunda Dei ».**[121] **Coram peccati mysterio scrutari oportet « profunda Dei »** *usque in imum.* **Haud sufficit humanam perscrutari conscientiam, quae intimum est hominis mysterium ; verum necesse est in intimum Dei mysterium ingredi, in illa videlicet « profunda Dei », quae brevi formula perstringuntur :** *ad Patrem* **— in Filio — per Spiritum Sanctum. Omnino ipse est Spiritus Sanctus, qui illa « scrutatur » indeque** *responsionem Dei* **deducit hominis redditam peccato. Qua responsione processus clauditur « arguendi de peccato », sicut liquido demonstrat Pentecostes eventus.**

Arguens enim « mundum » de peccato, in loco Calvariae patrato, mortis nempe Agni innocentis, quemadmodum Pentecostes die evenit, Spiritus Sanctus persuadet etiam singulis de peccatis, quolibet admissis loco et quovis historiae hominis momento : *necessitudinis enim rationem peccati cum Christi Cruce commonstrat.* **« Arguere » est malum peccati ostendere, uniuscuiusque quidem peccati, ad Christi Crucem relati. Hoc nexu indicatum peccatum** *agnoscitur in tota mali ratione,* **quae illius est propria, ob «** *mysterium iniquitatis* **»,**[122] **quod continet in se atque abscondit. Homo vero non novit hanc rationem, immo**

[121] **Cfr.** ***1 Cor*** **2, 10.**

[122] **Cfr.** ***2 Thess*** **2, 7.**

nullatenus cognoscit extra Christi Crucem. Quapropter persuaden ei non potest de eo, *nisi a Spiritu Sancto* **: Spiritu veritatis, sed etiam Consolatore.**

Revera peccatum, quod cum Cruce Christi demonstratur coniunctum, simul quidem *denotatur plane in prospectu « mysterii pietatis* **»,**[123] **quemadmodum docet Adhortatio Apostolica post Synodum edita, cui titulus** *Reconciliatio et paenitentia.*[114] **Haec etiam peccati ratio ab homine nequaquam extra Crucem Christi agnoscitur. Nec de illo ei « persuaden » potest nisi** *a Spiritu Sancto,* **ab eo scilicet, qui « scrutatur ... profunda Dei ».**

33. Haec est peccati ratio, quam in ipso testimonio initiorum in *libro Genesis* **reperimus.**[125] **Peccatum illud est, quod, ex Verbo Dei revelato,** *ceterorum omnium peccatorum principium efficit radicemque.* **Sumus hic coram primigenia peccati veritate in hominis historia eodemque tempore in tota salutis oeconomia. Dici immo potest hoc in peccato initium habere ipsum «** *mysterium iniquitatis* **», verum idem quoque esse peccatum, circa quod virtus redemptrix** *mysterii pietatis* **perlucida maxime fit efficiensque. Id quod enuntiat Paulus, cum «** *inoboedientiae* **» primi Adami** *opponit « oboedientiam* **» Christi, alterius Adami, qui factus est « oboediens usque ad mortem ».**[126]

Secundum principii illius testimonium, peccatum ex primigenia sua veritate accidit in voluntate — et in conscientia — hominis ante omnia ut « inoboedientia », videlicet ut hominis repugnantia Dei voluntati. Primigenia haec inoboedientia praesumit *reiectionem veritatis* **aut saltem** *recessionem ab ea, quam Verbum Dei complectitur,* **quod mundum creat. Hoc idem est Verbum ac fuit « in principio apud Deum », quod « erat Deus » et sine quo « factum est nihil, quod factum est », quoniam**

[m] Cfr. ***1 Tim*** **3, 16.**

[124] Cfr. ***Reconciliatio et paenitentia*** **(2 Decembris 1984), 19-22:** ***AAS*** **77 (1985), pp. 229-233.**

[125] Cfr. ***Gn*** **1-3.**

[124] Cfr. ***Rom*** **5, 19;** ***Philp*** **2, 8.**

« omnia per ipsum facta sunt ».[127] Verbum illud aeterna pariter est lex omnisque fons legis, quae mundum et potissimum actus humanos moderatur. Cum igitur in pervigilio passionis suae Iesus Christus loquitur de eorum peccato, qui « *non credunt in eum* », hisce in vocibus eius dolore plenis *quasi longinqua imago repercussa habetur illius peccati,* quod primigenia sua forma obscure in ipsum mysterium creationis inseritur. Qui enim loquitur, non Filius hominis tantummodo est, sed is etiam, qui simul est « primogeni tus omnis creaturae », « quia in ipso condita sunt universa ... per ipsum et in ipsum ».[128] Hac sic praefulgente veritate, intellegitur « inoboedientiam » in principiorum mysterio praesumere quodam sensu eandem illam « nonfidem », idem illud « *non credere* », quod de paschali repetitum est mysterio. Sicut iam diximus, de reiectione veritatis agitur aut saltem de recessione a veritate, quae in Verbo Patris continetur. Repudiatio reapse significatur ut « inoboedientia », aliquo in actu impleto uti effectu temptationis, quae ab eo emanat qui « pater est mendacii ».[129] Ideo hominum peccato subest mendacium tamquam vehementissima *reiectio veritatis,* quam Patris concludit Verbum, per quod amans declaratur Creatoris omnipotentia; omnipotentia ac simul amor « Dei Patris, Creatoris caeli et terrae ».

34. *Spiritus Dei,* qui secundum sacrorum Bibliorum narrationem creationis « ferebatur super aquas »,[130] eundem sane designat « Spiritum », qui « scrutatur profunda Dei » : *scrutatur profunda Patris et Verbi-Filii* in creationis mysterio. Non modo proximus est ipse testis mutui eorum amoris, unde creatio manat, verum ipse etiam hic Amor est. Ut Amor ipse aeternum est donum increatum. In illo *fons atque initium omnis largitionis factae creaturis invenitur.* Testimonium prin-

[127] Cfr. *Io* 1, 1. 2. 3. 10.

[128] Cfr. *Col* 1, 15-18.

[129] Cfr. *Io* 8, 44.

[130] Cfr. *Gn* 1, 2.

cipii, quod in tota reperimus Revelatione, iam inde a *libro Genesis,* hac in re est plane univocum. Creare significat ex nihilo ad exsistentiam vocare; creare itaque significat *donare* exsistentiam. Quodsi mundus aspectabilis propter hominem creatur, hic ergo mundus homini donatur.[131] Eodem autem tempore ipse homo recipit in propria sua humanitate uti donum peculiarem « *imaginem et similitudinem* » Dei. Quod non modo rationabilitatem libertatemque indicat tamquam proprietates ipsam constituentes hominis naturam, sed etiam iam inde a principio facultatem instituendi *necessitudinem personalem* cum Deo, velut « ego » et « tu », ideoque *facultatem foederis,* quod efficitur, cum Deus sese salutariter cum homine communicat. Coram hac « imagine ac similitudine » Dei, « donum Spiritus » significat denique *vocationem ad amicitiam,* in qua « profunda Dei », quae humana transcendunt, quadamtenus recluduntur ad participationem hominis. Concilium Vaticanum II docet: «Deus invisibilis (cfr. *Col* 1, 15; *1 Tim* 1, 17) ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur (cfr. *Ex* 33, 11; *Io* 15, 14-15) et cum eis conversatur (cfr. *Bar* 3, 38), ut eos ad societatem Secum invitet in eamque suscipiat ».[132]

35. Quocirca, Spiritus, qui «omnia scrutatur, etiam profunda Dei », iam inde ab initio novit « quae sint hominis ».[133] Hanc omnino ob causam ipse *solus potest plene « arguere de peccato », quod in principio fuit,* de illo nempe peccato, quod ceterorum est radix ac fomes pravitatis hominis in terris, qui numquam exstinguitur. Spiritus veritatis cognovit primigeniam peccati veritatem, quod in hominis acciderat voluntate, operante « patre mendacii », ipso scilicet, qui iam « iudicatus est ».[134] Mundum ideo Spiritus Sanctus arguit de peccato, ra-

[131] Cfr. *Gn* 1, 26. 28. 29.

[132] Const. dogm. *Dei verbum* de Divina Revelatione, 2.

[133] Cfr. *1 Cor* 2, 10 s.

[134] Cfr. *Io* 16, 11.

tione huius « iudicii » habita, verum continenter *dirigit ad « iustitiam »*, quae homini una cum Christi Cruce est patefacta: per oboedientiam «usque ad mortem».[135]

Spiritus Sanctus solus de peccato humanae originis valet persuadere, ipse nominatim qui Patris Filiique est amor, qui donum est, cum contra *peccatum primordiorum hominis* ex mendacio constet necnon reiectione doni atque amoris, quae ad mundi hominisque principium momentum habent.

36. Secundum illius principii testimonium, quod in Scriptura Sacra et in Traditione invenimus, post primam (eamque plenissimam) descriptionem in *libro Genesis,* peccatum primigenia forma intellegitur « inoboedientia », qua simpliciter directoque significatur *transgressio mandati, quod dederat Deus}*[136] Inspecto tamen integro hoc loco, pariter tamen patet huius inoboedientiae radices quaerendas esse in profundo totius condicionis « realis » hominis ipsius. Ad vitam vocatus homo — vir et mulier — est creatura. « Imago Dei », quae in rationabilitate consistit ac libertate, excelsitatem designat et dignitatem subiecti humani, quod est persona. At hoc *personale subiectum* semper etiam creatura est: sua in vita atque essentia ex Creatore pendet. Secundum *librum Genesis,* verba « lignum scientiae boni et mali » indicabant continuoque memorabant homini « limitem » insuperabilem alicui creato. Hac ratione vetitum divinum explicatur: prohibet enim Creator ut vir et femina fructibus vescantur ligni boni et mali. Voces instigationis, videlicet temptationis, sicut in textu exprimitur sacro, inducunt ut hoc transeatur vetitum, id est « limes » excedatur: « in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Deus scientes bonum et malum ».[137]

[135] Cfr. *Philp 2,* 8.
[136] Cfr. *Gn 2,* 16 s.
[137] *Gn* 3, 5.

Profecto « inoboedientia » declarat illius limitis transgressionem, qui persistit inexsuperabilis esse pro voluntate libertateque hominis ut creaturae. Deus Creator enim unicus est ultimusque ordinis moralis fons in mundo, ab ipso condito. Non licet igitur ex se homini statuere quid bonum sit quidve malum — non potest « scire bonum et malum sicut Deus ». Ita est: in mundo creato *Deus* **permanet prima ac suprema origo unde** *bonum et malum decernatur,* **per intimam vitae veritatem, quae effectus nempe est** *Verbi,* **aeterni Filii, Patri consubstantialis. Homini, ad Dei imaginem creato, Spiritus Sanctus conscientiam muneri dat, in qua imago fideliter respondeat suo exemplari, quod simul est Sapientia Lexque aeterna, ordinis moralis fons in homine et in mundo. « Inoboedientia », tamquam peccati proprietas originalis,** *repudiationem huius fontis* **significat, cum homo fieri audeat fons sui quidem iuris unicusque, unde de bono et malo constituat. Spiritus autem, qui « scrutatur profunda Dei » simulque homini est conscientiae lumen et fons moralis ordinis, novit hanc peccati rationem omni ex ipsius amplitudine, quae in hominis primordiorum mysterium inseritur. Neque «** *arguere mundum* **» de ea desistit, quantum ad Crucem spectat Christi in Calvariae loco.**

37. Secundum initiorum narrationem, Deus semet ipsum in creatione revelavit uti omnipotentiam, quae simul est amor. Eodem vero tempore docuit hominem tamquam « imaginem ac similitudinem » sui Creatoris *vocari ad veritatem et amorem participandam.* **Haec participatio vitam significat in coniunctione cum Deo, quae est « vita aeterna ».[138] Verumtamen homo, impetu « patris mendacii », huic sese participationi sub traxit. Quatenus? Certe non eatenus, quantum peccatum infert spi-**

[138] **Cfr.** ***On*** **3, 22 de «ligno vitae»; cfr. etiam** ***Io*** **3, 36; 4, 14; 5, 24; 6, 40. 47; 10, 28; 12, 50; 14, 6;** ***Act*** **13, 48;** ***Rom*** **6, 23;** ***Gal*** **6, 8;** ***1 Tim*** **1, 16;** ***Tit*** **1, 2; 3, 7;** ***1 Pe*** **3, 22;** ***1 Io*** **1, 2; 2, 25; 5, 11. 13;** ***Apc*** **2, 7.**

ritus puri, quantum Satanae effecit peccatum. Hominis enim spiritus non potest talem consequi modum.[139] **Eadem in** *Genesis descriptione facile notatur gradus discrimen* **inter « mali ipsius spiramen », ab eo procedens, qui « a principio ... peccat (nempe perstat in peccato) »**[140] **quique « est iudicatus »,**[141] **ac malum inoboedientiae in homine.**

Haec tamen inoboedientia significat semper aliquem *Deo terga vertere* **et certo quodam sensu libertatem humanam** *circumscribi* **respectu Dei. Certam item significat huius libertatis reclusionem — scilicet cognitionis ac voluntatis humanae — respectu eius qui « mendacii pater » est. Conscius hic eligendi actus non modo « inoboedientia » est, verum pariter infert** *consensionem aliquam de causa,* **quae in prima continetur illecebra ad peccatum et sine intermissione iteratur per totam hominis historiam in terris : « Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Deus scientes bonum et malum ».**

Hic intra id ipsum versamur, quod nuncupare possumus « an ti-Verbum », nominatim « anti-veritatem ». Hominis namque *veritas adulteratur: quis homo sit* **quique vitae eius libertatisque sint** *termini insuperabiles.* **Haec « an ti-veritas » contingere potest, quoniam simul « corrumpitur » penitus** *veritas: quis sit Deus.* **In suspicionem enim adducitur Deus Creator, quin immo accusatur in creaturae conscientia. Primum iam in hominum historia emergit perversus « genius — qui dicitur — suspicionis ». Hic studet «** *adulterare » Bonum ipsum,* **Bonum** *absolutum,* **quod omnino in creationis opere sese patefecit uti Bonum, quod ineffabili modo donat : uti** *Bonum diffusivum sui,* **tamquam amor creator. Quis autem plene valet** *« arguere* **de peccato », sive de causa hac primigeniae inoboedientiae hominis, nisi ille qui unus est donum omnisque largi-**

[139] **Cfr.** S. THOMAS AQUINAS, ***Summa Theologiae,*** P-II**, **q.** 80, **a.** 4 **ad** 3.

[140] ***1 Io*** 3, 8.

[141] ***Io*** 16, 11.

tionis origo, nisi Spiritus, qui «scrutatur... profunda» Dei estque Patris ac Filii amor?

38. Etenim, quantumvis eluceat testimonium creationis necnon oeconomiae salutis, quae ad eam pertinet, rector tamen tenebrarum harum[142] **ostentare potest** *Deum uti inimicum* **propriae creaturae atque imprimis velut hominis inimicum, tamquam** *periculi minationisque homini fontem.* **Hoc pacto a** *Satana* **inseritur in hominis animum repugnantiae germen ei qui inde « á principio » existimandus est hominis inimicus — non Pater. Provocatur homo ut Dei adversarius fiat!**

Peccati perscrutatio eius in primigenia ratione docet, operante « patre mendacii », *futuram esse per totam hominum generis aetatem continuam quandam impulsionem in homine ad Deum reiciendum,* **in odium usque:** *«Amor sui usque ad contemptum Dei* **», quemadmodum scribit sanctus Augustinus.**[143] **Proclivis erit homo ut in Deo ante omnia dispiciat aliquam sui ipsius circumscriptionem, non originem propriae liberationis ac plenitudinem boni. Quod hisce temporibus confirmari cernimus, cum ideologiae atheae eo tendunt ut** *evellatur religio,* **quoniam putatur ipsa extremam gignere «** *alienationem » hominis,* **quasi homo sua privetur humanitate, cum notionem Dei complectens ipsi Deo assignet ea quae ad hominem pertinent solumque ad hominem! Hinc cogitandi quaedam via atque praxis historica et sociologica, in qua Dei etiam repudiatio eo usque progressa est ut ipsius « mortem » praedicaverit. Quod est absurda et conceptio et vox ! Sed ideologia de « morte Dei »** *homini* **potius ipsi minatur, sicut docet Concilium Vaticanum II, cum quaestionem tractans « de iusta rerum terrenarum autonomia » edicit : « Creatura... sine Creatore evanescit... Immo per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur ».**[144] **Opinatio haec de « morte Dei »**

[142] **Cfr.** ***Eph*** **6, 12;** ***Lc*** **22, 53.**

[143] **Cfr.** ***De Civitate Dei,*** **XIV, 28:** ***CCL*** **48, 451.**

[144] **Const. past.** ***Gaudium et spes*** **de Ecclesia in mundo huius temporis, 36.**

suis ex effectibus facile demonstrat esse, tum theoretice tum practice, ideologiam de « hominis morte ».

39. **Spiritus, qui scrutatur profunda Dei, a Iesu sermonem habente in Cenáculo nuncupatus est** *Paraclitus.* **Nam** *inde ab initio «advocatum*[145] **ut «arguât mundum de peccato». Ratione extrema advocatur per Christi Crucem. De peccato arguere significat ostendere quid in eo mali subsit; id quod est idem ac patefacere** *mysterium iniquitatis.* **Fieri non potest ut malum peccati comprehendatur in omni ipsius tristi veritate, nisi simul quis « scrutatur profunda Dei ». Iam a principio obscurum peccati mysterium patuit in mundo in adiunctis ad Creatorem libertatis humanae spectantibus. Comparuit enim illud veluti voluntatis actus creatur ae-hominis,** *adv er sontis* **Dei voluntati:** *salvificae Dei voluntati.* **Quin immo apparuit veritati contrarium, secundum iam perpetuo « iudicatum » mendacium: quod mendacium fecit, tamquam in condicione suspicionis perennis, reum ipsum Amorem creantem atque salvificum. Homo secutus est eum qui erat « mendacii pater », sese Patri vitae veritatisque Spiritui opponens.**

Nonne autem « arguere de peccato » significare ideo etiam debebit *revelare dolorem? Revelare dolorem* **— inopinabilem et inenarrabilem, quem ob peccatum ipsum liber sacer introspicere videtur, secundum visionem suam anthropomorphicam, intra illa « profunda Dei » atque, certo quodam modo, intra cor ipsum Trinitatis ineffabilis? Ecclesia, per Revelationem erudita, credit praedicatque** *peccatum offensam esse Dei.* **Quid vero in Patris, Verbi, Spiritus Sancti imperscrutabili et intima necessitudine huic convenit « offensioni », huic reiectioni Spiritus, qui amor est ac donum? Dei notio, ut eius qui est necessarius et perfectissimus, a Deo certe removet quemlibet dolorem, e defectibus vel vulneribus manantem; at intra ea « profunda Dei)> est Patris amor, qui coram hominis peccato, se-**

[145] **In textu Graeco verbum est TOxpocxo&stv = invocare, advocare.**

eundum biblicum sermonem, ita obnititur ut etiam dicat: « paenitet enim me fecisse eos ».[146] « Vidit autem Dominus quod multa malitia hominum esset in terra... *paenituit Dominum quod hominem fecisset in terra...* **inquit...** *"paenitet enim me fecisse eos"* **».[147] Verum saepius liber sacer de Patre loquitur, qui erga hominem misericordia movetur tamquam si eius participet dolorem. Hic tandem inscrutabilis atque inexplicabilis** *« dolor » patris gignet* **ante omnia mirificam** *oeconomiam redimentis amoris in Iesu Christo* **ut, per** *mysterium pietatis,* **amor in hominis historia se patefacere valeat peccato ipso validiorem. Ut praevaleat « donum » !**

Spiritus Sanctus, qui secundum Iesu dicta « arguit de peccato », Patris Piliique est Amor atque uti talis donum trinitarium simulque fons sempiternus omnis divinae largitionis erga creaturam. In illo enim intellegere possumus, tamquam personae specie indutam et consummatam modo transcendenti, illam misericordiam, quam Patrum ac theologorum traditio, secundum Veteris Novique Testamenti rationem, Deo ipsi tribuit. Apud hominem misericordia dolorem et commiserationem amplectitur ob proximi miserias. In Deo vero Spiritus-amor hanc peccati humani considerationem convertit in novam salvifici amoris largitionem. Ex eo nempe, in unitate cum Patre et Filio, consilium salutis exoritur, quod hominum aetates replet Redemptionis muneribus. Quodsi, amorem reiciendo, peccatum « dolorem » hominis genuit, qui in omnem quadamtenus creationem eifusus est,[148] *Spiritus Sanctus* **dolorem humanum et cosmicum ingreditur nova quidem amoris largitione, qui redimit mundum. In Iesu Redemptoris ore, cuius in natura humana Dei « dolor » completur, vox resonat, qua aeternus amor declaratur misericordiae plenus: «** *Misereor* **».[149] Ita ergo a Spiritu Sancto fit ut « arguere de peccato »**

[146] Cfr. *Gn* 6, 7.
[147] *Gn* 6, 5-7.
[148] Cfr. *Rom* 8, 20-22.
[149] Cfr. *Mt* 15, 32; *Me* 8, 2.

sit etiam explicare coram creatura «vanitati ... subiecta», ac potissimum in conscientiarum humanarum penetralibus, quomodo *peccatum Agni Dei sacrificio vincatur,* **qui « usque ad mortem » factus est** *servus oboediens,* **qui, hominis** *inoboedientiam* **reparans, mundi operatur redemptionem. Hac via Spiritus veritatis, Paraclitus, « arguit de peccato ».**

40. Salutifera virtus Christi sacrificii significantibus admodum verbis enuntiatur ab auctore *Epistulae ad Hebraeos,* **qui, postquam Foederis Antiqui memoravit sacrificia, quibus « sanguis hircorum et taurorum ... sanctificat ad emandationem carnis », addit: « Quanto magis sanguis Christi,** *qui per Spiritum aeternum semetipsum obtulit immaculatum Deo,* **emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? ».[150] Licet conscii nobis simus aliarum, quae fieri possunt, interpretationum, cogitationes nostrae de Spiritus Sancti actione in tota Christi vita nos adducunt ut hoc loco comprehendamus quasi quoddam invitamentum ad deliberandum de eiusdem Spiritus praesentia etiam in salutari Verbi Incarnati sacrificio.**

Ponderemus imprimis voces priores, quae de hoc agunt sacrificio, ac deinde seorsum « purificationem conscientiae », quam id efficit. Etenim hoc est sacrificium, quod offertur « *per Spiritum aeternum* **», qui « accipit » de eo vim, unde valeat salutariter « arguere de peccato ». Idem Spiritus Sanctus est, quem secundum promissionem in Cenáculo factam,** *Iesus Christus* **« portat » Apostolis resurrectionis suae die, dum ipsis crucifixionis plagas commonstrat, quemque « dat » illis «** *in remissionem peccatorum* **» : « Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis ».[151]**

Hoc probe novimus : quemadmodum Simon Petrus in domo Cornelii centurionis dixit, « Iesum a Nazareth ... unxit ...

[150] ***Heb*** **9, 13 s.**
[151] ***Io*** **20, 22 s.**

Deus Spiritu Sancto et virtute »;[152] **cognovimus pariter paschale mysterium eius « abitionis » secundum** *Evangelium Ioannis.* **Dicta autem** *Epistulae ad Hebraeos* **nunc edocent nos quo pacto Christus « obtulerit semet ipsum immaculatum Deo » et quo item modo id fecerit « per Spiritum aeternum ». In Filii hominis sacrificio adest Spiritus Sanctus agitque haud secus atque in ipsius conceptione egit, in eius adventu in mundum, in abscondita vita illius necnon ministerio publico. Secundum** *Epistulam ad Hebraeos,* **in itinere « abitionis » suae per hortum Gethsemani et locum Golgothae, idem** *Christus Iesus* **in humana sua natura** *totum sese aperuit* **huic** *Spiritus Paracliti actioni,* **qui ex dolore aeternum salvificum amorem educit. Quapropter est « exauditus pro sua reverentia, et quidem cum esset Filius, didicit ex his quae passus est oboedientiam ».**[153] **Sic profecto haec** *Epistula* **explanat quomodo** *humanitas, peccato subdita* **in primi Adami posteris,** *absolute subiecta sit Deo* **eique coniuncta et simul plena facta misericordiae in homines.** *Nova* **ita adest** *humanitas,* **quae in Christo Iesu per Crucis dolorem redit ad amorem, proditum ab Adamo per peccatum. Iterum inventa est in eodem fonte divinae largitatis pristinae: in Spiritu, qui « scrutatur profunda Dei » quique ipse amor est et donum.**

Dei Filius, Christus Iesus, ut homo, fervida in suae passionis precatione sivit Spiritum Sanctum, qui iam eius prorsus penetraverat humanam naturam, *transfigurare* **illam** *in sacrificium perfectum* **per mortis propriae actum, ut amoris victimae in Cruce. Ex semet solo hanc fecit oblationem. Tamquam sacerdos unicus « semetipsum obtulit immaculatum Deo ».**[154] **Dignus fuit in humana natura sua qui tale evaderet sacrificium, quandoquidem** *is solus* **erat « sine macula ». At obtulit illud « per Spiritum aeternum »: quod quidem significat ra-**

[152] *Act* **10, 38.**
[153] *Heb* 5, **7 s.**
[154] *Heb* **9, 14.**

tione peculiari egisse Spiritum hac in perfecta sui donatione Filii hominis ut in redimentem amorem converteret dolorem.

41. Saepe Vetus Testamentum « ignem de caelo » memorat, qui hostias comburebat ab hominibus oblatas.[155] Per similitudinem Spiritus Sanctus dici potest « *ignis de caelo », qui in intimo Crucis mysterio operatur.* **A Patre veniens, sacrificium Filii ad Patrem dirigit et in** *ipsam communionem Trinitatis includit.* **Si peccatum genuit dolorem, nunc dolor Dei in Christo cruci affixo plenam per Spiritum Sanctum significationem humanam habet. Hinc admirabile singulareque amoris mysterium : in Christo patitur Deus, ab homine, quem ipse creavit, repudiatus : « Non credunt in me ! » ; sed eodem tempore** *ex hoc ipso imo dolore* **— et oblique ex ipso imo peccato, quod est « non credidisse » —** *Spiritus doni, homini et mundo ab initio dati, novam profert mensuram.* **In intimo Crucis mysterio amor operatur, qui in participationem vitae, quae in Deo est, hominem restituit.**

Spiritus Sanctus, uti amor et donum, *descendit, quodammodo, in medium ipsum sacrificium,* **quod offertur in Cruce. Si biblicam traditionem repetimus, dicere possumus:** *Is hoc sacrificium consummat amoris igne,* **qui Filium cum Patre coniungit in communione Trinitatis, et quoniam sacrificium Crucis est actus Christi proprius, hic etiam in hoc sacrificio** *Spiritum Sanctum « accipit* **». Ita autem accipit ut postea ipse — et ipse solus cum Deo Patre —** *possit illum Apostolis, Ecclesiae, humano generi « dare* **». Is solus « mittit » eum a Patre.[156] Is solus Apostolis se sistit in Cenáculo congregatis, insufflât et dicit iis : « Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis »,[157] sicut Ioannes Baptista praenuntiaverat : « Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et**

[155] **Cfr.** ***Lv*** **9, 24;** ***1 Reg*** **18, 38;** ***2 Par*** **7, 1.**

[156] **Cfr.** ***Io*** **15, 26.**

[157] ***Io*** **20, 22 s.**

igni ».[158] Iis verbis, quae Iesus dixit Apostolis, Spiritus Sanctus *revelatur et simul fit praesens* ut amor, qui in profundo agit mysterii paschalis, ut fons virtutis salvificae Crucis, ut donum novae et aeternae vitae.

Haec de Spiritu Sancto veritas *exprimitur cotidie in Liturgia Romana,* cum sacerdos, ante communionem, significantia illa verba pronuntiat: « Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, *cooperante Spiritu Sancto,* per mortem tuam mundum vivificasti... ». Et in Prece Eucharistica tertia sacerdos, idem ad salvificum consilium se referens, a Deo petit ut « *ipse nos perficiat munus aeternum ».*

42. Diximus Spiritum Sanctum, in fastigio mysterii paschalis, esse certo ac definito modo revelatum et praesentem factum ratione nova. Christus ab inferis suscitatus dicit Apostolis: «Accipite Spiritum Sanctum». Ita Spiritus Sanctus *revelatur,* cum verba Christi ipsa promissa et nuntios confirment, quae sermone in Cenáculo habito continentur. Quo quidem Paraclitus etiam *novo modo* fit praesens. Is ab initio mysterii creationis et per totam historiam Veteris Pacti, a Deo cum homine icti, est operatus. Eius actio est plene comprobata missione Filii tamquam Messiae, qui venit in potentia Spiritus Sancti. Cum missio Iesu messianica culmen attingit, Spiritus Sanctus in mysterio paschali fit praesens *in tota sua indole subiecti divini,* utpote is qui continuaturus sit opus salvificum, in Crucis sacrificio innixum. Haud dubie hoc opus a Iesu hominibus concreditur: Apostolis, Ecclesiae; attamen in his hominibus et per eos Spiritus Sanctus transcendens auctor manet ad illud in spiritu hominis et in mundi historia perficiendum : is, invisibilis et simul ubique praesens Paraclitus! Spiritus, qui ((ubi vult, spirat ».[159]

Verba, quae Christus dixit, a morte ad vitam revocatus die illa « prima sabbatorum », *in peculiari lumine collocant*

[158] *Mt* 3, 11.
[159] Cfr. *Io* 3, 8.

praesentiam Paracliti Consolatoris, tamquam eius qui « arguit mundum de peccato et de iustitia et de iudicio ». Namque hoc solo respectu ratio affertur verborum, quae Iesus annectit « dono)) Spiritus Sancti Apostolis dato. Dicit enim : « Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis ».[160] Iesus potestatem Apostolis facit remittendi peccata ut eam suis successoribus demandent in Ecclesia. Haec tamen potestas, hominibus facta, praesumit et comprehendit Spiritus Sancti actionem salvificam. Cum fiat « lumen cordium »,[161] seu conscientiarum, Spiritus Sanctus « arguit de peccato », id est efficit ut homo *malum suum cognoscat,* et simul *eum ad bonum dirigit.* Vi multiplicium donorum eius, unde tamquam <(septiformis » invocatur, quodlibet hominis peccatum potest potentiae Dei salvificae subici. Revera — ut ait sanctus Bonaventura — « per septem dona Spiritus Sancti omnia mala destruuntur et omnia bona introducuntur ».[162]

Consolatore igitur movente, *ea humani cordis conversio perficitur,,* quae est remissionis peccatorum condicio necessaria. Sine vera conversione, quae interiorem postulat contritionem, et sine sincera et firma voluntate mutationem faciendi, peccata « retenta sunt », ut Iesus affirmat et cum eo traditio Veteris et Novi Foederis. Prima enim verba, quae Iesus locutus est initio sui ministerii, secundum *Marci Evangelium,* haec sunt : « Paenitemini et credite evangelio ».[163] Hanc hortationem confirmat illud « arguere de peccato », quod Spiritus Sanctus novo modo incipit vi Redemptionis sanguine Filii hominis peractae. Idcirco *Epistula ad Hebraeos* asserit hunc sanguinem « emundare conscientiam » :[164] qui igitur — ut ita loquamur — *viam Spiritui*

[160] *Io* 20, 22 s.

[161] Cfr. Sequentia *Veni, Sancte Spiritus.*

[162] S. BONAVENTURA, *De septem donis Spiritus Sancti,* Collatio II, 3: Ad Claras Aquas, V, 463.

[163] *Me* 1, 15.

"» Cfr. *Rei* 9, 14.

Sancto aperit **ad hominis intima, seu conscientiarum humanarum sacrarium.**

43. Concilium Vaticanum II, de vocatione hominis agens et praesertim de humanae personae dignitate, doctrinam catholicam de conscientia memoravit. Ipsa *conscientia* **modo peculiari est huius dignitatis condicio. Ea enim « est** *nucleus* **secretissimus atque** *sacrarium hominis,* **in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius ». Ea clare « ... auribus cordis sonat: fac hoc, illud evita». Haec facultas iubendi bonum et prohibendi malum, in hominem a Creatore immissa,** *est potissima proprietas* **cuiusque personae. Sed, eodem tempore, « in imo conscientiae legem homo detegit, quam ipse sibi non dat, sed cui obedire debet ».[165] Quare conscientia** *non est fons aptus ex sese* **et** *unicus* **ad statuendum quid bonum sit quidque malum; est, contra, in ea penitus insertum** *principium oboedientiae* **erga** *normam obiectivam,* **quae substruit et condicionibus adstringit eius consiliorum probitatem per iussa et prohibitiones, quae vitae humanae rationem regunt, ut patet ex pagina** *libri Genesis,* **de qua iam mentionem fecimus.[166] Prorsus hac significatione conscientia est « intimum sacrarium », in quo** *« vox Dei resonat* **». Ea est « vox Dei », vel cum homo agnoscit eam solam esse principium ordinis moralis, de quo humanitus dubitari non potest, etiam sine expresso Dei respectu: in hoc ipso vero respectu conscientia semper suum fundamentum suamque rationem habet, ex qua exsistat.**

Illud evangelicum « arguere de peccato », permovente Spiritu veritatis, nequit ad effectum in homine adduci nisi *per conscientiam.* **Si conscientia est recta, tunc proficit «** *ad enodandas secundum veritatem* **quaestiones morales, quae tum in singulorum, tum in societatis vita oriuntur » ; tunc « personae et coetus**

[165] **Cfr. Const. past.** ***Gaudium et spes*** **de Ecclesia in mundo huius temporis, 16.**

[164] **Cfr.** ***Gn 2,*** **9. 17.**

a caeco arbitrio recedunt et normis obiectivis moralitatis conformari satagunt ».[167]

Recta conscientia efficit, ante omnia, ut *bonum et malum suo nomine vocentur,* **uti legimus in eadem Constitutione pastorali : « Quaecumque ipsi vitae adversantur, ut cuiusvis generis homicidia, genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutuationes, tormenta corpori mentive inflicta ; conatus ipsos animos coercendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt, ut infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae incarcerationes, deportationes, servitus, prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; condiciones quoque laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestus instrumenta, non uti liberae et responsabiles personae tractantur ». Suis vero nominibus appellatis** *multiplicibus,, tam frequentibus et diffusis nostra aetate peccatis,* **Constitutio addit : « Haec omnia et alia huiusmodi probra quidem sunt, ac dum civilizationem humanam inficiunt, magis eos inquinant qui sic se gerunt, quam eos qui iniuriam patiuntur et Creatoris honori maxime contradicunt ».[168]**

Suis nominibus appellans peccata, quae maxime hominem dedecorant, et ostendens ea esse malum morale, quod quamlibet rationem progressus humani generis aversetur, Concilium haec omnia describit ut certum pugnae tempus, quae est « luctatio et quidem dramática inter bonum et malum, inter lucem et tenebras », quae propria est « totius vitae hominum, sive singularis, sive collectivae ».[169] Coetus *Synodi Episcoporum* **anno MCMLXXXIII congregatus, reconciliationem et paenitentiam tractans, pressius momentum personale et sociale peccati hominis definivit.[170]**

[167] CONC. OEC. VAT. II, **Const past.** ***Gaudium et spes*** **de Ecclesia in mundo huius temporis, 16.**

[168] ***Ibid.,*** **27.**

[169] **Cfr.** ***ibid.,*** **13.**

[170] **Cfr.** IOANNES PAULUS PP. II, **Adhort. Apost, post Synodum Episcoporum edita** ***Reconciliatio et paenitentia*** **(2 Decembris 1984), 16:** ***AAS*** **77 (1985), pp. 213-217.**

44. In Cenáculo igitur, pridie Passionis suae, et postea vesperi Paschatis, Iesus Christus ad Spiritum Sanctum provocavit, tamquam ad eum qui testatur *in historia generis humani persistere peccatum.* Peccatum tamen obnoxium est virtuti salvificae Redemptionis. Illud « arguere mundum de peccato » non ideo perficitur, quod peccatum suo nomine vocatur et tale agnoscitur, quale est in omnibus suis gradibus. In arguendo mundo de peccato, *Spiritus veritatis obviam fit vocibus conscientiarum humanarum.*

Hac via pervenitur *ad indicandas peccati radices,* quae sunt in animo hominis, uti eadem Constitutio pastoralis declarat: « Revera, inaequilibria quibus laborat mundus hodiernus cum inaequilibrio illo fundamentaliori connectuntur, quod in hominis corde radicatur. In ipso enim homine plura elementa sibi invicem oppugnant. Dum enim una ex parte, utpote creatura, multipliciter sese limitatum experitur, ex altera vero in desideriis suis illimitatum et ad superiorem vitam vocatum se sentit. Multis sollicitationibus attractus, iugiter inter eas seligere et quibusdam renuntiare cogitur. Immo, infirmus et peccator, non raro *illud quod non vult facit et illud quod facere vellet non facit* ».[171] Textus Concilii hic memoriam repetit notorum sancti Pauli verborum.[172]

Itaque illud « arguere de peccato », quod conscientiam humanam comitatur, quotiens de se alte recogitat, adducit ad eius radices in homine detegendas atque condiciones, quibus historiae cursu ipsa conscientia obstringitur. Ita reperimus eam peccati originalem veritatem, de qua iam dictum est. *Spiritus Sanctus « arguit de peccato* » quoad mysterium initii, significans hominem *creaturam* esse ideoque ontologice et ethice Creatori omnino subiectum, et item memorans hereditariam naturae humanae ad peccandum proclivitatem. Sed Spiritus Sanctus Paraclitus « arguit de peccato » *semper*

[171] Const. past. *Gaudium et spes,* 10.
[172] Cfr. *Rom* 7, 14-15. 19.

respectu Crucis Christi. Hoc respectu christiana religio respuit quamlibet « fatalem necessitatem » peccati. Agitur, iuxta Concilium, « ardua colluctatio contra potestates tenebrarum, quae inde ab origine mundi incepta, usque ad ultimum diem, dicente Domino, perseverabit ».[173] « *At ipse Dominus venit ut hominem liberaret et confortaret* ».[174] Homo igitur, nedum sinat se sua condicione peccati « irretiri », conscientiae suae voce nisus, « ut bono adhaereat iugiter certare debet, nec sine magnis laboribus, Dei *gratia adiuvante,* in se ipso unitatem obtinere valet ».[175] Concilium iuste putat peccatum *causam discidii,* unde vita personalis et socialis hominis premitur; sed simul constanter monet posse victoriam referri.

45. Spiritus veritatis, qui « arguit mundum de peccato », obviam fit ei conscientiae humanae labori, de quo textus Concilii tanta vi suasoria loquuntur. Hic *conscientiae labor* etiam vias aperit conversionum humanarum, quibus a peccato disceditur, ut veritas et amor in ipso corde hominis renoventur. Constat interdum magnum negotium esse in se agnoscere malum. Constat *conscientiam* non solum iubere aut prohibere, verum etiam *iudicare,* praeceptorum aut interdictorum ulteriorum luce collustratam. Ea est etiam *fons animi angorum:* homo intus dolet ob malum patratum. Nonne eiusmodi dolor quodammodo longe resonat tamquam imago verborum illorum « paenitet me fecisse hominem », quae anthropomorphico sermone sacer liber tribuit Deo? illius « reprehensionis », quae, inscripta in « corde » Trinitatis, ob aeternum amorem mutatur in dolorem Crucis, in Christi oboedientiam usque ad mortem? Cum Spiritus veritatis concedit conscientiae humanae ut *illum dolorem* participet, conscientiae aegritudo fit admodum acerba, sed etiam peculiari modo salvifica. Tunc per actum

[173] Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 37.

[174] *Ibid.,* 13.

[175] *Ibid.,* 37.

contritionis perfectae vera cordis conversio efficitur, quae est evangelica « metanoia ».

Labor humani cordis, labor conscientiae, quo haec «metanoia » fit, seu conversio, est veluti *repercussio* **eius processus, quo** *reprehensio mutatur in amorem salvificum,* **aptum ad patiendum. Arcanus dator huius roboris salvifici est Spiritus Sanctus : is qui ab Ecclesia vocatur « lumen cordium », penetrat et replet « intima cordium humanorum ».[176] Per hanc in Spiritu Sancto conversionem** *homo aperitur veniae,, remissioni peccatorum.* **Tota hac mirabili conversionis-remissionis virtute dynamica confirmatur verum esse, quod sanctus Augustinus scribit de hominis mysterio, haec Psalmi verba interpretans: «** *Abyssus abyssum invocat* **».[177] Circa hoc sane « profundum abyssi » hominis, conscientiae humanae, munus Filii et Spiritus Sancti perficitur.** *Spiritus Sanctus « venit* **» ob Christi « abitionem » in mysterio paschali : venit in omne** *certum definitumque factum conversionis-remissionis,* **virtute sacrificii Crucis: in hoc enim «sanguis Christi ... emundat conscientias ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ».[178] Implentur ita sine intermissione verba de Spiritu Sancto tamquam de « alio Paraclito », verba in Cenáculo Apostolis et oblique omnibus dicta : « Vos cognoscitis eum,** *quia apud vos manet* **et in vobis erit ».[179]**

46. Ratione habita rerum, quas hactenus diximus, melius alia Iesu verba conturbantia et terrifica intelleguntur, quae appellare possumus *verba de «non-venia* **». Haec nobis referuntur a Synopticis quoad peculiare peccatum, quod vocatur**

[176] **Cfr. Sequentia Pentecostes: «reple cordis intima».**

[177] **Cfr. S.** AUGUSTINUS, ***Enarr. in Ps. XLI,*** 13: ***CCL*** 38, 470: **«Quae ergo abyssus, quam invocat abyssus? Si profunditas est abyssus, putamus nonne cor hominis abyssus est? Quid enim est profundius hac abysso? Loqui homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone; sed cuius cogitatio penetratur, cuius cor inspicitur? ».**

[178] **Cfr. *Hei*> 9, 14.**

[179] ***Io* 14, 17.**

« blasphemia contra Spiritum Sanctum ». Ita in triplici evangelistarum narratione exponuntur:

Matthaeus: « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro ».[180]

Marcus: « Omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiae, quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed reus est aeterni delicti ».[181]

Lucas: « Omnis, qui dicet verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur ».[182]

Cur blasphemiae in Spiritum Sanctum nulla venia dari potest? Quomodo haec blasphemia est intellegenda? Sanctus Thomas Aquinas respondet agi de peccato « irremissibili secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum ».[183]

Iuxta hanc explicationem « blasphemia » non est proprie in eo posita ut Spiritus Sanctus verbis offendatur, sed ut *salus reiciatur, quam Deus offert homini per Spiritum Sanctum,* virtute sacrificii Crucis operantem. Si homo reicit illud « arguere de peccato », quod a Spiritu Sancto manat et est natura sua salvificum, reicit simul « adventum » Paracliti — illum « adventum », qui factus est in mysterio paschali, coniuncte_cu_m_ppJen-_tia rédemptrice sanguinis Christi: sanguinis, « qui emundat conscientiam ab operibus mortuis ».

[180] ***Mt*** 12, 31 **s.**

[181] ***Me*** 3, 28 **s.**

[182] ***Lc*** 12. 10.

[183] S. THOMAS AQUINAS, ***Summa Theologiae,*** II^A-II^AE, **q.** 14, **a.** 3; **cfr.** S. AUGUSTINUS, ***Epist.*** *185,* 11, 48-49: ***PL*** 33, 814 **s. ;** S. BONAVENTURA, ***Comment, in Evang. S. Lucae,*** **Cap.** XIV, 15-16: **Ad Claras Aquas,** VII, **p.** 314 **s.**

Novimus fructum huius purificationis esse remissionem peccatorum. Eam ob causam, qui Spiritum et sanguinem reicit, manet in « operibus mortuis », in peccato. Blasphemia autem contra Spiritum Sanctum est quidem *omnimoda repudiatio hanc remissionem accipiendi,* **cuius is est intimus distributor quaeque postulat veram conversionem, ab eo in conscientia effectam. Si Iesus affirmat blasphemiam in Spiritum Sanctum remitti non posse neque in hoc saeculo neque in futuro, ideo dicit, quia haec** « *non-remissio* » *coniungitur,* **tamquam causa sua, cum** « *non-paenitentia* »**, id est cum detrectatione plena se convertendi. Hoc significat aliquem non velle fontes assequi Redemptionis, qui tamen « semper » aperti manent in consilio salutis, in quo munus impletur Spiritus Sancti. Hic enim infinitam potentiam habet ex his fontibus hauriendi : « de meo accipiet », ita Iesus dixit. Hac ratione is complet in animis humanis opus Redemptionis, quam Christus peregit, eius fructus distribuendo. Blasphemia autem in Spiritum Sanctum est peccatum admissum ab homine, qui sibi falsum arrogat** « *ius* » *in malo perseverandi* **— in quolibet peccato — et Redemptionem respuit. Hinc homo perseverat clausus esse in peccato, impossibilem reddens, ad eum quod attinet, conversionem et, idcirco, etiam remissionem peccatorum, quam pro vita sua non essentialem aut non magni momenti esse ducit. Est haec condicio spiritualis perniciei, quoniam blasphemia in Spiritum Sanctum non sinit hominem e vinculis se expedire, quibus ipse se tenet vinctum, nec se aperire fontibus divinis purificationis conscientiarum et remissionis peccatorum.**

47. Actio Spiritus veritatis, quae tendit ad salvificum illud « arguere de peccato », invenit in homine, qui in eiusmodi condicionibus versatur, interiorem obstantiam, quendam impenetrabilem conscientiae statum, animi habitum quodammodo libera electione solidatum, quem Sacrae Litterae solent vocare « duritiam cordis ».[184] Aetate nostra eiusmodi mentis cordisque

[184] **Cfr.** ***Ps*** **81 [80], 13;** ***Ier*** **7, 24;** ***Me*** **3, 5.**

habitui fortasse *amissio sensus peccati* respondet, de qua fusius agitur in Adhortatione Apostolica *Reconciliatio et paenitentia.*[185] Iam Pius PP. XII affirmaverat « peccatum huius saeculi esse amissionem sensus peccati » ;[186] quae quidem amissio iunctim evenit cum « amissione sensus Dei ». In Adhortatione, supra memorata, legimus : « Revera, Deus est radix et finis ultimus hominis, et hic in se germen divinum portat. Quocirca id, quod Deus est, detegit et illuminat hominis mysterium. Vanum igitur est sperare consistere posse sensum peccati erga hominem et humanos "valores", si deest sensus iniuriae in Deum commissae, id est sensus verus peccati ».[187]

Quam ob rem Ecclesia Deum exorare non desistit ne deficiat *conscientiarum humanarum probitas,* ne sanus earum *sensus* respectu boni et mali minuatur. Haec probitas hicque sensus arctissime coniunguntur cum intima actione Spiritus veritatis. Hac luce collustratae peculiarem vim habent hortationes Apostoli : « *Spiritum nolite exstinguere » ; « nolite contristare Spiritum Sanctum* ».[188] Sed ante omnia Ecclesia non desistit exorare summo fervore *ne* in mundo illud peccatum *augeatur,* quod Evangelium vocat consequenter « blasphemiam in Spiritum Sanctum » ; immo ut de animis hominum *decedat* — et consequenter de ipsis ambitibus deque variis societatis formis —, dans locum conscientiarum apertioni, necessariae ad actionem Spiritus Sancti salvificam. Ecclesia exorat ut periculosum in Spiritum peccatum cedat piae promptitudini admittendi eius munus ut consolatoris, cum hic venit ut « arguât mundum de peccato, de iustitia et de iudicio ».

[185] Cfr. IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Apost, post Synodum Episcoporum edita *Reconciliatio et paenitentia* (2 Decembris 1984), 18: *AAS 77* (1985), pp. 224-228.

[186] Pius PP. XII, Radiophonicus nuntius ad Conventum Catecheticum totius Nationis Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis Bostoniae habitum die 26 Octobris 1946: *Discorsi e Radiomessaggi,* VIII (1946), p. 288.

[187] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Apost, post Synodum Episcoporum edita *Reconciliatio et paenitentia* (2 Decembris 1984), 18: *AAS 77* (1985), pp. 225 s.

[188] *1 Thess* 5, 19; *Eph* 4, 30.

48. Iesus in ultimo suo sermone hos *tres ambitus « arguendi »* **copulavit, tamquam partes missionis Paracliti : peccatum, iustitiam et iudicium. Eae spatium denotant illius** *mysterii pietatis,* **quod in historia hominis repugnat peccato, videlicet** *mysterio iniquitatis.*[189] **Hinc, ut ait sanctus Augustinus, est « amor sui usque ad contemptum Dei » ; illinc ((amor Dei usque ad contemptum sui ».**[190] **Ecclesia continuo precatur et ministerio suo fungitur** *ne* **historia conscientiarum et historia societatum in magna humana familia** *ad « potum » peccati descendant* **reieciendis divinis praeceptis « usque ad contemptum Dei », sed ut potius** *se lèvent ad amorem,* **in quo Spiritus veritatis se patefacit, qui vivificat.**

Qui sinunt se a Spiritu Sancto « argui de peccato », sinunt etiam se argui «de iustitia et de iudicio». Spiritus veritatis, qui homines adiuvat, humanas conscientias, ut *veritatem peccati* **cognoscant, efficit simul ut cognoscant** *veritatem iustitiae illius,* **quae est cum Iesu Christo historiam hominis ingressa. Ita, qui, dum « arguuntur de peccato », actione Paracliti convertuntur, quasi e regione « iudicii » educuntur : eius « iudicii », quo «princeps mundi huius iudicatus est».**[191] **Conversio, in profundo mysterii sui divini et humani, significat abruptionem cuiusvis vinculi, quo peccatum coniungit hominem universitati** *mysterii iniquitatis.* **Qui ergo se convertunt, a Spiritu Sancto educuntur e regione « iudicii » et** *in eam iustitiam inducuntur,* **quae est in Christo Iesu, et in eo quidem est, quia eam accipit a Patre,**[192] **tamquam repercussum sanctitatis trinitariae. Haec est iustitia Evangelii et Redemptionis, iustitia Sermonis in monte habiti atque Crucis, quae purificationem conscientiae per sanguinem Agni operatur.**

i

[189] **Cfr.** IOANNES PAULUS PP. II, **Adhort. Apost, post Synodum Episcoporum edita** ***Reconciliatio et paenitentia*** (2 **Decembris** 1984), 14-22: ***AAS*** 77 (1985), **pp.** 211-233.

[190] **Cfr. S.** AUGUSTINUS, ***De Civitate Dei,*** XIV, 28: ***CCL*** 48, 451.

[191] **Cfr.** ***Io*** 16, 11.

[192] **Cfr.** ***Io*** 16, 15.

Iustitia haec est, *quam Pater Filio reddit et omnibus,* **qui illi** *iuncti sunt in veritate et in amore.*

Hac iustitia Spiritus Sanctus, Patris et Filii Spiritus, qui arguit mundum de peccato, ostenditur et fit praesens in homine uti *Spiritus vitae aeternae.*

III

49. *Ad Spiritum Sanctum Ecclesia animum et cor convertit hoc vicesimo saeculo exeunte et in exspectatione tertii millennii,* **ex quo Iesus Christus venit in mundum, dum prospicimus magnum iubilaeum, quo hunc eventum Ecclesia celebrabit. Adventus hic consideratur, iuxta temporis humani ordinem, ut eventus pertinens ad historiam hominis super terram. Mensura temporis, quae vulgo adhibetur, indicat annos, saecula et milia annorum, quatenus ante Christum natum aut post eveniunt. Sed animadvertendum est etiam eiusmodi eventum nobis christianis significare, secundum Apostolum, «** *plenitudinem temporis* **»,[193] quia in eo historia hominis plene ipsius Dei « mensura » pervasa est, seu transcendenti praesentia eius quod appellatur** *Nunc* **aeternum : eius « qui est et qui erat et qui venturus est »; qui est « Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis ».[194] « Sic enim** *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* **ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam ».[195] « Ubi venit** *plenitudo temporis,* **misit Deus Filium suum factum ex muliere ... ut adoptionem filiorum reciperemus ».[196] Haec autem Filii-Verbi incarnatio facta est** *de Spiritu Sancto.*

Uterque evangelista, cui debemus narrationem ortus et infantiae Iesu Nazareni, hac in re in eundem modum eloquitur. *Secundum Lucam,* **Iesu ortu nuntiato, Maria quaerit : « Quo-**

[193] **Cfr.** ***Gal*** **4, 4.**
[194] ***Apc*** **1,** 8; 22, **13.**
[195] *Io* 3, 16.
[196] ***Gal*** **4, 4 s.**

modo fiet istud, quoniam virum non cognosco? », et hanc accipit responsionem : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque et, quod nascetur ex te, sanctum vocabitur, Filius Dei ».[197]

Matthaeus **directo narrat : « Iesu Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto ».**[198] **Ioseph, his turbatus rebus, hanc in sommo accipit explicationem : « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ».**[199]

Eam ob causam Ecclesia inde ab initio profitetur *mysterium incarnationis,* **hoc mysterium-cardinem fidei,** *se revocans ad Spiritum Sanctum. Symbolum Apostolicum,* **dicit: « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine ». Non aliter** *Symbolum Nicaenum-Constantinopolitanum* **testatur: ((Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est ».**

« De Spiritu Sancto » factus est homo, is quem Ecclesia eiusdem Symboli verbis profitetur esse Filium consubstantialem Patri : « *Deum de Deo,* **Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, generatum, non creatum ». Factus est homo, « incarnatus ex Maria Virgine ». En quae facta sunt, quando « venit plenitudo temporis ».**

50. *Magnum Iubilaeum,* **quod annum bis millesimum concludet ad quodque iam Ecclesia se componit, est quidem proxime** *indolis christologicae,* **cum de celebranda nativitate Iesu Christi tractetur; sed pariter** *indolis pneumatologicae,* **quandoquidem incarnationis mysterium factum est « operante**

[197] *Lc* 1, 34 s.
[198] *Mt* 1, 18.
[199] Mí 1, 20 s.

Spiritu Sancto ». Illud Spiritus Sanctus est operatus, qui — Patri et Filio consubstantialis — in absoluto mysterio Dei, unius et trini, est Persona-amor, donum increatum, quod fons est omnium largitionum provenientium a Deo in ordine creationis, principium directum et quadamtenus subiectum, quo Deus ipse se communicat in ordine gratiae. *Mysterium incarnationis est culmen huius largitionis,* **huius commercii,** *quo Deus se ipsum communicat.*

Conceptio enim et nativitas Iesu Christi maximum opus sunt a Spiritu Sancto patratum in historia creationis et salutis : suprema gratia — *gratia unionis,* **cuiusvis alterius gratiae origo, sicut sanctus Thomas explanat.**[200] **Magnum iubilaeum ad hoc opus pertinet et etiam — si illud penitus animo comprehendimus — ad eiusdem operis auctorem,** *ad Personam Spiritus Sancti.*

Re quidem vera « plenitudini temporis » respondet peculiaris plenitudo, qua Deus unus et trinus se ipsum per Spiritum Sanctum communicat. « De Spiritu Sancto » perficitur mysterium *unionis hypostaticae,* **id est unionis naturae divinae et naturae humanae, divinitatis et humanitatis in unica Persona Verbi-Filii. Maria, cum, nuntio accepto, «fiat» dicit: «Fiat mihi secundum verbum tuum»,**[201] **modo virginali concipi t** *hominem,* **Filium hominis,** *qui est Filius Dei.* **Per hoc « hominem fieri » Verbi-Filii, commercium, quo Deus se ipsum communicat, ad supremam plenitudinem pervenit in historia universae creaturae et salutis. Haec plenitudo singularem vim et significantem eloquentiam habet in textu Evangelii secundum Ioannem :« Verbum caro factum est».**[202] **Incarnatio Dei-Filii significat susceptionem in unitatem cum Deo non tantum humanae naturae, sed etiam, in ea,** *quodammodo omnium, quae « caro » sunt:* **totius generis humani, totius mundi visi-**

[200] **S.** THOMAS AQUINAS, ***Summa Theologiae,*** **III**ᵃ**, q. 2, aa. 10-12; q. 6, a. 6; q. 7, a. 13.**

[201] ***Lc* 1, 38.**

[202] ***Io* 1, 14.**

bilis et materialis. Incarnatio igitur etiam significationem cosmicam habet, cosmicam rationem. « Primogenitus omnis creaturae »,[203] se incarnans in humanitate individua Christi, aliquo modo copulatur cum iis omnibus, quae vere sunt hominis, qui et « caro » est,[204] — et per hanc cum omni « carne », cum universa creatura.

51. Omnia haec fiunt Spiritu Sancto operante, ideoque ad argumentum spectant futuri magni iubilaei, ad quod Ecclesia nequit *se praeparare* **alio modo, nisi in** *Spiritu Sancto.* **Quae « in plenitudine temporis » facta sunt de Spiritu Sancto, solum per hunc possunt emergere ex Ecclesiae memoria. Hoc quidem agente, ea potest fieri praesens novo tempore historiae hominis super terram: nempe anno bis millesimo post Christum natum.**

Spiritus Sanctus, qui virtute sua obumbravit corpori virginali *Mariae, initium faciens in ea maternitatis divinae,* **simul eius animum perfecte oboedientem reddidit illi commercio, quo Deus se ipsum communicabat, quodque omni intellegentia et omni facultate humana maius erat. « Beata, quae credidit » :[205] ita salutatur Maria a cognata sua Elisabeth, et ipsa «repleta Spiritu Sancto».[206] Verba salutationis facta** *ei, quae « credidit »*, **adumbrare videntur quandam longinquam (sed, re vera, tam propinquam) discrepantiam respectu eorum omnium, quos Christus « non credidisse » dixit.[207] Maria historiam salutis est ingressa oboedientia fidei. Et** *fides,* **pro intima sua essentia, est animi humani apertio coram dono:** *coram dono illo, quo Deus se ipsum communicat* **in Spiritu Sancto. Sanctus Paulus scribit: ((Dominus autem Spiritus est;**

[203] *Col* 1, 15.

[204] Cfr. ex. gr. *Gn* 9, 11; *Dt* 5, 26; *Iob* 34, 15; *Is* 40, 6; 52, 10; *Ps* 145 [144], 21; *Lc* 3, 6; *1 Pc* 1, 24.

[205] *Lc* 1, 45.

[206] Cfr. *Lc* 1, 41.

[207] Cfr. *Io* 16, 9.

ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas ».[208] Cum Deus, unus et trinus, se aperit homini in Spiritu Sancto, haec apertio ostendit simulque donat plenitudinem libertatis. Quae plenitudo excelsum in modum fide Mariae manifestata est, ipsa « oboedientia fidei » :[209] vere « Beata, quae credidit ».

52. In Incarnationis mysterio *opus Spiritus « vivificantis »* **culmen attingit. Dari non potest vita, quae est in Deo ratione plena, nisi ea reddatur vita** *Hominis,* **qualis est Christus in sua humanitate, a Verbo facta persona in unione hypostatica. Simul vero, per mysterium Incarnationis, novo modo aperitur** *fons* **huius** *vitae divinae in historia humani generis:* **Spiritus Sanctus. Verbum, Filius « primogenitus omnis creaturae », fit « primogenitus in multis fratribus »[210] et ita fit etiam caput corporis, quod est Ecclesia, in Cruce nata et die Pentecostes revelata — et in Ecclesia caput humani generis : hominum omnis nationis, gentis, regionis et cultus civilis, omnis linguae et continentis, ad salutem omnium vocatorum. « Verbum caro factum est, (Verbum illud, in quo)** *erat vita* **et vita erat lux hominum ...** *Quotquot* **receperunt eum,** *dedit eis potestatem filios Dei fieri* **».[211] Sed haec omnia facta sunt et continenter fiunt ((Spiritu Sancto operante ».**

((Filii Dei » namque, ut docet Apostolus, sunt « quicumque Spiritu Dei aguntur ».[212] Filiatio adoptionis divinae oritur in hominibus ex mysterio Incarnationis, igitur per Christum, aeternum Filium. Sed generatio vel potius regeneratio fit, *cum Deus Pater « mittit Spiritum Filii sui in corda nostra* **».[213] Tunc enim « accipimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: "Abba, Pater" ».[214] Illa itaque filiatio Dei, in animam**

[208] *2 Cor* 3, 17.
[209] Cfr. *Rom* 1, 5.
[210] *Rom 8,* 29.
[211] Cfr. *Io* 1, 14. 4. 12 s.
[212] Cfr. *Rom* 8, 14.
[213] Cfr. *Gal* 4, 6; *Rom* 5, 5; *2 Cor* 1, 22.
[214] *Rom 8,* 15.

humanam inserta per gratiam sanctificantem, est opus Spiritus Sancti. « Ipse Spiritus testimonium reddit una cum spiritu nostro quod sumus *filii Dei.* **Si autem filii, et heredes :** *heredes* **quidem** *Dei,, coheredes* **autem** *Christi* **».**[215] **Gratia sanctificans est in homine principium et fons vitae novae: vitae divinae, supernaturalis.**

Hanc novam vitam largiendo Deus certe et definite quasi respondet verbis psalmistae, in quibus aliquo modo vox omnium rerum creatarum resonat : « Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae ».[216] **Qui in mysterio creationis homini et mundo** *dat vitam* **pro multiplicibus eius formis visibilibus et in visibilibus, adhuc eam** *renovat* **mysterio Incarnationis. Ita creatura Incarnatione completur et ex eo tempore viribus Redemptionis permeatur, quae ad genus humanum et ad mundum totum extenduntur. Hoc sanctus Paulus affirmat, cuius visio cosmica-theologica reciñere videtur vocem veteris psalmi : creatura «** *revelationem filiorum Dei exspectat* **»,**[217] **seu eorum quos Deus « praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii eius ».**[218] **Hinc manat hominum « adoptio » supernaturalis, cuius origo est Spiritus Sanctus, amor et donum.** *Ut tale datur hominibus;* **et ex** *abundantia doni increati* **initium sumit in corde cuiusque hominis peculiare illud** *donum creatum,* **quo homines « efficiuntur divinae consortes naturae ».**[219] **Hac ratione vita humana, per participationem, vita divina pervaditur et ipsa quoque divinam, supernaturalem adipiscitur rationem. «** *Novitas vitae* **» oritur, in qua, utpote mysterii Incarnationis participes, « homines in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem ».**[220] **Arcta conexio ergo intercedit** *inter Spiritum,* **qui vivificat,** *et gratiam*

[215] *Rom* 8, 16 s.
[216] Cfr. *Ps* 104 [103], 30.
[217] *Rom* 8, 19.
[218] *Rom* 8, 29.
[219] Cfr. *2 Pe* 1, 4.
[220] Cfr. *Eph* 2, 18; Const. dogm. *Dei verbum* de Divina Revelatione, 2.

sanctificantem atque multiplicem illum *supernaturalem vigorem vitalem,* qui ex ea permanat in hominem: inter Spiritum increatum et spiritum humanum creatum.

53. Dici licet *haec omnia* pertinere ad *magnum iubilaeum,* supra memoratum. Oportet enim transgredí momentum historicum eventus, cuius prima species consideretur. Oportet in ipsa eventus christologica significatione rationem consequi pneumatologicam, amplectendo contuitu fidei *duo millennaria actionis Spiritus veritatis,* qui per saecula hausit ex thesauro Redemptionis Christi, novam vitam donans hominibus, efficiens in iis adoptionem in Filio unigenito, sanctificans eos ita ut possint voces iterare sancti Pauli : « Accepimus Spiritum, qui ex Deo est ».[221] Sed, in persequendo hoc iubilaei argumento, non licet consistere in spatio duorum milium annorum, ab ortu Christi exactorum. Oportet *retroire,* complecti totam actionem Spiritus Sancti etiam ante Christum natum, *ab initio,* in universo mundo et praecipue in dispensatione Veteris Testamenti. Haec enim actio ubique gentium, semper, immo omni in homine explicata est secundum aeternum consilium salutis, quo ea arcte coniungitur cum Incarnationis et Redemptionis mysterio, quodque vim habuit ad credentes in Christum venturum. Hoc peculiari modo testatur Epistula *ad Ephesios.*[222] Gratia igitur habet coniunctim in se indolem christologicam simulque pneumatologicam, quae praesertim manifestatur in iis qui expresse Christum sequuntur : « In quo ... signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est arrabon hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis ».[223]

Sed, semper respectu magni iubilaei, etiam latius prospicere debemus et « altum » petere, scientes « spiritum (ventum) spirare ubi vult », secundum imaginem, qua usus est Iesus

[221] Cfr. *1 Cor* 2, 12.
[222] Cfr. *Eph* 1, 3-14.
[223] *Eph* 1, 13 s.

in colloquio cum Nicodemo.[224] Concilium Vaticanum II, quod ante omnia mentes in Ecclesiae argumentum intendit, nos monet de actione Spiritus Sancti etiam « *extra » corpus visibile Ecclesiae.* Loquitur enim de « omnibus hominibus bonae voluntatis, in quorum corde gratia invisibili modo operatur. Cum enim pro omnibus mortuus sit Christus cumque vocatio hominis ultima revera una sit, scilicet divina, tenere debemus Spiritum Sanctum cunctis possibilitatem offerre ut, modo Deo cognito, paschali mysterio consocientur ».[225]

54. « Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, *in Spiritu et veritate* oportet adorare ».[226] Haec verba dixit Iesus in alio colloquio, cum muliere Samaritana habito. Magnum iubilaeum, quod hoc millennio exeunte et subsequenti ineunte celebrabitur, esse debet vehemens adhortatio, quae iis omnibus adhibeatur, qui « Deum adorant in spiritu et veritate ». Omnibus debet esse singularis occasio ad meditandum mysterium Dei, unius et trini, qui *in se* ipso est *omnino transcendens* respectu mundi, maxime mundi visibilis, cum sit Spiritus absolutus ; « Spiritus est Deus » ;[227] et pariter, mirum in modum, non solum est huic *mundo propinquus,* sed *praesens* in eo et aliquo modo *immanens,* eum penetrat et intus vivificat. Hoc ad hominem praesertim pertinet: Deus enim in intimis eius quod est ille, in cogitatione videlicet, conscientia, corde inest, veritas est psychologica et ontologica, quam considerans sanctus Augustinus dixit de eo: *«interior intimo meo».*[228] Verba haec nos adiuvant ad melius intellegenda ea quibus Iesus mulierem Samaritanam est allocutus: «Spiritus est Deus ». Solus Spiritus potest esse « *interior intimo meo* » tum

[224] Cfr. *Io* 3, 8.

[225] Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 22; cfr. Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 16.

[226] *Io* 4, 24.

[227] *Ibid.*

[228] Cfr. S. AUGUSTINUS, *Confess.,* III, 6, 11: *CCL* 27, 33.

in ipso «esse», tum in experientia spirituali; solus Spiritus potest esse tam immanens in homine et in mundo, tamen inviolabilis et immutabilis in sua absoluta « transcendentia » manens.

Sed modo novo et forma visibili praesentia divina in mundo et in homine apparuit in Iesu Christo. Vere in eo « apparuit gratia ».[229] Amor Dei Patris, qui est donum, gratia infinita, principium vitae, manifestus factus est in Christo et per eius humanitatem « pars » evasit universi, generis humani, historiae. Ea gratiae « apparitio » in hominis historia per Iesum Christum effecta est, operante Spiritu Sancto, qui est *principium omnis actionis salvificae Dei in mundo,* « Dei absconditi »,[230] qui ut amor et donum «replet orbem terrarum».[231] Universa Ecclesiae vita, qualis ostendetur in magno iubilaeo, significat occurrere Deo abscondito: occurrere Spiritui, qui vivificat.

55. Dolendum sane est quod, ut ex historia salutis patet, illud Dei appropinquare et adesse homini et mundo, mirabilis illa « benignitas » Spiritus, in *renisum et recusationem* nostrae humanitatis incidunt. Quam significantia sunt hac in re verba fatidica senis illius, Simeonis nomine, qui « venit in Spiritu in templum » Hierosolymitanum ut nuntiaret coram puero Bethleemitico recens nato : « Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in *signum cui contradicetur* ».[232]

Recusatio Dei, qui est Spiritus invisibilis, ex eo iam quadamtenus oritur, quod mundus prorsus differt ab eo, quod videlicet « visibilis » est et « materialis » respectu eius qui est « invisibilis » et « purus Spiritus » ; quod essentia sua et necessario est imperfectus respectu eius qui est perfectissimum « esse ». Sed recusatio fit conflictio, seditio in campo ethico, ob illud *pec-*

[229] Cfr. *Tit* 2, 11.
[230] Cfr. *Is* 45, 15.
[231] Cfr. *Sap* 1, 7.
[232] *Lc* 2, 27. 34.

catum, quod *cor humanum* occupat, in quo « caro ... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem».[233] De hoc peccato, ut iam diximus, Spiritus Sanctus debet « arguere mundum ».

Sanctus Paulus contentionem et luctationem peculiari cum vi describit, quibus cor humanum agitatur. « Dico autem — ita legimus in *Epistula ad Galatas —: Spiritu ambulate et concupiscentiam carnis ne perfeceritis ;* caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim invicem adversantur, ut non, quaecumque vultis, illa faciatis ».[234] Iam in homine, utpote *composito,* spirituali-corporeo, est quaedam contentio, quaedam agitur colluctatio inclinationum inter « spiritum » et « carnem ». Sed ea sana pertinet ad hereditatem peccati, quod consequitur et simul confirmat. Pertinet ad cotidianam experientiam. Scribit enim Apostolus : « *Manifesta autem sunt opera carnis,* quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria ... ebrietates, comissationes et his similia». Sunt haec peccata, quae « carnalia » dici possunt. Sed alia addit Apostolus : « Inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae ».[235] Haec omnia sunt « opera carnis ».

His vero operibus, quae sine dubio mala sunt, Paulus contraponit « fructum Spiritus », veluti « caritatem, gaudium, pacem, longanimitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, continentiam ».[236] Ex contexta oratione liquet Apostolum nec discriminare nec condemnare corpus, quod cum anima spirituali efficit naturam hominis eiusque subiectivam indolem personalem; sed contra tractare de *operibus* vel potius de stabilibus habitibus — virtutibus et vitiis — moraliter *bonis aut malis,* quae sunt *fructus oboedientiae* (in priore casu) aut *renisus* (in altero casu) *quoad actionem salvificam Spiritus*

[233] *Gal* 5, 17.
[234] *Gal* 5, 16 s.
[235] Cfr. *Gal* 5, 19-21.
[236] Cfr. *Gal* 5, 22 s.

Sancti. **Quare Apostolus scribit: « Si vivimus Spiritu, Spiritu et ambulemus » .[237] Et in aliis locis : « Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt; qui vero secundum Spiritum, quae sunt Spiritus »; « Sumus autem in Spiritu, si tamen Spiritus habitat in nobis ».[238] Contrapositum, quod sanctus Paulus statuit inter vitam « secundum spiritum » et vitam « secundum carnem », aliud gignit contrapositum, videlicet** *inter vitam et mortem.* **« Sapientia carnis mors, sapientia autem Spiritus vita et pax »; inde monitus: « Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu opera corporis mortificatis, vivetis ».[239]**

Si rem bene consideramus, haec est *hortatio ad vivendum secundum veritatem,* **id est secundum praecepta rectae conscientiae, et est pariter professio fidei Spiritus veritatis, ut eius qui vivificat. Corpus enim « mortuum est propter peccatum, spiritus vero vita propter iustitiam». «Ergo, ...** *debitores* **sumus,** *non carni,* **ut secundum carnem vivamus »[240] Sed** *Christo* **sumus debitores, qui mysterio paschali iustificationem nostram perfecit, obtinens nobis Spiritum Sanctum: « Empti enim sumus pretio ».[241]**

In textibus sancti Pauli superponitur — et miscetur — *ratio ontologica* **(caro et spiritus), ratio** *ethica* **(bonum et malum morale), ratio** *pneumatologia* **(actio Spiritus Sancti in ordine gratiae). Ex eius verbis (praesertim** *Epistularum ad Romanos et ad Galatas)* **intellegimus et persentimus vim illius contentionis et luctationis, quae fit in homine inter apertionem ad actionem Spiritus Sancti et renisum ac recusationem adversus eum, adversus eius donum salvificum. Ea quae contraponuntur, seu ((poli », sunt, ad hominem quod attinet, condicio angustis finibus circumscripta et propensa in peccatum voluntas, difficilli-**

[237] *Gal* 5, 25.
[238] Cfr. *Rom* 8, 5. 9.
[239] *Rom* 8, 6. 13.
[240] *Rom 8,* 10. 12.
[241] Cfr. *1 Cor* 6, 20.

mae res eius naturae psychologicae et ethicae; quoad Deum vero *mysterium doni,* **continens vitae divinae donatio in Spiritu Sancto. Quis vincet? Qui donum acceperit.**

56. Renisus sane, pro dolor, adversus Spiritum Sanctum, quem sanctus Paulus in lumine ponit circa *rationem interiorem et subiectivam,* **tamquam contentionem, luctationem, seditionem, quae in animo fit humano, variis historiae temporibus et, praecipue, nostris,** *rationem exteriorem* **habet, quandoquidem in doctrina et in humano civilique cultu continetur,** *ut forma philosophica, ut ideologia, ut propositum* **actionis et formationis morum humanorum. Is renisus maxime significatur** *materialismo,* **sive theorico — ut cogitandi forma; sive practico — ut modo vivendi et iudicandi facta, utque praeterea ei consentanea se gerendi ratione. Doctrina, quae potissimum excoluit et ad extremos exitus in agendo adduxit hanc cogitandi formam, hanc ideologiam, hanc praxim, est materialismus dialectica et historicus, qui etiam nunc habetur quasi nucleus vitalis marxismi.**

Ex principio et reapse materialismus *excludit* **omnino praesentiam et actionem Dei, qui est spiritus, in mundo et imprimis in homine, ob causam fundamentalem quod** *Deum esse non concedit,* **quippe quae doctrina sit natura sua et proposito athea. Est res animum conturbans, aetatis nostrae propria, de qua tractanda Concilium Vaticanum II quasdam significantes paginas scripsit: atheismus.[242] Etsi atheismus non univoce est accipiendum nec ad solam philosophiam materialisticam redigendus, quia dissimilia atheismi genera sunt et fortasse ambigue hoc verbum saepe adhibetur, certum tamen est** *verum et proprium materialismum,* **acceptum ut theoriam, quae interpretetur rerum naturam, et positum ut principium et cardinem actionis personalis et socialis,** *indolem atheam habere. Campus « valorum » et propositorum* **agendi, quem is**

[242] **Cfr. Const. past.** ***Gaudium et spes*** **de Ecclesia in mundo huius temporis, 19. 20. 21.**

describit, arcte conectitur cum interpretatione omnium rerum, quae sunt, tamquam « materiae ». Si interdum de « spiritu » loquitur et de « quaestionibus spiritus », verbi gratia in regione animi culturae ac disciplinae moralis, hoc ideo solummodo facit, quia quaedam facta considerat tamquam ex materia profecta (epiphaenomena), quae, iuxta hanc doctrinam, est sola et unica forma eius quod est. Inde sequitur ut, secundum eiusmodi interpretationem, religio possit tantummodo haberi « falsa species idealistica », oppugnanda modis et methodis aptioribus pro locis et condicionibus historicis ut de societate deque ipso hominis corde tollatur.

Affirmari igitur licet materialismum esse processum ordinatum et cohaerentem eius « renisus » et recusationis, quae sanctus Paulus his verbis indicavit: « Caro ... concupiscit adversus spiritum ». Haec autem confutatio mutua est, ut notat Apostolus in altera parte suae sententiae: « Spiritus concupiscit adversus carnem ». Qui vult secundum Spiritum vivere, admittens eius actionem salvificam, eique respondens, non potest non respuere propensiones et postulata, interna et externa, « carnis », etiam secundum eius significationem ideologiam et historicam « materialismi », religioni contrarii. In hac veluti scaena, tam propria nostrae aetatis, illustranda sunt « desideria spiritus », dum magnum iubilaeum apparatur, uti incitamenta, quae resonant nocte novi temporis adventus, in cuius extrema parte, sicut abhinc duo milia annorum, « videbit omnis caro salutare Dei ».[243] Haec est possibilitas et spes, quam Ecclesia demandât hominibus huius temporis. Ea novit concursum-cónflictum inter ((desideria spiritui contraria », *quae propria sunt tot aspectuum cultus atque humanitatis horum temporum,* **praesertim in aliquibus campis, et « desideria carni contraria », per adventum Dei, per eius Incarnationem, semper novam communicationem ipsius in Spiritu Sancto, posse multis in casibus asperum esse gravemque et in novas**

[243] *Lc* 3, 6; cfr. *Is* 40, 5.

calamitates humanas fortasse cedere. Attamen ea firmiter credit, ad Deum quod attineat, esse semper salvificam eius communicationem, ipsius adventum salvificum et, si oporteat, salvificum illud « arguere de peccato », Spiritu Sancto operante.

57. Contrapositum Paulinum « Spiritus » et « carnis » contraposi tum continet «vitae» et «mortis». Gravis res haec est, de qua sine ambagibus affirmare oportet materialismum, ut formam cogitandi, qualiscumque ille est, significare *mortis acceptionem* **tamquam supremum** *humanae exsistentiae finem.* **Quicquid materiale est, corruptibile est, et idcirco corpus humanum (quatenus est « animale ») est mortale. Si homo essentia sua est solum « caro », mors est ei finis et limes insuperabilis. Hinc intellegitur quomodo vita humana possit dici solum « exsistere ad monendum ».**

Addendum est in theatro civilis cultus huius temporis — praesertim humanitatis magis excultae, quod ad technicam disciplinam et ad scientiam pertinet — *signa et indicia mortis* **peculiari modo praesentia facta esse et frequentia. Satis est cogitare de nimio armorum apparatu deque periculo, ei insito, ne genus humanum vi atomica se ipsum exstinguat. Ceterum magis magisque omnibus innotuit gravis amplarum regionum terrae condicio, indigentia et fame laborantium, quae mortem afferunt. De rebus agitur non tantum oeconomicis, sed etiam, immo imprimis, ethicis. Sed illi veluti scaenae aetatis nostrae vel tenebrosiora impendent « signa mortis » : in consuetudinem vertit — quae periculum est ne in aliquibus locis quasi institutum fiat — ut vita adimatur hominibus, antequam nascantur, aut priusquam ad naturalem exitum mortis perveniant. Insuper etiam, quamquam tot fiunt pro pace conatus, nova bella exorta sunt et nunc geruntur, quae vita aut valetudine privant multa milia hominum. Et quomodo non memoremus insidias contra vitam, quas terroris inferendi usus struit, qui etiam in gradu internationali invaluit?**

Haec quidem est descriptio manca et imperfecta *tabulae mortis,* **quae** *nostra aetate* **pingitur, dum magis in dies appropinquamus ad finem alterius millennii christiani. Ex obscuris coloribus humanitatis materialismo infectae et potissimum ex iis** *« signis mortis* **», quae multiplicantur in re sociologica-historica, in qua illa viget, nonne nova invocatio, plus minus conscia, ascendit ad Spiritum vivificantem? Utcumque, etiam praeter amplitudinem exspectationum aut desperationum humanarum praeterque falsas species et errores e doctrinis materialismi tum theorici tum practici exorta, manet certitudo christiana Spiritum, ubi vult, spirare nosque « primitias Spiritus habere » et ideo posse doloribus affici temporis, quod transit, sed «intra nos gemere exspectantes... redemptionem corporis nostri »,[244] id est totius nostrae humanitatis, corporeae et spiritualis. Gemimus quidem, sed in exspectatione plena spei numquam deficientis, quoniam ad hanc humanitatem sane accessit Deus, qui Spiritus est. Deus Pater misit ((Filium suum in similitudine carnis peccati et, pro peccato, damnavit peccatum ».[245] In fastigio mysterii paschalis Dei Filius, factus homo et cruci affixus propter peccata mundi, post resurrectionem inter discipulos apparuit, insufflavit et dixit iis: «Accipite Spiritum Sanctum».** *Haec «insufflano» numquam desinit.* **Et ecce, ((Spiritus adiuvat infirmitatem nostram ».[246]**

58. Resurrectionis atque Pentecostes mysterium nuntiatur atque vivitur ab Ecclesia, quae sane testis est atque successor in tradendo Apostolorum testimonio de Iesu Christi Resurrectione. Est igitur illa testis perennis huius victoriae de morte, quae virtutem Spiritus Sancti ostendit atque causa fuit novi eius adventus seu novae eius praesentiae inter homines et in mundo. Etenim in Christi Resurrectione Spiritus Sanctus Pa-

[244] **Cfr.** ***Rom*** **8, 23.**

[245] ***Rom*** **8, 3.**

[246] ***Rom*** **8, 26.**

raclitus ut eum se patefecit, qui dat vitam: «qui suscitavit Iesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum suum in vobis ».[247] *In nomine Resurrectionis Christi Ecclesia nuntiat vitam,* **quae ultra limina mortis est manifestata quaeque est fortior morte. Simul Ecclesia** *eum* **annuntiat,** *qui hanc vitam dat:* **Spiritum** *vivificantem;* **eum nuntiat et cooperatur una cum illo ad vitam dandam. Nam «corpus quidem mortuum est propter peccatum..., spiritus vero vivit propter iustificationem »,**[248] **quam Christus morte ac Resurrectione sua est operatus. Atque ipsius Christi Resurrectionis nomine Ecclesia vitae servit ab ipso Deo mananti, Spiritui Sancto arcte coniuncta eidemque humiliter parens.**

Huius autem ipsius ministerii gratia *fit homo, nova semper ratione, « via Ecclesiae* **», quemadmodum in Encyclicis Litteris de Christo Redemptore iam declaravimus,**[249] **atque his de Spiritu Sancto iteramus. Spiritui iugata Ecclesia quam quae maxime novit** *quid in interiore homine sit,* **quid in homine sit intimum atque essentiale,** *cum sit spirituale atque incorruptibile.* **Tum Spiritus « radicem immortalitatis »**[250] **inserit, e qua oritur vita nova : ea videlicet, quam homo vivit in Deo quaeque ceu fructus salvificae ipsius communicationis in Spiritu Sancto solum hoc agente provehi atque solidari potest. Haec sane causa est, cur Apostolus Deo pro credentibus supplicet, quibus ait: « Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi... ut det vobis ...** *virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem »* -[251]

Afflante Spiritu Sancto, maturescit ac firmatur homo hic interior seu « spiritualis ». In hoc divino commercio spiritus humanus, qui « novit secreta cordium », coniungitur cum illo Spi-

[247] ***Rom 8, U.***

[248] ***Rom* 8, 10.**

[249] **Cfr. Litt. Enc. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 14: *AAS* 71 (1979), pp. 284 s.**

[250] **Cfr. *Sap* 15, 3.**

[251] **Cfr. *Eph* 3, 14-16.**

ritu, qui « scrutatur profunda Dei ».[252] *In hoc Spiritu,* **qui donum est aeternum,** *Deus unus et trinus homini* **seu spiritui humano** *se aperit.* **Abditus autem divini Spiritus afflatus efficit ut humanus spiritus in vicem se pandat ultro sese aperienti Deo, qui sic salvat atque sanctificat. Gratiae dono, quae a Spiritu manat, homo profecto «** *novam vitam* **» ingreditur, inducitur in veram condicionem supernaturalem ipsius vitae divinae fitque « Spiritus Sancti habitaculum », « templum Dei vivens ».**[253] **Per Spiritum Sanctum enim Pater et Filius veniunt ad eum atque in eo mansionem faciunt.**[254] **In communione gratiae cum Trinitate dilatatur «** *spatium* **» hominis «** *vitale* **», quod evehitur ad gradum supernaturalem vitae divinae.** *Homo vivit in Deo* **atque** *de Deo* **: vivit « secundum Spiritum » et « cogitat, quae Spiritus sunt».**

59. Intima autem hominis cum Deo in Spiritu necessitudo id efficit ut homo se etiam suamque humanitatem nova ratione animo comprehendat. Perficitur itaque omnino in homine imago illa atque similitudo Dei, propria hominis inde ab initio.[255] **Intima autem haec de homine veritas continenter ab illo detegi debet, Christi luce affulgente, qui est exemplar necessitudinis cum Deo, atque in eo invenienda est etiam ratio « communicationis plenae cum reliquis hominibus per sincerum donum sui », ut Concilium Vaticanum II docet idque ob ipsam divinam hanc similitudinem, quae « manifestat hominem in terris solam creaturam esse quam Deus propter seipsam voluerit », in eius di-**

[252] **Cfr.** ***1 Cor 2,*** 10 **s.**

[253] **Cfr.** ***Rom*** 8, 9; ***1 Cor*** 6, 19.

[254] **Cfr.** ***Io*** 14, 23; **S.** IRENAEUS, ***Adversus haereses,*** V, 6, 1: ***SC*** 153, **pp.** 72-80; **S.** HILARIUS, ***De Trinitate,*** VIII, 19. 21: ***PL*** 10, 250. 252; **S.** AMBROSIUS, ***De Spiritu Sancto,*** I, 6, 8: ***PL*** 16, 752**s.;** **S.** AUGUSTINUS, ***Enarr. in Ps. XLIX,*** 2: ***CCL*** 38, 575**s.;** **S.** CYRILLUS ALEXANDRINUS, ***In Ioannis Evangelium,*** **lib.** I; II: ***PO*** 73, 154-158; 246; **lib.** IX: ***PO*** 74, 262; **S.** ATHANASIUS, ***Oratio III contra Arianos,*** 24: ***PG}*** 26, 374**s.;** ***Epist. I ad Serapionem,*** 24: ***PG*** 26, 586**s.;** DIDYMUS ALEXANDRINUS, ***De Trinitate,*** II, 6-7: ***PG*** 39, 523-530; **S.** IOANNES CHRYSOSTOMUS, ***In epist, ad Romanos,*** **Homilia** XIII, 8: ***PG*** 60, 519; **S.** THOMAS AQUINAS, ***Summa Theologiae,*** I^, **q.** 43, **aa.** 1, 3-6.

[255] **Cfr.** ***Gn*** 1, 26**s.;** **S.** THOMAS AQUINAS, ***Summa Theologiae,*** I?, **q.** 93; **aa.** 4. 5. 8.

gnitate personae, sed etiam ad complementum atque communionem socialem cum ceteris destinatam.[256] Cognitio autem efficax atque plena huius veritatis circa « esse » effectio solummodo *Spiritus Sancti opera* contingunt. Homo quidem hanc veritatem a Iesu Christo discit et in rem deducit in vita sua per Spiritum, quem Christus ipse nobis contulit.

In hac via — in via interioris huius maturationis, quae secum fert plenam sensus humanitatis inventionem — Deus fit intimus homini in diesque magis totum, quod homo est, pervadit. *Deus, unus et trinus,* qui in se ipso « exsistit » tamquam « realitas » transcendens donationis trium divinarum Personarum, *se communicans cum homine in Spiritu Sancto tamquam donum,* totum, quod est homo, interius transformat, id est intra cor atque conscientiam. Hac ratione mundus, particeps divini muneris factus, fit magis magisque humanus, penitus humanus, ut Concilium docet,[257] maturescente per corda atque conscientias hominum ipso Regno, in quo tandem Deus erit «omnia in omnibus»:[258] ut donum et amor. Donum et amor: haec est aeterna virtus, qua Deus, unus trinusque, se homini ac mundo aperit in Spiritu Sancto.

Iamvero, tertio appetente a Christi nativitate millennio, sane hoc agitur ut frequentior hominum numerus « se iterum pleniusque inveniat per sincerum sui donum », ut memorata utamur Concilii sententia. Item, ut Spiritus Paracliti afflatu ille in mundo nostro efficiatur verae maturationis in humanitate processus, in vita sive singulorum sive communitatum, ad quem declarandum ipse Iesus, « quando Patrem orat ut "omnes unum sint... sicut et nos unum sumus" *(Io* 17, 21-22)... aliquam *similitudinem innuit* inter unionem personarum divinarum et unionem *filiorum Dei in veritate et caritate* ».[259] Sacrum

[256] Cfr. Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 24; cfr. etiam n. 25.

[257] Cfr. *ibid.* 38. 40.

[258] Cfr. *1 Cor* 15, 28.

[259] Cfr. Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 24.

Concilium eam veritatem de homine inculcat; eamque Ecclesia monitum singulariter gravem et decretorium iudicat ut apostolica munera sua tueatur. Si enim est homo via Ecclesiae, haec sane via per totum mysterium Christi transit, ut divini exemplaris hominis. In qua via Spiritus Sanctus, corroborans in unoquoque nostrum « interiorem hominem », efficit ut homo melius in dies « se ipsum inveniat per sincerum sui ipsius donum ». Vere autem dici potest : his pastoralis Constitutionis verbis *tota anthropologia christiana* **summatim exponitur: theoria illa et praxis, in Evangelio innixa, qua homo, intellegens seipsum esse Christi et in eo ad gradum filii Dei evehi, penitus etiam suam hominis dignitatem cognoscit ob id ipsum quod est subiectum accessus et praesentiae Dei, subiectum benignitatis divinae, qua exspectatio, immo ipsa supremae gloriae radix contineatur. Potest igitur vere illud iterari : « Gloria enim Dei vivens homo, vita autem hominis visio Dei » :[260] homo nempe vitam divinam agens, est gloria Dei; cuius vitae et gloriae Spiritus Sanctus est abditus dispensator. Qui, ut ait magnus Basilius, « simplex essentia, varius potentiis... sic dividitur ut ipse nihil patiatur... unicuique capacium cum adsit quasi soli, sufficientem omnibus gratiam et integram infundit ».[261]**

60. Cum autem afflante Paraclito homines detegunt divinam hanc rationem tum eius quod sunt, tum vitae suae, sive singulorum sive communitatum, tunc valent se variis determinismis, quos vocant, expedire, qui praecipue e fundamentis ((materialisticis » mentis, praxis eoque pertinentis methodi sunt deducti. Nostra autem aetate haec elementa tam in valuerunt ut in intima hominis penetrarent, in illud conscientiae sacrarium, quo Spiritus Sanctus sine intermissione lucem virtutemque immittit novae vitae secundum « libertatem filiorum

260 Cfr. S. IRENAEUS, *Adversus haereses,* IV, 20, 7; *SC* 100/2, p. 648.

261 S. BASILIUS, *De Spiritu Sancto,* IX, 22: *PO* 32, 110.

Dei ». Maturano hominis in hac vita adversis condicionibus et pressuris impeditur, quas structurae ac praevalentes machinationes diversis in socialis vitae provinciis in illum ingerunt. Quin affirmari potest saepenumero elementa socialia, nedum progressioni atque dilatationi humani spiritus faveant, abstrahere eum potius a primigenia naturae ac vitae illius veritate — cui Spiritus Sanctus invigilat — ut « principi huius mundi sub dant ».

Magnum ergo iubilaeum anni bis millesimi nuntium liberationis per Spiritum affert, qui solus potest sive singulos sive communitates in hoc adiuvare ut veteres novosque determinismos exuant, ducens eos « lege Spiritus, quae in Christo vivificat » ;[262] ita quidem detegunt in usumque adducunt verae libertatis humanae plenam mensuram. Nam, ut ait S. Paulus: « Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas ».[263] Talis libertatis atque igitur verae hominis dignitatis revelatio singulare momentum habet pro christianis atque Ecclesia tempore persecutionis — sive ad antiquas aetates te referas, sive ad praesentes: quia divinae veritatis testes tunc vivendo comprobant actionem Spiritus veritatis, in pectoribus atque conscientiis fidelium praesentis; qui interdum martyrio suo summam dignitatis humanae glorificationem ostendunt.

In suetis etiam humanae societatis adiunctis christiani, *qua germanae dignitatis humanae testes,* **utpote Spiritui Sancto oboedien tes, conferunt ad multiplicem « faciei terrae renovationem », cum fratribus allaborantes ut quidquid in progressione hodierni cultus civilis, animorum culturae, scientiae, artis technicae in ceterisque mentis actionisque humanae provinciis aut bonum aut nobile aut pulchrum haec intulit aetas,[264] efficiant et ad usum transferant. Id autem faciunt illi tamquam Christi discipuli, qui, ut in Concilio scriptum le-**

[262] **Cfr. *Rom* 8, 2.**

[263] ***2 Cor* 3, 17.**

[264] **Cfr.** CONC. OEC. VAT. II, **Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 53-59.**

gimus: « Sua Resurrectione Dominus constitutus, *per virtutem Spiritus Sui* **in cordibus hominum iam operatur, non solum venturi saeculi desiderium suscitans, sed eo ipso illa etiam generosa vota animans, purificans et roborans, quibus humana familia suam ipsius vitam humaniorem reddere et totam terram huic fini subicere satagit ».[265] Hac vero ratione ipsi magis magisque magnitudinem hominis confirmant, ad imaginem similitudinemque Dei conditi; quae magnitudo mysterio etiam Incarnationis Filii Dei illuminatur, qui, « in plenitudine temporum » Spiritus Sancti opera in hominum historiam ingressus, verum hominem se praebuit; eum, dicimus, primogenitum omnis creaturae, « ex quo omnia et nos in illum ».[266]**

61. **Propinquante autem alterius millennii fine, quod debet Verbi adventum « in plenitudine temporis » in omnium memoriam revocare ac quasi denuo reddere praesentem, ea est profecto Ecclesiae mens ut iterum in** *suae constitutionis simul divinae simul humanae ipsam essentiam* **penetret, item et illius** *missionis,* **quae efficit ut missionem messianicam Christi participet, iuxta doctrinam atque perenne Concilii Vaticani II propositum. Hanc autem viam sequentes, possumus in Cenaculum redire, ubi Christus Spiritum Sanctum ut Paraclitum atque Spiritum veritatis revelat deque sua per Crucem « abitione » loquitur, ut de necessaria adventus illius condicione: « Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos ».[267] Profecto iam vidimus nuntium hunc esse ad effectum adductum eodem Paschatis vespere ac deinde in Hierosolymitana Pentecostes celebratione; atque exinde compleri in historia humanae familiae per Ecclesiae ministerium.**

Illius nuntii habita ratione, id etiam plenum intellectum habet, *quod Iesus,* **in suprema illa Cena, ait** *de novo suo*

[265] CONC. OEC. *Y AT.* II, **Const. past.** ***Gaudium et spes*** **de Ecclesia in mundo huius temporis,** 38.

[266] ***/ Cor*** **8, 6.**

[257] ***Io*** **16, 7.**

« adventu ». **Est enim significans Iesum in eodem supremo sermone non modo profectionem suam denuntiasse, sed novum etiam « adventum ». Dicit enim : « Non relinquam vos orphanos,** *venio ad vos* **»z[268] In supremo vero discessionis momento, antequam caelos conscendit, sic ait apertius : « Ecce** *ego vobiscum sum* **omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».[269] Hic autem novus Christi « adventus », hic eius indesinens accessus ut cum Apostolis cumque Ecclesia sit, hoc eius ((ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi », de eius « abitione » nihil immutat. Succedit ei post conclusam Christi messianicam missionem in terra, atque completur** *intra Spiritus Sancti praenuntiatam. missionem,* **quae igitur quodammodo** *in interiore huius ipsius munere collocatur.* **Id autem** *Spiritus Sancti opera* **completur, efficientis ut Christus, qui abiit, iam nunc atque semper novo modo veniat. Novus autem hic Christi adventus Spiritus Sancti opera constansque praesentia eius et actio in vita spirituali ad exitum adducuntur in sacramentali « realitate » ; ubi Christus, qui iam visibili specie humanitatis suae abiit, venit ac tam intima ratione praesens in Ecclesia est et agit ut de illa suum Corpus faciat. Atque ut talis Ecclesia vivit, operatur, crescit «usque ad consummationem saeculi». Quae omnia Spiritu Sancto agente perficiuntur.**

62. Absolutissima autem sacramentalis manifestatio « abitionis » Christi per Crucis atque Resurrectionis mysterium est *Eucharistia.* **In qua sacramentaliter toties renovatur eius adventus et salvifica praesentia: in Sacrificio videlicet atque Communione. Efficitur autem id Spiritus Sancti virtute in interiore eius propria missione.[270] Ope Eucharistiae Spiritus**

[268] *Io* 14, 18.

[269] *Mt* 28, 20.

[270] Id exprimitur «Epiclesi» ante Consecrationem: «Haec ergo dona, quaesumus, Spiritus tui rore sanctifiea, ut nobis Corpus et Sanguis fiant Domini nostri Iesu Christi » *(Prex Eucharistica II).*

Sanctus « *corroborat interiorem hominem* **», ut in** *Epistula ad Ephesios* **legimus.[271] Per Eucharistiam tum singuli tum communitates Paracliti Consolatoris instinctu discunt divinum humanae vitae sensum, qui sit, detegere, sicut Concilium commemorat: sensum illum dicimus, quo Christus ... hominem ipsi homini plene manifestat, « aliquam ... similitudinem innuens inter unionem personarum divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate ».[272] Talis profecto unio exprimitur ad effectumque adducitur potissimum per Eucharistiam, qua homo, Christi participans sacrificium, quod illa celebratio praesens reddit, id etiam discit « plene se ipsum invenire... per sincerum sui donum»,[273] in Dei ceterorumque hominum communione, fratrum suorum.**

Hac sane de causa primaevi christiani, ab iis usque diebus, qui primi Spiritus Sancti adventum consecuti sunt, « erant perseverantes ... in fractione panis et orationibus », ita communitatem efficientes, Apostolorum doctrina congregat am.[274] Sic ipsi ((agnoscebant » Dominum suum, qui surrexisset caelosque iam conscendisset, iterum ad se venire *in eucharisticam* **videlicet** *communitatem Ecclesiae* **atque** *per eam.* **Spiritus Sancti ductu, Ecclesia ab initio per Eucharistiam sese et** *manifestavit* **et** *confirmavit.* **Atque sic semper per christianas aetates actum est ad haec usque tempora, ad hunc videlicet exitum alterius millennii christiani. Equidem, heu! agnoscere debemus millennium hoc quod fere abiit, aevum fuisse magnorum discidiorum inter christianos. Quare oportet omnes in Christum credentes, Apostolorum vestigia secuti, intentissimo studio cogitationes suas omnes aeque ac opera Spiritus Sancti voluntati conforment, qui est « Ecclesiae unitatis principium »,[275] ut in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati**

[271] **Cfr.** ***Eph*** **3, 16.**
[272] **Const. past.** ***Gaudium et spes*** **de Ecclesia in mundo huius temporis,** 24.
[273] ***IUd.***
[274] **Cfr.** ***Act*** 2, 42.
[275] CONO. OEC. VAT. II, **Decretum** ***Unitatis redintegratio*** **de oecumenismo,** 2.

sese fratres inveniant in celebratione eiusdem Eucharistiae, quae est « sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis » ![276]

63. Eucharistica Christi praesentia — sacramentale illud « vobiscum sum » — id nimirum efficit ut altius altiusque Ecclesia *sui mysterium intellegat,* **ut omnis Concilii Vaticani II doctrina de Ecclesia testatur; ait enim eam esse « signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totius generis humani unitatis w.[277]** *Ut sacramentum,* **Ecclesia e paschali « abitionis » Christi mysterio progreditur deque eius novo semper « adventu » vivit Spiritus Sancti opera, in interiore Paracliti Spiritus veritatis missione. In hoc ipso autem essentiale mysterium Ecclesiae consistit, ut Concilium profitetur.**

Quoniam Deus, eo quod omnia creavit, is est, in quo nos omnes « vivimus et movemur et sumus »,[278] *Redemptionis virtus* **perseverat atque crescit in historia hominis et mundi, duplici quasi quodam « rhythmo », cuius fons est in aeterno Patre. Hinc enim** *Filii missio* **fluit, qui venit in mundum, e Maria Virgine nascens de Spiritu Sancto; hinc etiam** *Spiritus Sancti missionis* **« rhythmus », qualem Christus certo ac definito modo re vela vit. Ob « abitionem » enim Filii, Spiritus venit olim venitque sine intermissione ceu Consolator atque Spiritus veritatis. Inque missionis eius ambitu, quasi in intima invisibilis Spiritus praesentia, Filius, qui in paschali mysterio « abierat », « venit » estque continenter praesens** *in mysterio Ecclesiae;* **nunc quidem in historia absconditur, nunc autem sese ostendit, semper tamen illius cursum gubernans. Quae omnia sacramentali modo Spiritu Sancto agente eveniunt, qui e divitiis Christi Redemptoris hauriens, sine intermissione dat**

[276] **S.** AUGUSTINUS, ***In Ioannis Evangelium Tractatus,*** XXVI, 13: ***CCL*** 36, 266; **cfr.** CONO. OEC. VAT. II, **Const.** ***Sacrosanctum Concilium*** **de Sacra Liturgia,** 47.

[277] **Const. dogm.** ***Lumen gentium*** **de Ecclesia,** 1.

[278] ***Act*** 17, 28.

vitam. Ecclesia vero hoc magis magisque cognoscens mysterium, etiam se ipsam altius intuetur, maxime ut sacramentum.

Id autem ob eam etiam causam fit quod *Ecclesia,* **ipsius Domini sui iussu,** *munus suum salvificum* **pro homine per** *varia Sacramenta implet.* **Munus autem sacramentale, quotiescumque peragitur, secum fert mysterium « abitionis » Christi per Crucem et Resurrectionem, cuius gratia Spiritus Sanctus venit. Venit scilicet et operatur: « vivificat ». Etenim Sacramenta gratiam significant eamque conferunt:** *significant vitam dantque vitam.* **Ecclesia quidem est** *aspectabilis* **sacrorum signorum** *ministra,* **cum Spiritus Sanctus sit** *invisibilis distributor* **vitae, quam Sacramenta significant. Una vero cum Spiritu simul Iesus Christus adest et agit.**

64. Nimirum, si est Ecclesia sacramentum intimae unionis cum Deo, est sane hoc in Christo Iesu, in quo eadem haec unio impletur ut « *realitas » salvifica.* **Hoc est autem in Christo Iesu per Spiritum Sanctum. Plenitudo enim salvifici eventus, qui est ipse Christus in historia rerum, diffunditur sacramentali modo in virtute Spiritus Paracliti. Hac sane ratione Spiritus Sanctus est « alius Paraclitus » seu novus Consolator, quia eo operante Laetus Nuntius in conscientiis cordibusque hominum corporatur ac per historiam diffunditur. In his omnibus Spiritus Sanctus dat vitam.**

Cum autem loquentes de Ecclesia vocabulo « sacramenti » atimur, id memorare oportet in Concilii textu diverso quidem sensu *Ecclesiae sacramentalitatem* **accipi ab ea quae est, presso sensu, Sacramentorum propria. Legimus enim esse Ecclesiam ... «** *veluti sacramentum* **seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis ». Quod autem hic refert quodque e sensu analogico emergit, quo Concilium in utroque casu utitur, est Ecclesiae necessitudo cum Spiritus Sancti virtute intercedens, qui solus vivificat: Ecclesia est signum atque instrumentum praesentiae atque actionis Spiritus vivificantis.**

Addit autem Concilium Vaticanum II Ecclesiam esse « *sacramentum ... totius generis humani unitatis* **». Ea nempe, ut liquet, agitur unitas, quam genus humanum, multimodis in se diversum, habet** *a Deo* **et** *in Deo;* **eadem in mysterio creationis innititur novamque rationem accipit in mysterio Redemptionis respectu salutis universalis. Quandoquidem Deus « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire »,[279] idcirco Redemptio omnes homines complectitur, quin immo quodammodo omnem creaturam. In eadem universali ratione Redemptionis Spiritus Sanctus** *agit* **vi Christi ((abitionis ». Quare Ecclesia, nixa sui mysterii causa in trinitaria salutis oeconomia, iure merito se ipsam intellegit « sacramentum unitatis totius generis humani ». Scit enim illa se esse talem Spiritus Sancti virtute, cuius est simul signum et instrumentum in Dei consilio salvifico efficiendo.**

Hac profecto ratione *in rem deducitur « benignitas »* **infiniti trinitarii Amoris : accessus Dei, qui est invisibilis Spiritus, ad mundum aspectabilem. Deus unus et trinus ab initio rerum se communicat cum homine in Spiritu Sancto per « imaginem ac similitudinem suam ». Eodem vero agente Spiritu,** *homo* **ac per ipsum** *mundus* **creatus, a Christo redemptus,** *supremae suae sorti propinquant in Deo.* **Huius duorum veluti « polorum » accessus, creationis videlicet ac Redemptionis, Dei et hominis, Ecclesia est « sacramentum, hoc est signum et instrumentum ». Id agit ut restituat et corroboret hanc unitatem, ad ipsas generis humani radices pertingens, ad rationem nempe respiciens necessitudinis hominis cum Deo, ut Creatore, Domino, Redemptore suo. Agitur de veritate, quam, ducente Concilio, possumus meditari, explicare, applicare in tota amplitudine eius significationis hoc temporis spatio, quo ab altero millennio ad tertium christianum millennium sumus transitura Gratum nobis est usque vividiorem huius facti nos habere**

[279] *1 Tim* 2, 4.

conscientiam : in actione Ecclesiae intra historiam salutis, in generis humani inserta historiam, inesse et operari Spiritum Sanctum : eum, qui vitae divinae afflatu terrestre hominis iter pervadit atque id efficit ut tota creatura — tota historia — metam ultimam contingens, in infinitum Dei pelagus confluat.

65. *Divinae afflatus vitae,* id est Spiritus Sanctus, simplicissima atque communissima ratione exprimitur et *animadvertitur in oratione.* Pulchrum sane ac salutare cogitare, ubicumque toto mundo oretur, ibi Spiritum esse divinum, vitalem pietatis afflatum; item pulchrum atque salutare cognoscere orationem, quantum in toto orbe terrarum sit diffusa, tempore praeterito, praesenti, futuro, tantum pandi praesentiam et actionem Spiritus Sancti, qui oranti homini in eius cor precem <(spirat », diversissimis in vitae tum adiunctis tum condicionibus, secundis nunc, nunc adversis, vitae spiritualis ac religiosae. Fit saepe ut, agente Spiritu, ascendat prex ab imo hominis corde, neglectis vetitis persecutionibusque ac vel pronuntiationibus publicis de natura non religiosa, immo athea societatis civilis. Oratio manet semper omnium illorum vox, qui, specie saltem, nullam habent vocem — in qua voce semper *« clamor ille validus* » resonat, quem *Epistula ad Hebraeos* Christo attribuit.[280] Est etiam oratio illius *revelatio abyssi,* quae est cor hominis: hoc profundum, quod *a Deo procedit, Deus unus potest replere,* scilicet *per Spiritum Sanctum!* Legimus enim apud Lucam : « Si ergo vos, cum sitis mali, nostis dona bona dare filiis vestris, quanto magis Pater de caelo dabit Spiritum Sanctum petentibus se! ».[281]

Spiritus Sanctus id donum est, quod *una cum oratione* infertur in cor hominis. In ea ille se ostendit imprimis et super omnia tamquam donum, quod « adiuvat infirmitatem nostram ». Est haec sublimis sancti Pauli sententia, de qua

[280] Cfr. *Heb* 5, 7.
[281] *Lc* 11, 13.

in *Epistula ad Romanos* **scribit : « Nam quid oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus ».[282] Quare Spiritus Sanctus non modo efficit ut precemur, sed in orando nos « intrinsecus » ducit, inopiam nostram supplens atque infirmitati nostrae in orando medens : ipse est preci nostrae praesens, cui divinam quandam rationem confert.[283] Itaque, «** *qui ... scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus,* **quia secundum Deum postulat pro sanctis ».[284] Oratio ergo, per Spiritum Sanctum facta, fit declaratio in dies maturior novi hominis, qui per illam vitam divinam participat.**

Aetas nostra, sane difficilis, singulari modo oratione eget. **Si autem labente historia — heri sicut hodie — multi viri mulieresque magnum orationis momentum testati sunt, se Dei laudi atque vitae orationis, maxime in monasteriis, magno cum Ecclesiae lucro, dicantes, iam per hos annos illorum etiam numerus in dies augescit, qui in motibus atque coetibus usque frequentioribus orationi principatum deferunt, e qua vitae spiritualis renovationem poscunt. Hoc autem indicium est significans et plenum consolationis, siquidem e tali experimento verum auxilium enatum est ad pietatem fidelium refovendam, qui sane adiuti sunt ut rectius Spiritum Sanctum considerarent uti eum qui in cordibus vehemens desiderium sanctitatis adipiscendae excitat.**

In multis hominibus singulis multisque communitatibus conscientia haec adolescit: *homini* **videlicet, tametsi maximos ille cultus civilis in arte technica reque scientifica progressus fecerit, praeclara reapse acquisiverit, metas tenuerit,** *impendere tenorem, sicut universo hominum familiae.* **Quo imminente periculo, quin etiam cognita iam gravissima spirituali hominis corruptela, singuli atque integrae communitates, quasi interiore fidei sensu ductae, vim quaerunt, qua hominem allevent, ab eo**

[282] ***Rom*** 8, 26.

[283] **Cfr.** ORIGENES, ***De oratione,*** 2: ***PO*** 11, 419-423.

[284] ***Rom*** 8, 27.

ipso tueantur necnon ab erroribus et conturbationibus servent, qui saepenumero eius progressus ipsos corrumpunt. Itaque orationem detegunt, qua « Spiritus » ille ostenditur, qui « adiuvat infirmitatem nostram ». Hac ratione tempora, quibus vivimus, faciunt ut ad Spiritum Sanctum iam multi, qui ad orationem redeunt, se applicent. Confidimus autem fore ut ii omnes ex his Encyclicis Litteris nutrimentum capiant ad vitam interiorem suam alendam atque corroborare valeant, Spiritu Sancto afflante, officium, quo se devinxerunt, orandi, Ecclesiae eiusque Magisterio obsecuti.

66. In mediis autem difficultatibus, destitutionibus, exspectationibus, desertionibus, reditibus horum temporum, *Ecclesia ortus sui mysterio fidelis* **perseverat. Si enim historice constat Ecclesiam esse e Cenáculo egressam die Pentecostes, nihilo tamen setius quodammodo affirmari licet eam numquam locum illum reliquisse. Quare, si pietatis oculo consideres, Pentecostes eventus non solum ad praeteritum tempus pertinet: Ecclesia enim semper est in Cenáculo, quod in animo gestat. Perseverat illa** *in oratione,* **sicut** *Apostoli cum Maria,,* **Christi Matre, cum iisque qui Hierosolymis germen primum communitatis christianae efficiebant, atque orantes adventum Spiritus Sancti praestolabantur.**

Ecclesia perseverat in oratione una cum Maria. Haec orantis Ecclesiae cum Christi Matre necessitudo iam ab initio pars est mysterii Ecclesiae : eam praesentem videmus in hoc mysterio, sicut in Filii est praesens. Quam rem Concilium ostendit, cum ait : « *Beata* **autem** *Virgo* **..... Spiritu Sancto obumbrata ... Filium ... peperit, quem Deus posuit primogenitum in multis fratribus (cfr.** *Rom* 8, **29), fidelibus nempe, ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur »; ipsa praeterea « suis singularibus gratiis et muneribus cum Ecclesia intime coniungitur ... Est Ecclesiae typus ».[285] « Iamvero Ecclesia eius arcanam**

Const. dogm. *Lumen gentium* de Ecclesia, 63.

sanctitatem contemplans et caritatem imitans ... *et ipsa fit matern;* **atque «imitans Domini sui Matrem, virtute Spiritus Sancti, virginaliter servat integram fidem, solidam spem, sinceram caritatem » : eadem, id est Ecclesia, « est praeterea virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure custodit »,**[286]

Itaque plane intellegitur quam sit altus sensus causae, ob quam Ecclesia, Virgini Matri iuncta, sine intermissione tamquam Sponsa divinum Sponsum affatur, sicut Apocalypsis verba testantur, allata a Concilio : « Nam Spiritus et Sponsa dicunt : Veni Î » ,[287] **Ecclesiae oratio in hac perenni invocatione consistit, in qua « Spiritus postulat pro nobis » : ac quodammodo ipse** *cum* **Ecclesia et** *in* **Ecclesia hanc precem profert. Spiritus enim idcirco tribuitur Ecclesiae, ut potentia ipsius universa Dei populi communitas, quamvis late diffusa et varia, perstet in spe: in qua «salvi facti sumus».**[288] **Est autem haec** *spes eschatologica,* **spes ultimae perfectionis in Deo, spes Regni aeterni, quod in participatione trinitariae vitae perficitur. Spiritus Sanctus, qui ut Paraclitus Apostolis est datus, est** *custos et animator spei huius in corde Ecclesiae.*

Adventante autem tertio post Christum natum millennio, dum « Spiritus ac Sponsa dicunt Domino Iesu: Veni! », haec eorum oratio, ut semper, vim habet eschatologicam atque eo respicit ut plenam significationem magni etiam Iubilaei celebrationi addat. Talis autem oratio ad futuros eventus salvificos dirigitur, ad quos Spiritus Sanctus corda actione sua aperit per totam hominis historiam super terram. Eodem autem tempore *haec oratio certum historiae momentum respicit,* **quo in lumine ponitur nova « temporis plenitudo », quae anno bis millesimo signatur. Ad quod iubilaeum Ecclesia cupit se parare,** *in Spiritu Sancto,* **ut ab eodem Spiritu Sancto parata est Virgo Nazarethana, in qua Verbum caro factum est.**

[286] **Const. dogm.** ***Lumen gentium*** **de Ecclesia, 64.**

[287] ***Ibid., 4;*** **cfr.** ***Apc*** **22, 17.**

[288] **Cfr.** ***Rom*** **8, 24.**

67. Iam volumus haec nostra cogitata in Ecclesiae et hominis corde concludere. Sane Ecclesiae via per cor hominis transit, quia in hoc recondito *loco fit salutaris occursus cum Spiritu Sancto,* **scilicet cum Deo abscondito, atque eo ipso loco Spiritus Sanctus fit « fons aquae salientis in vitam aeternam ».**[289] **Huc advenit ille ut Spiritus veritatis et Paraclitus, iuxta Christi promissum. Hinc ut** *consolator, intercessor, advocatus* **agit — maxime cum homo vel humana familia — iudicium damnationis eius « accusatoris » subit, de quo ait** *Apocalypsis :* **« Accusat fratres nostros ante conspectum Dei nostri die ac nocte ».**[290] **Spiritus Sanctus non cessat in hominis corde** *spei custos* **esse: spei videlicet omnium humanarum creaturarum, earum maxime, quae « Spiritus primitias habent » et « redemptionem corporis exspectant ».**[291]

Spiritus Sanctus, qui est arcano divinae communionis vinculo cum hominis Redemptore sociatus, id efficit ut ipsius opus sine ulla intermissione perficiatur: de Christo accipit ad omnesque transfert, mundi historiam per cor hominis continenter ingrediens. Ubi — quemadmodum *Sequentia* **liturgica in sollemnitate Pentecostes enuntiat — fit verus «** *pater pauperum, dator munerum, lumen cordium* **» ; fit «** *dulcis hospes animae* **», atque talem Ecclesia usquequaque salutat in penetralium uniuscuiusque hominis limine. Ipse affert « requiem ac temperiem » in laboribus, in operibus, quae hominum lacerti mentesque subeunt; affert « requiem » et « temperiem » in aestu diei, in sollicitudinibus, in certaminibus et periculis omnium aetatum; affert denique «solacium», cum cor hominis maeret ac desperatione tentatur.**

Hac sane de causa in eadem *Sequentia* **exclamatur : « Sine tuo numine** *nihil est in homine,* **nihil est innoxium ». Etenim solus Spiritus Sanctus « arguit de peccato », de malo videlicet,**

289 **Cfr.** ***Jo*** **4, 14; Const. dogm.** ***Lumen gentium*** **de Ecclesia, 4.**

290 **Cfr.** ***Apc*** **12, 10.**

291 **Cfr.** ***Rom*** **8, 23.**

ut rectum in homine inque toto quod est humanum, instauret atque ita « renovet faciem terrae ». Quocirca ille purificatio-ne]» operatur ab eo quod « turpat » hominem et « quod est sordidum » ; vulnera vel gravissima sanat humanae condicionis, interiorem mutat animorum ariditatem, eos in fertiles gratiae atque sanctitatis agros convertens. Quod est « rigidum, nectit»; quod « f rigidum, fovet»; « devium, regit» in via salutis.[292]

Sic orans, Ecclesia fidem suam iugiter profitetur : *esse nempe in hoc creato mundo Spiritum, qui donum est increatum;* est autem hic Patris et Filii Spiritus: idemque est, sicut Pater et Filius, increatus, immensus, aeternus, omnipotens, Deus, Dominus.[293] Hic Dei Spiritus « replet orbem terrarum »; omniaque creata fontem identitatis suae inveniunt in illo, etiam transcendentem sui manifestationem reperiunt; ad eum *se conferunt, eum praestolantur, eum alloquuntur* toto illo quod sunt; ad eum, ut ad Paraclitum atque Spiritum veritatis et amoris, *respicit homo,* utpote qui e *veritate et amore vivat* atque sine veritatis et amoris fonte *vivere nequeat.* Ad illum recurrit Ecclesia, quae est cor humanitatis, ut ab eo pro omnibus munera imploret omnibusque illa *caritatis* dona dispenset, quae per illum « diffusa est in cordibus nostris ».[294] Ad illum convertitur Ecclesia per anfractus terrestris itineris hominis in terra: atque petit, petit sine ulla intermissione *actuum humanorum probitatem,* ut opus ipsius; petit *gaudium* et *consolationem,* quae unus ille, verus Consolator, tribuere potest in intima cordium humanorum se ingerens;[295] petit *gratiam virtutum,* quae caelestem gloriam merentur; petit aeternam *salutem,* per plenam divinae vitae

[292] Cfr. Sequentia *Veni, Sancte Spiritus.*

[293] Cfr. Symbolum *Quicumque: DS* 75.

[294] Cfr. *Rom* 5, 5.

[295] Oportet hic memoretur magni ponderis Adhortatio Apostolica *Gaudete in Domino* a Summo Pontifice Paulo VI, rec. mem., die 9 mensis Maii Anno Iubilaeo 1975 foras data: adhuc vim enim habet hortatus, in ea factus, ut a Spiritu Sancto imploremus « hoc gaudii donum » ac praeterea ut perfrui valeamus « laetitia proprie spirituali, quae est fructus Spiritus Sancti»: *AAS* 67 (1975), pp. 289. 302.

communicationem, ad quam Pater ab aeterno homines « praedestinavit », creatos amore ad imaginem et simitudinem Sanctissimae Trinitatis.

Ecclesia nimirum, ex corde suo, quod omnia humana corda complectitur, a Spiritu Sancto felicitatem petit, quae in uno Deo plene efficitur : gaudium, videlicet, « *quod nemo tollet » ;*[296] **gaudium, quod est** *fructus amoris* **atque idcirco Dei, qui « caritas est » ; petit « iustitiam, pacem et gaudium in Spiritu Sancto », in quibus, secundum sanctum Paulum, « regnum Dei » consistit.**[297]

Etiam *pace est fructus amoris:* **interior illa pax, quam homo lassus in intimo illo quod ipse est, quaerit, quam humanitas poscit, humana familia, populi, nationes, continentes expetunt trepida cum spe fore ut in prospectu transitus ab altero ad tertium millennium christianum adipiscantur. Quandoquidem** *via pacis, ad summam, per amorem ducitur* **eoque spectat ut civilis cultus amoris instauretur, idcirco Ecclesia aciem oculorum suorum in eum figit, qui est Patris et Filii amor; atque, tametsi pericula augescant, non desinit confidere,** *invocare pacem hominis eique in hoc mundo servire.* **Eius fiducia in eo collocatur, qui cum sit Spiritus-amor, est etiam** *Spiritus pacis,,* **neque cessat in hoc hominum mundo, in ambitu conscientiarum cordiumque praesens adesse ut « orbem terrarum » dilectione et pace « repleat ».**

Quo coram, in harum considerationum exitu, genua flectimus, id orantes, ut, tamquam Patris et Filii Spiritus, ille nobis omnibus *benedictionem gratiamque suam* **concedat, quae nobis placet, Sanctissimae Trinitatis nomine, in Ecclesiae filios omnemque humanam familiam transfundere.**

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Maii, in sollemnitate Pentecostes, anno MCMLXXXVI, Pontificatus nostri octavo.

IOANNES PAULUS PP. II

[296] Cfr. *Io* 16, 22.
[297] Cfr. *Rom* 14, 17; *Gal* 5, 22.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

FLUMINIS ALBI

Praelatura Acrensis et Puruensis evehitur ad gradum dioecesis nomine Fluminis Albi.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Praelaturae Acrensis et Puruensis incrementum iam nunc pro comperta re habeatur, Ipsi eam censemus dignam omnino esse, quae iusto aliquo honore decoretur. Ceteroqui non sine causa Conferentia Episcopalis Brasiliensis Nobis preces adhibuit, ut eiusmodi Communitatem ecclesialem maiore dioecesis dignitate donemus, eidem rei assentiente venerabili Fratre Carolo Fumo, Archiepiscopo titulo Abaritano et in Brasilia Nuntio Apostolico. Quare, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium de negotiis Congregationis pro Episcopis curam agentium, quod ratum habemus, consensu autem eorum suppleto, quorum aut interest aut interesse censeri potest, potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute memoratam Praelaturam evehimus ad gradum dioecesis *Fluminis Albi* posthac appellandae, et finibus definitae iisdem, quibus ad hunc usque diem Praelatura continebatur; eadem olim eius sede servata pro Episcopo dioecesano, necnon templo quondam praelaticio ad ecclesiarum cathedralium ordinem evecto congruisque etiam iuribus ornato. Cumque autem nunc constituta dioecesis uti suffraganea archidioecesi Mariaënsi subesse debeat, ipsum idcirco pro tempore Fluminis Albi Episcopum iuri subicimus, quod ad Metropolitam Archiepiscopum Manaënsem pertinet: factis novae Ecclesiae Episcopo iuribus officiisque impositis cuiusque pastoris dioecesani propriis. Simul hortamur ut quam primum etiam Collegium Consultorum ibi instituatur, quod pastori Fluminis Albi praesenti sit adiumento. Is ipse praesul tum Curiae emolumentis fideliumque stipibus ali ac sustineri debet, tum cunctis bonis temporalibus, quibus praelatus olim Acrensis et Puruensis f rue-

batur eiusdem rei causa. In iis deinde, quae spectant tum Seminarii dioecesani aedificationem tum sacrorum alumnorum institutionem aut formationem, recte praescripta iuris communis retineantur, ratione habita etiam normarum a Congregatione pro Institutione Catholica statutarum. Opportune vero consulatur ut selecti sacrorum alumni philosophicis aut theologicis disciplinis instruendi, necnon sacerdotes quibus fuerint studia altiora complenda, ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense mittantur in Urbe situm. Nova Fluminis Albi dioecesi constituta, clerus saecularis, antehac ibi Praelaturae iam adscriptus, novae quam modo diximus dioecesi addictus dehinc censeatur, cuius dioecesanus quidem Episcopus ipse erit venerabilis Frater Moacyr Grechi, qui scilicet Episcopus Praelatus hucusque fuit. Praeterea, quod sacri canones statuerunt de dioecesis regimine, de bonorum ecclesiasticorum gestione, de Administratore dioecesano Sede vacante eligendo deque aliis id genus curandis, id in iis omnibus ibi quoque adamussim servetur. Ad effectum ea denique, quae hisce Litteris decrevimus, adducantur a memorato venerabili Fratre Carolo Furno, qui mandatum a Nobis accipit una cum facultate id delegandi ad alium ecclesiasticum virum in dignitate constitutum, officio tamen alterutrique imposito curandi ut actae exsecutionis litterarum verum exemplum ad Congregationem pro Episcopis cito perveniat. Has Apostolicas Litteras, sicut nunc, ita et in posterum ratas omnino esse volumus, contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £ß Plumbi
In Secret. Status tab., n. J7S.667.

II

IAMMUENSIS-SRINAGARENSIS

Apostolicae Praefecturae lammuensi et Kashmirensi iam iuridicialis forma dioecesis imponitur, ac nomen inditur lammuensis-Srinagarensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui Sanctissimi Numinis consilio universae Ecclesiae gubernandae praesumus ipsi Nos Petri beatissimi successores, in hac profecto re curaque mentem Nostram defigimus studiumque omne consumimus ut videlicet divina Iesu Christi religio ac fides, quam Apostoli per universum terrarum orbem praedicarunt, Patres dein illustrarunt, maiores Nostri Pontifices Romani perquam diligenter sunt tuiti, fines suos usque proferat inter gentes ac laetissimae messis ritu et more fructus vel amplissimos reddat. Quam ob rem, cum Praefectura Apostolica Iammuensis et Kashmirensis in India haud parva sibi incrementa nuperius suscepisset maioraque etiam posthac suscipere posse videretur si iam dioecesis sui iuris formam legitime a Nobis accepisset, simul opportune fieri existimavimus si re ipsa illud perficeremus, hanc pariter ob causam ut sacerdotibus et religiosis ibidem salutariter velut in Domini vinea laborantibus tum merita tribueretur operum laudatio tum animus eorum ad novos iam vehementius incitaretur labores. Quae cum ita sint, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositis sententiam rite rogatis atque eidem huic proposito libenter adsensis, Apostolica Nostra auctoritate Praefecturam Apostolicam Iammuensem et Kashmirensem in dioecesis redigimus figuram, commutato scilicet superiore ipsius nomine in ecclesiam *Iammuensem-Srinagarensem*, iisdem tamen dicionis manentibus finibus factisque simul universis ei iuribus ac privilegiis quae sacrorum canonum virtute ad dioeceses pertinent. Quam praeterea dioecesim novam metropolitanae Ecclesiae Delhiensi subicimus suffraganeam eademque opera constituentes ut Congregationi pro Gentium Evangelizatione sit obnoxia. Episcopalem sedem in templo principi civitatis vulgo «Jammu» appellatae collocamus cum iuribus oneribusque propriis. Concedimus item ut canonicorum loco dioecesani

ad tempus consultores deligantur qui Episcopo suo consilio et auxilio adsint. Cetera autem singula, administratio dioecesis, iura et officia cleri ac populi et similia, iuris canonici temperabuntur normis. Ultimum mandamus ut has litteras Nostras Venerabilis Frater Augustinus Cacciavillan, Archiepiscopus titulo Amiterninus atque Apostolicus in India Pro-Nuntius, ad rem efficaciter adducat per semet ipsum aut alium quem ipse delegaverit, additis nempe necessariis facultatibus. Eius denique erit actae rei documenta exarare atque sinceris exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito curare perferenda. Quod superest, hanc Nostram constitutionem tam nunc quam in posterum tempus validam esse foreque volumus, ut quae sunt legitime decreta ab omnibus quorum interfuerit adserventur atque suam igitur plenam consequantur vim.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

9B AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

***Loco* 83 Plumbi**

In Secret. Status tab., n. ÏÏ8.65J,.

III

YEIENSIS

In Sudania nova dioecesis conditur nomine Yeiensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In Dominico agro cui excolendo, divino consilio, praesumus, nihil tam tantumque requirit laborem ac assiduam curam, quam, iacto bono semine, viridantibus consulere satis. Idcirco quo opimior fieret seges in Sudaniae Reipublicae evangelizatione, visum est Nobis novam dioe-

cesim esse ibidem erigendam: multiplicatis enim sacris pastoribus fieri non potest quin laboris quoque fructus multiplicentur. De consilio igitur Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositorum, quorum interest audito favorabili voto, ex apostolica Nostra potestate quae sequuntur statuimus ac decernimus. Districti civiles vernáculo nomine vocati ((Yei » et « Mundri » dioecesis Rumbekensis in meridiem vergentes atque in « Eastern Equatoria Province)) siti, a memorata sede disiuncti, novam dioecesim, *Yeiensem* vocatam conficient, quae Archidioecesis Iubaènsis suffraganea erit, ad iuris normam. Novae porro Ecclesiae sedem Episcopus in urbe « Yei » collocabit ibique cathedram suam ponet in templo videlicet Christo Regi dicato, cui cathedralis dignitatem concedimus. Mandamus insuper ut pro canonicis consultores dioecesani deligantur atque adhibeantur iuxta iuris leges. Ad sacrorum candidatorum institutionem quod pertinet serventur mandata iuris communis, prae oculis habitis normis Decreti Concilii Vaticani II « Optatam totius » atque legibus a Congregatione pro Institutione catholica statutis. Ad ea tandem perficienda quae per has Nostras Litteras decrevimus, Venerabilem Fratrem Aloisium Robles Díaz, Archiepiscopum titulo Stephaniacensem atque in Sudania Re publica Apostolicum Pro-Nuntium legamus, vel quem ipse elegerit, modo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Re autem ad finem ducta, acta conficiantur, quorum sincerum exemplar ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 175.2U.

IV

VITERBIENSIS

Dioeceses Viterbiensis, Aquipendiensis, Balneoregiensis, Faliscodunensis, Tuscanensis, et Abbatia S. Martini ad Montem Ciminum, in unam dumtaxat dioecesim rediguntur, « Viterbiensis » cognominandam.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui non sine divino consilio in hac beatissimi Petri cathedra, quasi ad navis gubernacula sedemus, hac una profecto in omnibus cura, sollicitudine, studio ducimur : quo meliore modo videlicet fidelium necessitatibus pro videamus. Verba enim Christi adoranda ad lacum Tiberiadis beatissimo Petro facta: « Pasce agnos meos ... pasce oves meas» *(Io* 21, 15-17), et Nobis quodammodo cum Pontificatu facta sunt. Quae sane causa est, cur id quod Christi gregi prodesse viderimus, hoc fidenti animo agere studeamus. Cum ergo Venerabilis Frater Aloisius Boccadoro, Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis, Abbas S. Martini ad Montem Ciminum, item Episcopus Aquipendiensis et Faliscodunensis, atque Administrator Apostolicus, Sede vacante, Balneoregiensis, consentientibus presbyteris et laicis catholicis, habito favorabili voto Consilii Presbyteralis et universi quinque dioecesium presbyterii, ab hac Apostolica Sede petierit ut dioeceses et Abbatiam, quibus multis iam annis praefuisset, in unam dioecesim iuridice redigeremus, satis enim eas coeptis, institutis, moribus, mente coaluisse, Nos rationibus pastoralibus huius petitionis diligentissime perpensis, profectumque Ecclesiarum illarum probantes, rati tempus advenisse unionis illius peragendae haec decernimus, ante nempe audita Conferentia episcopali Italica, atque consilio petito a Venerabili Fratre Nostro S. R. E. Cardinali Congregationis pro Episcopis Praefecto, atque iuxta normas ab Apostolica Sede statutas de recognoscendis circumscriptionibus dioecesium in Italia. Dioeceses Viterbiensem, Aquipendiensem, Balneoregiensem, Faliscodunensem, Tuscanensem, atque Abbatiam S. Martini ad Montem Ciminum, dioecesi Viterbiensi perpetuo unimus, unione, ut dicunt, exstinctiva; quae proinde adquiret atque comprehendet in suo territorio uniuscuiusque harum Ecclesiarum territorium. Sic ampliata dioecesis *Yiterbiensis* vocabitur. Ceterarum vero suppressarum

circumscriptoimm nomina in Annuarium Pontificium regerentur, mentione facta de eorumdem unione cum dioecesi Viterbiensi. Novam dioecesim sub protectione ponimus beatissimae Virginis Mariae a populis appellatae « S. Maria della Quercia », in templo eiusdem nominis summa religione veneratae, quod Pontificio Seminario Regionali Viterbiensi adiacet ; Patroni secundarii, ut dicuntur, dioecesis erunt : S. Rosa Viterbiensis, S. Lucia Filippini, S. Bonaventura a Balneoregio. Sedes dioecesis Urbs Viterbium erit. Episcopus, cognomine « Viterbiensis » vocabitur. Sacerdotes et clerici omnes exstinctarum dioecesium atque Abbatiae S. Martini censeantur dioecesi Viterbiensi incardinari. Cathedrale templum, Viterbiense erit; ceterarum vero suppressarum Ecclesiarum cathedralia templa, iam concathedralium titulo decorabuntur, ne praeclara illorum memoria pereat. Similiter unica erunt Curia episcopalis, Coetus Consultorum, Canonicorum collegium, Seminarium, Consilium Pastorale, Consilium Presbyterale, Tribunal Ecclesiaticum, et institutum vel officium quodcumque Codice I. C. praescriptum. Cum territorio civitatum et paroeciarum dioecesium et Abbatiae, quas recensuimus, adnectantur dioecesi Viterbiensi etiam oratoria, domus et coemeteria paroecialia, piae fundationes, et alia quaecumque bona ecclesiastica simulque, si quae sint, iura quaelibet ad easdem paroecias vel ecclesias suppressarum Ecclesiarum spectantia. Episcopum autem sic ordinatae dioecesis Viterbiensis Venerabilem Fratrem Aloisium Boccadoro nominamus et renuntiamus, qui adhuc prudentia, studio, sollicitudine praestitit; cui profecto mandatum damus has Litteras ad exitum deducendi, cum necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur. Contrariis nihil obstantibus. Quae autem per has Litteras iussimus in perpetuum valeant.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

83 AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Laurus Governatori, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Secret. Status tab., ***n.*** *178.666.*

V

THAMARASSERRENSIS

Quibusdam locis ab Eparchia Tellicherriensi seiunctis nova conditur Eparchia nomine Thamarasserrensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Constat non modo Eparchiam Tellicherriensem late patere sed eius etiam fidelium numerum miro incremento nunc auctum iam esse necnon vel magis magisque augeri, quibus omnibus apte prospiciatur oportet. Audiendae igitur omnino videntur preces, quas Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, instante venerabili Episcopo Tellicherriensi eidemque rei favente venerabili Fratre Augustino Cacciavillan, Archiepiscopo titulo Amiternino atque Apostolico in India Pro-Nuntio, Nobis ipsa hodie ad hoc adhibuit, ut, certis quibusdam a memorata Eparchia plagis separatis, iisdem ibi nova constituatur Eparchia. Quapropter Ipsi, qui de universa Ecclesia assiduam pastoris curam agimus, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute ab Eparchia Tellicherriensi, quam diximus, regiones Calicutensem ac Malappuramensem distrahimus novamque ex iisdem Eparchiam condimus nomine *Thamarasserrensem*, ab urbe videlicet « Thamarasserry » nominandam, ubi et Sedes eparchialis et Ecclesia Cathedralis erit. Eadem autem Eparchia nunc constituta ipsi metropolitanae Ernakulamensi Ecclesiae suffraganea erit. Quod reliquum est, hac ipsa die aliarumque tamen Litterarum Nostrarum vi Episcopus etiam eligetur, qui primus novae praesit Eparchiae eamque regat rite. Quibus ita hic statutis, Apostolicas has Litteras nunc et in posterum tempus ratas esse volumus, quibuslibet rebus contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodetricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

D. SIMON Card. LOURDUSAMY
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost.*

Loco £ß Plumbi

In Secret. Status tab., n. 117.835.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Annae ab Angelis Monteagudo Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Exoptatus quidem alter hic pastoralis Nostrae peregrinationis Peruvianae dies maiore quodam illuxit caeli terraeque splendore, cum ortus de sacrato hoc solo alius isque novus sanctitatis christianae decor immensa Caelitum Beatarum esset agmina ingressurus, unde merito honoraretur Peruvianus omnis populus, Ordo ipse Dominicianus laetaretur nimirum et universalis per orbem Ecclesia Dei valde profecto in vitae religiosae precatoriae contemplativae debita aestimatione confirmaretur. Non minore tamen oportet gloriae sanctae titulo iam haec urbs Arequipensis exsultet quam, nationis huius secundam magnitudine, Nos acti peregrinatoris pii studio libentes invisimus quamque pridem cuiusdam filiae sanctimonia tum Ecclesiae Catholicae tum Dominicianae familiae non suo dumtaxat tempore collustravit, verum hac etiam recentiore aetate exhilaravit et cohonestavit factis exemplisque sanctitatis quae in hodiernum Beatificationis ipsius ritum gaudentibus cunctis evaserunt. Quippe de Serva Dei loquimur Anna ab Angelis Monteagudo, Moniali professa Ordinis Sancti Dominici, quae hic Arequipae progenita hic pariter viam vocationis suae alacriter adgressa atque opera multiplicia virtutum persécuta iam non modo iuxta Sanctam Rosam Limensem conspicua fulget inter beatas Americarum mulieres Dominicianas sed primum obtinet locum inter Moniales ipsas Dominicianas contemplativae ibidem deditas vitae. Parentibus ea probis nata est die vicesimo sexto Iulii mensis anno millesimo sexcentésimo secundo, videlicet Sebastiano Monteagudo ac Francisca Ponce de León. Vixdum tertium aetatis agens annum religiosi instituti rationem praegustavit apud Sanctae Catharinae coenobium, architectura ipsa arteque propria illustre, veluti puella inibi rite educanda quae vicissim primis ab initiis permovebatur eiusdem praeclarae domus disciplina atque austeritate. Divino decem post annis instinctu nuptias firmiter a parentibus solito more constitutas detrectavit; quin immo domo tandem eundem in salutis suae portum confugit nec a resistentibus vehementer familiaribus suis de constanti abduci potuit pro-

posito complectenda penitusque illam complendi iam liquido cognitam Dei ipsius voluntatem. Novicia sic demum effecta additum nomini suo titulum accepit <(ab Angelis » atque curriculum primae institutionis prompto plane animo intravit summa sanctitatis fastigia principio iam adfectans sibique ante oculos Christum collocans supremam vitae suae normam, cui religiosa subsequenti anno vota nuncupans totam sese in perpetuum tradidit. Cum nullum deinceps munus domesticum humile quamvis et absconditum recusaret, destinata suo tempore est ad sacelli rerumque sacrarum cotidianam curationem, quo in opere pietas eius eucharistica confestim eminuit necnon perdiligens Sanctorum veneratio. Transiit autem inde ad noviciarum magistrae officium atque post quadraginta tres nata annos, persuadente loci episcopo, in Antistitam domus a monialibus adiecta amplum prae se repperit bonorum operum campum praestantiumque virtutum quibus Deo adspirante luculenter excelluit. At non intra claustrorum tantum moenia caritatem christianam dispensabat sui oblita et sedulo operabatur et morum integritate sancta coruscabat, verum foris quoque Populum Dei huius amatissimae civitatis Arequipensis, quantum quidem umbratilis patiebatur vitae forma, erudiebat nunc consiliis prudentibus ac fovebat nunc illustribus omnino supernae fidei exemplis doctrinisque solidae veritatis. Porro perinde atque universis in animabus Deo omnipotenti acceptissimis contingere adsolet, nec huic quidem Annae ab Angelis reliquam per vitam defuerunt simul criminationes et insectationes extrinsecus immotum ob eius disciplinae ac reformationis continuatae studium, simul aegritudines intrinsecus omne genus ipsaque demum insanabilis caecitas : quas tamen res adversissimas singulas pro magnitudine suae cum Domino Crucifixo amicitiae atque internae firmitatis paulatim supervasit tamquam aurum in fornace comprobata. Exemplar ita Sancti Fundatoris Dominici de Guzmán quam plenissime in sese perficere implereque contendit singulari prorsus cultu extremae paupertatis demississimae oboeditionis angelicae usquequaque castitatis. Quos praeterea mores sanctos oratio perennis rerumque meditatio supernarum nutrivit, dum per septuaginta prope annos religiosae vitae ad aeternum sese convivium comparans animum intimum sacrificiis cotidianis purificat, immo et cruciatus corporis toleranter omnino perfert decem continuos annos ac puram se hostiam Deo exhibet pro terrenis hominum necessitatibus necnon ipsis animabus remunerationem sempiternam etiam praestolantibus. Mane tandem decimo mensis Ianuarii die anno millesimo sexcentésimo octogesimo sexto longinquum suum monasticae con-

versationis emensa est cursum, annos nata octoginta quattuor atque virtutum sertis exemplorumque insigniter redimita. Perhonorificum eam totius huius urbis Arequipensis consecutum est funus cultusque pientissimus ad hosce usque dies haud imminutus erga ipsam perstitit. Tantus immo obtigit statim ei honor inter fideles atque Ecclesiae ministros ut ipso obitus illius anno loci Ordinarius processum institui iusserit informativum, cuius tamen acta cum Romam deinde perferrentur alto videnter mari interea interiisse. Nihilo autem minus, quando sanctimoniae fama circa eam perpetuo viguerat saeculorum decursu atque exeunte superiore saeculo unum denique processus eiusdem exemplum emerserat, novus constitutus est anno millesimo nongentesimo altero processus de famae continuatione deindeque causa ipsa apud Sacram Rituum Congregationem die decimo tertio mensis Iunii anno millesimo nongentesimo decimo septimo est introducta apostolicaeque inquisitiones sex post annis absolutae. Die vero octavo Februarii anno millesimo nongentesimo sexagesimo sexto accidit de virtutibus eius Congregatio quae dicebatur Antepraeparatoria quam secundum novum Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum ordinem secuti sunt varii Consultorum congressus donec tandem Decessor Noster immortalis memoriae Paulus Sextus decretum edi voluit edicique simul die vicesimo tertio mensis Maii Anno Sancto septuagesimo quinto constare videlicet de virtutibus theologalibus necnon cardinalibus earumque adnexis quas Serva Dei Anna ab Angelis Monteagudo heroum in modum exercuisset. Nos proinde ipsi die quinto mensis Februarii anno octogesimo primo in audientia Venerabili Fratri Nostro S. R. E. Cardinali Praefecto Congregationis pro Causis Sanctorum concessa sententiam iam captam in coetu plenario Patrum Cardinalium de miraculo ad ipsam hanc Beatificationem iure postulato riteque comprobato Nos vicissim prompti habuimus ratam confirmavimusque. Agitur scilicet de rapida perfecta ad mortemque usque duratura sanatione Dominae Mariae Verae de Jarrin, matris familias eadem hac in Arequipa urbe natae, quae laboraverat gravissimo adeno-carcinomate non solum uteri corpus plane afficiente verum et per reliqua organa pelvica late disperso quaeque, desperantibus prorsus cunctis a curatione medicis, sese deprecationibus Annae ab Angelis commendaverat cuius proin caelesti interventu, mirantibus pariter iisdem medicis, ne duorum quidem dierum intervallo sine ulla alia therapia in melius primum restituta deinque adeo radicitus est sanata ut mense ipso subsequenti ad domestica munera implenda visa sit idonea ac plus triginta inde annos

vixerit illius maligni morbi plene expers. Peropportuna demum hac oblata Nobis occasione pastoralis itineris ad Ecclesiam Peruvianam, quam tantopere Anna ab Angelis sanctitate Dominicianae suae vitae condecoravit, in animum sic induximus medio nempe in illo itinere et invisere natalem eius urbem et ritum Beatificationis praesentes peragere. Hodie igitur mane inter Eucharistici Sacrificii Sollemnia adstantibus innumerabilibus ferme Ecclesiae administris ac fidelibus, post Liturgiam nempe Verbi excipientes tum petitionem Venerabilis Fratris Ferdinandi Vargas Ruiz de Somocurcio Archiepiscopi Arequipensis tum brevem vitae Servae Dei virtutumque et operum narrationem suscepimus Beatificationis hanc formulam Hispana lingua sollemniter pronuntiandam: « Nos, acogiendo el deseo de nuestro hermano, Fernando Vargas Ruiz de Somocurcio, Arzobispo de Arequipa, y de muchos otros hermanos en el episcopado, y de numerosos fieles; después de haber oído el parecer de la Sagrada Congregación para las Causas de los Santos, declaramos con Nuestra Autoridad Apostólica que la Venerable Sierva de Dios, Ana de los Angeles Monteagudo, puede ser, de ahora en adelante llamada Beata, y que se podrá celebrar su fiesta en los lugares y del modo establecido por el derecho, el día diez de enero, día de su nacimiento para el cielo. En el nombre del Padre, y del Hijo y del Espíritu Santo ». Preces subinde novae huius Beatae Caelitis nomine Deo fudimus eam pie implorantes; paenitentiam ipsius et contemplationem, amorem erga proximos et perseverantem fidelitatem verbis propriis commemoravimus atque cum universa ecclesiali communitate Peruviana summopere sumus laetati novo de hoc documento sanctitatis intra eam novoque simul incitamento ad bona christianae vocationis fidelius usque avidiusque persequenda. Ad extremum vero hasce Litteras ipsas confici voluimus, perpetuas huius rei singularis testes, atque omnia per eas sic edicta et statuta firma esse foreque iubemus in posterum tempus contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus.

Datum Arequipae in Peruvia, sub anulo Piscatoris, die altero mensis Februarii festo in die Praesentationis Domini, anno millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 158.524.

II

Venerabili Famulae Dei Mariae Catharinae Troiani a S. Rosa Viterbiensi, fundatrici Instituti Franciscalium Sororum Missionariarum ab Immaculato Corde B. M. V., Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

— Metropolitanae Ecclesiae Viennensi R. D. Hermannum Groër, Congregationis Austriacae ab Immaculata Conceptione O.S.B. sodalem.

die 4 Augusti. — Praelaturae Coxinensi Exc.mum P. D. Angelum Dominicum Salvador, O.F.M. Cap., hactenus titularem Episcopum Seliensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

— Episcopum Coadiutorem Spelaepolitanae dioecesis R. D. Ioannem Mlton dos Santos Souza, Vicarium Generalem dioecesis Amargosensis.

die 8 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Rivograndensi Exc.mum P. D. Iosephum Marium Stroeher, hactenus Episcopum titularem Mcivensem et Auxiliarem archidioecesis Portalegrensis in Brasilia.

— Cathedrali Ecclesiae Novohamburgensi Exc.mum P. D. Carolum Iosephum (Bonaventuram) Kloppenburg, O.F.M., hactenus Epi-

scopum titularem Vulturariensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

die 12 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Pulcheriopolitanae R. D. Andream A. Suski, Vice-Rectorem seminarii maioris dioecesis Plocensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Sigismundi Kaminski, Administratoris Apostolici memoratae dioecesis.

die Iii Augusti. — Archiepiscopali Ecclesiae Caietanae Exc.mum P. D. Vincentium Parano, hactenus Archiepiscopum titularem Cluentensem atque Nuntium Apostolicum in dicione Aequatoriana.

CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

DECRETA

I

SEGUNTINA-GUADALAIAREN.

Canonizationis Servarum Dei Mariae Pilar a S. Francisco Borgia et duarum sociarum, monialium professarum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in odium fidei, uti fertur, interemptarum.

SUPER DUBIO

An *constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

« Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Siti vit anima mea ad Deum, Deum vivum» *(Ps* 42, 2-3).

Omni tempore viri et mulieres fuerunt qui, non contenti cisternis dissipatis, quas propheta Ieremias commemorat (cf. *Ier* 2, 13), aquam vivam exquisierunt, Domini figuram (cf. *ib.).*

In eiusmodi classe sunt quotquot se Christo sequendo tradiderunt, Petrae, quae, percussa (cf. *Io* 19, 34), e suo latere sanguinem mittit, qui dat vitam aeternam (cf. *Io* 6, 53-56), et aquas aptas ad sitim explendam populi ad terram promissam iter facientis (cf. *1 Cor* 10, 4).

Hi, ex illa Petra large haurientes, ita eidem similes fiunt, ut e sinu suo non solum flumina aquae vivae profundant (cf. *Io* 7, 38), verum quandoque etiam sanguinem (cf. *Io* 19, 34) : a Spiritu Sancto videlicet tam alte divino Magistro conformantur, ut vel cruente dolores eius passionis et mortis obtineant participare. Quod quidem non debet admirationem movere, quandoquidem amor natura sua amantem cum amato commiscet; unde verus Christi amicus nihil aliud optat, quam ut se totum illi donet eique per omnia persimilis sit.

Hanc veritatem docuit etiam Sancta Teresia a Iesu, Ecclesiae Doctor : « Verus religiosus et orationis cultor, si Deo gaudere vult, pro eo paratus sit oportet ipsumque martyrium subire ... Qui enim Domino revera servire incipit, nihil ei minus quam vitam offerre potest » *(Camino de perfección,* 12, 2).

Soror Maria Pilar a Sancto Francisco Borgia (in saeculo : Iacoba Martínez García) Turiasone nata est die 30 mensis Decembris anno 1877. Eodem die baptismum accepit, calendis autem Augustis anno 1879 sacramentum confirmationis. In familia est ad christianam religionem bene educata, et celeriter didicit vivere in sancto Dei timore. Carmelum ingressa est die 12 mensis Octobris anno 1898 et die 15 eiusdem mensis anno 1899 vota religiosa suscepit. Diligenter muneribus iuncta est rotariae et aedituae. Fervore eminebat in Eegula observanda et studio-solitudinis, meditationis, precationis; magna fide et veneratione Sanctissimum Sacramentum colebat, quod appellabat « Vivum » quodque longis et crebris adorationibus venerabatur. Profectus facere cupiebat in perfectione et caelesti Sponso in omnibus rebus morem gerere. Proprius appropinquante persecutionis tempestate, saepe magno animo ostendit se paratam esse ad monendum, potius quam Dominum offenderet. Dicebat : « Si nos ad martyrium trahent, illud obibimus cantantes, sicut martyres nostrae Compendienses ». Die 22 mensis Iulii a. 1936 vesperi se admovit ad coenobii antistitam, ut ei diceret : « Mater, Dominum rogavi ut, si in hac Communitate victimam velit, eligat me ceterisque pareat ». Et multis aliis modis affirmavit se, ob Christi amorem, libenter esse sanguinem effusuram.

Soror Maria Angeles a Sancto Ioseph (in saeculo : Marciana Valtierra Tordesillas) orta est in oppido *Getafe* die 6 mensis Martii anno 1905 et insequenti die est baptizata. Confirmationis sacramentum anno 1910 et anno 1913 primum Sanctissimam Eucharistiam accepit. Alumna fuit Sororum a Sacra Familia. Iuvenis, alacrem apostolatum

in sua paroecia explicavit et aegrae amitae in curam incubuit. Viginti quinque demum annos nata monasterium est ingressa, ubi priorem professionem die 21 mensis Ianuarii anni 1931 et alteram, seu perpetuam post tres annos fecit. Ardentis vitae interioris fuit, coniunctissima Deo, benigna, continentiae dedita. Assiduae et perfectae oboedientiae exercitatione et vehementi perfectionis et sanctitatis studio enitebat. Iam in saeculo tam austera fuit, ut eius amicae dicerent se, si diu vixissent, eam visuras esse in sanctorum numerum relatam. Frequenter significavit se promptam esse ad vitam Deo offerendam pro Hispaniae salute et pro Sacri Cordis Iesu victoria; tamen, cum humillima esset, profitebatur se non dignam esse tam singulari gratia. Nocte diei 23 mensis Iulii a. 1936 Antistitae suae patefecit : « Ah, Mater, si martyres simus ! ».

Soror Teresia a Iesu Infante (in saeculo : Eusebia García García) in lucem edita est in pago *Moehaies,* in provincia Guadalaiara, die 5 mensis Martii anno 1909 admodum pia familia. Baptizata est die 7 Martii eodem anno et sacramentum Confirmationis recepit die 20 mensis Iunii anno 1916. Educata est a Sororibus TJrsulinis Seguntinis. Iam a pueritia vocationem religiosam animadvertit et ab ineunte aetate privatim votum castitatis nuncupavit. Sedecim annos nata, est ingressa Carmelum, in quo votorum temporalium professionem fecit die 7 mensis Novembris anno 1926 et perpetuorum die 6 mensis Martii anno 1930. Solebat dicere : « Si carmelitis esse non potuissem, in leprosorum valetudinarium ivissem ». Optatum serviendi Christo in infirmis mire in monasterio ad effectum adduxit, ubi, ministrae aegrotorum munere fungens, de Sororibus aegrotantibus sedulam curam adhibuit, quas omnibus suis rebus antetulit et humanissime tractavit. Eius dictum erat : « Ante omnia caritas » : cupiebat enim omnibus viribus Dominum amare et vehementer nitebatur continuam Dei praesentiam assequi. Singularem pietatem alebat erga Sanctissimum Sacramentum, missionum amorem, fervorem in divini officii recitatione. Vivacis indolis erat, sed imperare potuit seque egregie continere. Numerosis temporibus, sicut et eius Sorores, affirmavit se paratam esse vitam pro Domino profundere. Accepta epistula quae, per lusum et iocum, initium ducebat ex verbis : « Feliciter Reipublicae ! », ea, permissu Matris Antistitae, respondit : « Tuo "Feliciter Reipublicae" respondeo "Feliciter Christo Regi", et quam libenter vitam pro Eo Guillottiniano supplicio subicerem ! » ; ac, inter unam cenam ex ultimis

in monasterio confectis, iocans dixit : « Oportet edere multum ut multus habeatur sanguis pro Christo Rege fundendus ».

Hae tres Servae Dei, cum iamdiu caelestia appeterent, prout potestas tenebrarum (cf. *Lc* 22, 53) minacior fiebat in eas, non melius exoptabant, quam fortiter Lucem (cf. *Io* 8, 12) testificari suumque sequi Sponsum, quocumque eas duxisset, et cum eo semper denique esse. Hinc, divina gratia confirmatae, paratae erant ignem magnae tribulationis transire stolasque suas lavare et dealbare in sanguine Agni (cf. *Ap* 7, 14). Quis namque poterat eas separare a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sed in his omnibus superavissent propter eum qui eas diligebat (cf. *Rom* 8, 35-37). Et quidem sic contigit.

Dum enim Hispania bello civili turbabatur (annis 1936-1939) et motus fratricidae ubique lacrimas et luctus serebant, Ecclesia Catholica eiusque instituta ferociter vexata sunt a factione, implacabili imbuta odio in Religionem et in eius asseclas. Cum « militiani », qui dicebantur, urbem G-uadalaiaram ceperunt, omnes Carmelitides monasterii Sancti Ioseph, gravitatis rerum condicionis consciae, et periculi in se impendentis, vestibus indutae saecularibus, relicto Carmelo ad domus privatas globatim confugerunt (die 22 mensis Iulii a. 1936). Tempore pomeridiano diei 24 Iulii a. 1936, cum tres Servae Dei ad tutius refugium se conferrent, via euntes agnitae sunt ut Religiosae a quadam « militiana », quae convertens se ad comites suos, exclamavit : ((Igneis glandibus eas petite, quia sanctimoniales sunt ». Eas insecuti, adepti sunt. Prima, plumbearum glandium icta, procubuit Soror Maria Angeles a S. Ioseph, quae statim animam exspiravit; deinde icta est Soror Maria Pilar a S. Francisco Borgia quae, etsi mortifere vulnerata, potuit tamen susurrare : « Feliciter Christo Regi » ; sed, quoniam signa vitae mittebat, denuo plumbea glande traiecta est et postea vecta in medicamentariam tabernam ac ad postremum in valetudinarium, turba conclamante : « Interficite eam, interficite ». Pie de vita decessit, postquam Christi cruci fixi imaginem deosculata est et murmuravit : ((Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt». Soror Maria Teresia a Iesu Infante primum turpes condiciones repudiavit, deinde instigata ut clamaret : « Feliciter communismo », recusavit atque, cum omni fidei ardore clamavisset : « Feliciter Christo Regi », ignivoma manuballista necata est. Die illo memoria liturgica celebrabatur Beatarum Martyrum Carmelitidum Compendiensium.

Ilico in Ordine Carmelitarum et in populo Dei tres illae Religiosae

martyres fidei habitae sunt et non pauci earum impetrationem invocare coeperunt. Fama martyrii crescente, Curiae episcopales, primum Toletana et deinde Seguntina, initium fecerunt Processus Ordinarii Informativi, qui actus est annis 1955-1958. Die 14 mensis Februarii anno 1962 editum est Decretum super scriptis Servis Dei tributis. Postea prodita sunt Decreta super non cultu et super validitate Processus Ordinarii (die 11 mensis Novembris anno 1983).

In Congressu Peculiari diei 12 Novembris a. 1985 Consultores Theologi, felici cum exitu, perspexerunt harum Sarvarum Dei coniectum martyrium. Patres Cardinales et Episcopi deinde in Congregatione Ordinaria die 21 mensis Ianuarii a. 1986 habita, ponente Causae Em.mo Cardinali Mario Aloisio Ciappi, professi sunt mortem earundem Servarum Dei verum martyrium esse putandam, secundum traditam Ecclesiae theologicam et iuridicam doctrinam.

Facta de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Summo Pontifici Ioanni Paulo II fideli relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis excipiens, mandavit ut super martyrio earundem Servarum Dei decretum appararetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de martyrio et martyrii causa Servarum Dei Mariae Pilar a S. Francisco Borgia et duarum Sociarum, monialium professarum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, ut, concessa a signis seu miraculis dispensatione, ad ulteriora procedi posset, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 22 Martii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, ***Praefectus***

L. © S.

& Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, ***a Secretis***

II

AGENNEN.

Canonizationis Servae Dei Mariae a Conceptione (in saec.: Adelaidis de Batz de Trenquelléon), Fundatricis Filiarum Mariae Immaculatae (1789-1828).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Iesu Christi imitatio certe regalis est via, quam insistamus oportet, ut vitae adipiscamur sanctitatem atque caelestis Patris perfectionem et absolutionem ipsi pro viribus in nos referamus. Quodsi catholica Ecclesia augustissimam hanc veritatem semper tenuit, pariter tamen affirmavit, Virginis Mariae imitationem non modo non abducere a studio fideliter sequendi Christum, verum etiam id amabilius faciliusque efficere, quandoquidem eadem sanctissima Virgo, ad Dei voluntatem semper se accommodans, meruit ut omnium prima illam laudem audiret, quam Filius suis asseclis tribuit hisce verbis : "Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est" » (Paulus **VI**, Adhort Apost. *Signum magnum : AAS* 59 [1967], p. 471).

Haec Papae Pauli VI verba, qui proprie mirum caput VIII Constitutionis dogmaticae *Lumen Gentium* interpretatur, vita Servae Dei Mariae a Conceptione — in saeculo Adelaidis de Batz de Trenquelléon vocatae — post et secundum sancti Bernardi, sancti Ioannis Eudes, sancti Ludovici M. Grignion de Montfort et aliorum multorum vitam, convenienter illustrat.

Tota enim haec vita, brevis equidem, sed cuius proprietas ab infantia usque ad extremum diem constans quaesitio fuit coniunctionis cum Deo atque proximi servitium, spiritu pietatis erga Mariam acta est, qui evidenter animi ascensum fovit eique colorem induxit, unde fulgor manat perpetuus.

Serva Dei nata est in oppido Condomiensis regionis *Feugarolles* appellato, intra fines dioecesis Agennensis, die 10 mensis Iunii anno 1789, cum iam magnae conversiones publicae et civiles Gallicae subes-

sent. Matris testimonio, « gratia eam antevertit priusquam compos esset rationis ».

Nonum vix aetatis annum inierat, cum baronissa de Tranquelleon eam puerumque fratremque eius abducens, repentino compulsa est de Gallia decedere, ut legis duritiam effugeret, ob quam vita eius periclitabatur.

Exsilium, primum in Hispania traductum, deinde in Lusitania, quattuor duravit annos, per quos puellula firmam pietatem et veram erga Mariam Virginem religionem est assecuta, praecipue quadam Carmelitidum affectione permota.

Die 6 mensis Ianuarii anno 1801, cum familia eius exspectabat ut sibi potestas fieret Galliam repetendi, Famula Dei primum Eucharistiae sacramentum recepit in ecclesia Sanctae Mariae dicata in urbe Sancto Sebastiano, hortante confessario, precocibus eius sensibus capto. Ad larem familiarem reversa, a viro religioso, ex suo conventu persecutione expulso, perscriptam disciplinam flagitavit, ut se ad statum religiosum praepararet.

Die 6 mensis Februarii anno 1803 confirmationis sacramentum accepit, postquam se ad hunc actum composuit sex hebdomadarum mansione apud religiosas Carmelitides, quae vitam communem instaurare conabantur post procellosos eventus. Novum initium fuit hoc eius vitae spiritualis. Conditum una cum puellis familiaribus parvum piumque sodalicium, quod brevi incrementum cepit et plures etiam commendabiles sacerdotes numeravit, vehementer fovit in eoque et spiritum apostolatus custodivit et religionem erga Virginem Mariam epistularum commercio, quarum plus trecentae supersunt manu eius scriptae annis 1805-1816.

Suam servans disciplinam, dierum quemque aliquo meditationis spatio incipiebat et, cum matre omnes domesticos participans labores, quidquid vacui temporis habebat, non solum in piis litteris scribendis consumebat, verum etiam in colonicis viciniae visendis ut exercitationi christianarum virtutum faveret, vel in parva informi schola moderanda, ut ibi prima elementa institutionis doceret et magnas religionis veritates. Eo tempore, quo sancta Communio rara erat, a suo confessario, non immuni a Iansenistarum praeiudiciis, concessam licentiam habuerat ad mensam Dominicam accedendi singulis diebus dominicis vel festis, et ad illam se praeparabat accurata peccatorum confessione. Diebus anniversariis sui baptismi, primae sanctae communionis et confirmationis, sicut aliis quoque diebus quibus in pa-

roeciam se conferre poterat, ab aliqua intima persona comitata, se colligere solebat et ob suas imperiectiones abicere atque ad maiorem usque alacritatem excitare.

Ab anno 1808, movente Ven. Villelmo Iosepho Chaminade, Burdigalensi, cuius Congregationis Mariae parvum suum sodalicium adiunxit, eius erga Virginem Mariam pietas novo est aucta incremento, et paulo post, matrimonio ex amplioribus repudiato et nomine sumpto Sorore Maria a Conceptione, solum de novo Instituto religioso constituendo cogitavit, qui in tutela esset Beatae Virginis, ut spirituali patriae suae renovationi operam navaret.

Casus publici eius aetatis et morbus patris, cui liberorum more astitit usque ad mortem, quae die 18 mensis Iunii a. 1815, contigit, moram atque impedimentum eius proposito intulerunt. Sed die 25 mensis Maii anno 1816, suasore Venerabili Villelmo Iosepho Chaminade, cui consilia sua crediderat, Agennum una cum octo comitibus se recepit, ubi Instituti Filiarum a Maria Immaculata fundamenta iecit, in quo primum vota religiosa stabilia insequenti anno, die nempe 25 mensis Iulii anno 1817, nuncupata sunt, consentiente Ioanne Jacoupy, dioecesis Episcopo.

Invita Antistita creata, post id tempus nonnisi vixit ut Regulae sui Instituti adhaereret, ut Sorores adiuvaret in sanctitate adipiscenda per pacem Christi et ardentem amorem Virginis Mariae, utque augendo christianorum numero operam daret. Duodecim annis, quibus Instituto praefuit, quibusque quattuor domus religiosas instituit : Toninii (Lot et Garumna), anno 1820, Condomi (Gers) et Burdigalae (Gironda), anno 1824, in urbe Arbois (Iura) anno .1826, statuit, *Maria duce,* abrumpere se a bonis terrenis et coniunctionem assequi cum animarum virginum Sponso.

Viva fides, omnino simplex, viam eius illuminabat moresque dirigebat. Superna spes eam sustinebat efiiciebatque ut difficultates superaret. Dei amor, magna pietate in Spiritum Sanctum et in Eucharistiam nutritus, vitae eius interioris summa erat et apostolicae eius industriae origo, necnon benignitatis erga omnes Sorores religiosas. Precatione et obsequio moderatorum suorum, exemplar erat prudentiae, suaque conscientiae religione exemplum iustitiae. Tum in commoda valetudine, tum in morbo, castigatio et neglegentia sui sola oboedientia determinaban tur. Eius fortitudo vivo fulsit splendore in exercitio muneris et in rebus adversis, quibus in itinere incurrit. Magna et sincera humilitate instructa, rigida paupertate, semper vi-

guanti castitate, oboedientia sine imminutione et completa sui oblivione, sine modo secuta est exemplum matris suae et Patronae, « Ancillae Domini ».

Die 10 mensis Ianuarii anno 1828, eulta ab omnibus quibuscum rationes habuerat, ante tempus acri navitate, austeritatibus et longo atque acerbo morbo confecta, quem fide et patientia sanctorum toleravit, sancto Viatico et infirmorum sacramento confirmata, in acie et in armis mortua est, oculos figens in imagines Sacri Cordis et Virginis Immaculatae, exclamans : « Hosanna Filio David ».

Fama eius sanctitatis, iam tunc manifesta, crevit una cum Instituti eius propagatione, ut multa testantur monumenta. At perincommode accidit quod causae variae coegerunt ad instructionem Causae differendam.

Super eadem autem sanctimoniae fama instrui coeptus est demum anno 1965, apud Curiam episcopalem Agennensem, Processus Informativus, et quidem iuxta normas servandas in construendis Processibus Ordinariis super Causis historicis, quas Pius Papa XI die 4 Ianuarii anno 1939 approbavit; et simul acti sunt Processus Rogatoriales Lutetiae Parisiorum, Rupellae, Versaliis, Lapurdi et in Tananarivensi urbe. Qui Processus una cum plurimis documentis vitam et actuositatem Servae Dei spectantibus Romam transmissi sunt. Amplam deinde *Positionem* super Causae Introductione et super virtutibus Servae Dei ab Officio Historico-Hagiopraphico Congregationis pro Causis Sanctorum digestam et confectam Consultores Historici die 5 Novembris anno 1975 laudaverunt. Scriptis vero Servae Dei tributis rite perpensis, eadem Congregatio die 10 Iulii anno 1970 iam edixerat nihil obstare quominus ad ulteriora procedi posset.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, instante Rev.do P. Michaele Sánchez Vega, Societatis Mariae, postulatore huius Causae legitime constituto, habitus est die 12 Novembris anno 1976 Congressus Ordinarius huius Congregationis pro Causis Sanctorum, in quo disceptatio facta est super dubio num Causa Servae Dei introducenda esset. Quem Congressum secuta est die 5 Maii anno 1977 Congregatio Peculiaris, quae vocabatur, Cardinalium, in qua, ponente seu referente Em.mo ac Rev.mo Domino Gabriele Maria Garrone, eidem dubio proposito responsum datum est affirmativum, scilicet Causam esse introducendam, si Summo Pontifici placuisset.

Facta deinde de hisce omnibus Summo Pontifici Paulo VI per Em.mum ac Rev.mum Cardinalem Praefectum Congregationis pro

Causis Sanctorum, Conradum Bafile, fideli relatione, Sanctitas Sua responsum Patrum Cardinalium ratum habuit et confirmavit, die 11 Iunii anno 1977.

Parata vero cum essent omnia ad disceptandam quaestionem de virtutibus a Serva Dei Maria a Conceptione exercitis, habitus est, die 28 mensis Ianuarii huius anni Congressus Peculiaris Theologorum Consultorum, moderante Fidei Promotore Rev.mo Domino Antonio Petti; postea die 22 mensis Aprilis celebrata est Patrum Cardinalium et Episcoporum Congregatio Ordinaria, ponente Em.mo ac Rev.mo Domino Eduardo Cardinali Gagnon. In utroque autem Coetu affirmativum est datum responsum circa heroicas Servae Dei virtutes exercitas.

Quibus de rebus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum rata habens, mandavit ut Decretum super heroicis Servae Dei virtutibus appararetur.

Quod cum rite factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Conceptione, in saeculo Adelaidis de Batz de Trenquellêon, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 5 Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

h. & S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

BAIOCEN. ET LEXOVIEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Francisci Jamet, Sacerdotis saecularis Superioris Instituti Sororum a Bono Salvatore.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Petrus Franciscus Jamet die 12 mensis Septembris anno 1762 natus est in oppido *Fresne* (in Gallia) ex familia impense christiana. Studiis humanitatis et ecclesiasticis peractis, die 22 mensis Septembris a. 1787 est ordinatus sacerdos. Anno 1790 nominatus est cappellanus et confessarius Instituti Cadomensis Filiarum a Bono Salvatore, cuius postea fuit moderator religiosus et « alter Fundator » habitus. Rerum Gallicarum mutationis tempore Venerabilis Servus Dei exquisitus est, ut ad mortem mitteretur propter suam sacerdotalem industriam; sed ab ea est prohibitus, ut animum ad multa apostolatus opera intenderet. Etenim omni ope atque opera enisus est ut indigentibus opitularetur et assiderei, praesertim surdis mutisque, ad hoc propositum convertens multiplicem Filiarum a Bono Salvatore navitatem. Laboribus et annis consumptus de vita decessit Cadomi die 12 mensis Ianuarii anno 1845, sanctus existimatus.

Praescriptis expletis, die 21 mensis Martii anno 1985 editum est Decretum, quo agnoscebatur Venerabilem Servum Dei heroum more virtutes théologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Ad beatificationem obtinendam Causae actores Sedi Apostolicae sanationem exhibuerunt, quae miraculo effecta, deprecatore Venerabili Jamet, putatur. Prodigiosus interventus actus est pro Sorore Maria Irenaea Leroux, religiosa Instituti Filiarum a Bono Salvatore.

Haec Soror, nata anno 1904, tenui valetudine utens, anno vertente 1931, orsa est percipere tergi dolores simulque spinas movendi difficultatem. Haec rerum condicio, cum vicibus plus minus acribus, usque ad mensem Februarium anni 1936 perduravit, cum dolores acerbiores facti sunt motusque difficiliores, ita ut Soror quicquam de terra tollere nequiret. Mense Aprili, eodem anno, accuratis medicorum visitationibus et radiographiis factis, inventum est causam adversae valetudinis esse *morbum Pott, quartam vertebram lumborum afficientem,*

cum abscessit frigido osseifluenti. Prognosis cautissima fuit «quoad valetudinem », iuncta timori ne aegrota quattuor vel quinque annos omnino immobilis viveret. Medicamenta autem eo tempore prae-antibiotico data, omnino inania fuerunt.

Tum aegra eiusque consorores Deum compellaverunt, impetrationem exorantes Ven. Petri Francisci Jamet duobus sacris novendialibus. Initio alterius sacri novendialis, nocte transacta atrocibus oppleta doloribus, die 5 mensis Maii anno 1936 mane Soror Maria Irenaea coepit ignotum quoddam sentire levamentum, adeo ut somnum capere potuerit et, e sommo expergefacta, in lecto sedere. Brevi temporis spatio omnis morbi praegressi nota defecit, ita ut Religiosa consueta ministeria pro aegrotantibus resumpserit et postea se bene habuerit usque ad hoc tempus, etsi aetate provecta.

De miro eventu adornatus est Processus « more apostolico » apud Curiam Baiocensem et Lexoviensem annis 1937-1938, cuius auctoritas agnita est Decreto die 19 mensis Aprilis edito anno 1985.

Iuris ordine deinde servato, de hac sanatione disceptavit Consilium Medicorum Congregationis pro Causis Sanctorum die 11 mensis Decembris a. 1985, quod eam iudicavit fuisse celerrimam, completam, perpetuam et constantem, ex scientiae cognitionibus inexplicabilem. Post id inquisitio theologica facta est, primum a Consultoribus Theologis in Congressu Peculiari die 4 mensis Aprilis anno 1986 acto, moderante Rev.mo D.no Antonio Petti, Fidei Promotore Generali; dein, die 6 mensis Maii eodem anno in Congregatione Ordinaria Cardinalium et Episcoporum, ponente seu relatore Exc.mo ac Rev.mo Domino Antonio Mauro, Archiepiscopo titulari Tagastensi. Et proposito dubio : *An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur,* in utroque Coetu affirmativum responsum est datum.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum super praedicta mira sanatione rite conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali Praefecto Congregationis necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de uno miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Petri Francisci Jamet, videlicet de instantánea, perfecta stabilique sanatione Sororis Mariae Irenaeae*

Leroux a morbo qui a Pott appellatur, quartam vertebram lumborum affidentem y cum abscessu frigido osseifluenti.

Hoc autem Decretum in vulgum edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri iussit.

Datum Romae, die 5 mense Iunio A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINA *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

FLORENTINA SEU PISTORIEN.

Canonizationis Servae Dei Mariae Margaritae (in saec. Mariae Annae Rosae Caiani), Fundatricis Instituti III Ordinis Franciscalis Minimarum a S. Corde.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Vere placatam et quietam feci animam meam, sicut ablactatus in sinu matris suae, sicut ablactatus, ita in me est anima mea» *(Ps* 131, 1-2).

Qui non in mundi bonis, inanibus et cupiditatibus, sed in Domino collocavit fiduciam suam, magna pace interiore et tranquilla confidentia fruitur, quia humilians se sub potenti manu Dei et omnem sollicitudinem suam proiciens in eum, persuasum habet illi curam esse de se, ut eum exaltet in tempore (cf. *1 Pt* 5, 6-7). Dominus enim ((suscitat de terra inopem, de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui» *(Ps* 113, 7-8).

Etiam Serva Dei Maria Margarita Caiani, conditrix Instituti Tertii Ordinis Franciscalis Minimarum a Sacro Corde, suae paucitatis sibi conscia, se ipsam et opera sua in manibus Dei posuit et, fisa ei qui exaltat humiles (cf. *Lc* 1, 52), in via christianae perfectionis multos

progressus fecit et copiosos pro Ecclesia edidit fructus. Ita enim pro certo habebat humilitatem solidum esse fundamentum ad Deo placendum et fertilem humum ad augendum Christi regnum, ut filiabus suis spiritualibus suaderet : « Humiles estote, numquam de vobis nec bene nec male loquentes. In Deo gaudete si quando animadvertitis vos contemni, in oblivione iacere, neglegi, sed putate vos ultimas et pessimas Communitatis esse, verum humilitatis exemplum in Corde Iesu invenietis ».

Serva Dei nata est Podii ad Caianum in dioecesi Pistoriensi die 2 mensis Novembris anno 1863 ex Iacobo Caiani et Aloisia Fortini. Postridie baptisma ei datum est et nomina Maria Anna Rosa. Die 19 Octobris anno 1868 sacramentum Confirmationis accepit. Decem annos nata ad primam sancti altaris Communionem est admissa. Primas tres ludorum classes frequentavit cum studiorum fructu apud scholam privatam.

Etsi indole viva erat et ingenio aperta, per omnia parentibus obsequens fuit; diligenter incubuit in domestica negotia et fratres in labore adiuvit. Ab infantia singularem precationis ostendit amorem et insigni cum pietate sacra obiit, Missam, Communionem, pedibus cotidie ad longinquam paroecialem ecclesiam perveniens. Aegrotorum curam adhibuit et imprimis morientium, quos ad mortem bene paratos esse cupiebat. Cum vere pia esset et iam in fide firmissima, consilia Dei adoravit in familiae casibus adversis, quales fuerunt patris mors inopinata (anno 1884), matris mors (anno 1891) et longus fratris Gustavi morbus, cui assedit benigne.

Cognita vocatione ad se Domino consecrandam, anno 1893 ingressa est monasterium Pistoriense Benedictinarum, sed post mensem domum rediit, quoniam intellexit ad vitam clausurae se non esse aptam, sed ad apostolatum caritatis. Quibusdam viris ecclesiasticis monentibus propositum deposuit intrandi in Congregationem iam constitutam, seque dedidit pueris pagi sui educandis et erudiendis. Qua de causa die 19 mensis Septembris anno 1894, cum una socia, Podii ad Caianum scholam aperuit, ubi praeter christianam doctrinam pueri litteras docebantur. Die 6 Novembris anno 1896 Serva Dei, Maria Fiaschi et Redempta Frati suas domus reliquerunt, ut communiter viverent seque omnino addicerent suae sanctificationi, apostolatui et scholae iam inchoatae. Opus, in simplicitate et in paupertate ortum, coepit celeriter crescere et novis vocationibus augeri, adeo ut ab anno 1910 ad multas Italicas dioeceses se extenderit.

Nova Familia seu Institutum Tertii Ordinis Franciscalis Minimarum a Sacro Corde anno 1900 primarum Constitutionum approbationem obtinuit ad triennium, quae postea est rite renovata. Die 17 mensis Martii anno 1901 Serva Dei electa est Antistita Communitatis et die 15 mensis Decembris insequenti anno vestem religiosam induit, nomine sibi sumpto Sorore Maria Margarita a Sacro Corde. Die 17 mensis Octobris anno 1905, cum quinque comitibus, votorum professionem fecit et anno 1915 est ei officium Antistitae Generalis continuatum quamdiu vixisset.

Lenitate, humilitate, caritate, vere materno animo Institutum rexit. Sororibus scribebat: « Quam bene vobis volo, Filiae meae! Quantum confido fore ut prorsus tales fiatis, quales amans divinum Cor cupit vos esse! Multum amate inter vos sine studio, illa caritate, quae vera, pura et sancta gaudia affert. Alia aliam adiuvet, ut vos emendetis et meliores evadatis, sicut in sancto novitiatu faciebatis, et ita in vobis malam illam bestiam, quae amor sui est, interficiens. Coniunctae sitis sicut in choro, similiter ac angeli pulchri, illibati, qui Sacrum Iesu Cor cingunt corona ». Studiosissima fuit progressus spiritualis et disciplinae religiosarum suarum, quas spiritu Congregationis bene imbutas volebat et fideles erga Operis proposita. Volebat eas esse « animas piaculares et servatrices », easque admonebat: « Memoria teneant saepe Sorores in omni actu gloriam ad Deum pertinere, ad proximum utilitatem, laborem ad nos ». Efficiebat ut earum quaelibet suas exerceret habilitâtes; munia et onera non iniungebat, quae vires superarent; invigilare sciebat, adhortari, commonefacere, humanis infirmitatibus ignoscere, sed etiam Regularum observantiam firmiter exigere. Integra in omnes fuit, omnem iniquum favorem vitando; si corrigebat, id faciebat magna cum libertate, sed correctio culpae semper conveniens erat, et meritam non mittebat laudem. Infirmas Sorores praesertim officiis prosequebatur, dicens: ((Nostri thesauri eae sunt ». Linum fumigans non exstinguebat et arundinem quassatam non confringebat (cf. *Mt* 12, 20), quia proximo fidebat et patienter ab eo meliores fructus exspectabat.

Potius quam Instituti amplificationem, eius confirmationem intendebat et condicionis incrementum per accuratam condidatarum selectionem et religiosarum gravem formationem. Id autem consilium non semper est assecuta uti exoptabat; quin ei causa fuit non paucarum aegritudinum, cum a quibusdam eius consiliatoribus nec intellegeretur nec probaretur, sed neque a nonnullis Sororibus et ab aliqui-

bus proximis adiutricibus. Quoniam opera Dei prosperius cedunt acerbitatibus et rebus adversis, etiam aliunde est pressa difficultatibus, contentionibus et calumniis ; quae tamen, quamvis multis eam doloribus afficerent, ab ea non ademerunt quietem interiorem, divinae gratiae fiduciam et propositum quaerendi semper et utcumque gloriam Dei et animarum bonum.

Nec tantum pro suo Instituto laboravit; namque multimodis caritatem exercitavit erga proximum : precabatur et ad precandum hortabatur pro sacerdotum sanctificatione ; curare perrexit puerorum educationem eosque doctrinam christianam docere; aegris assidebat, ad quorum lectos se conferebat tum quoque, cum morbi fastidiosi erant, nec raro totam noctem apud eos pervigilabat eosdemque praeparabat ad sacramenta accipienda. Uti bona mater, cotidie ipsa sorbitionem pauperibus largiebatur. Gratum ei erat illos adiuvare, qui eam vexaverant; statuerat namque se omnium sorores esse. Multum mulieribus matrimonio coniunctis, viduis, desponsis prospiciebat; semper parata erat ad consolandos eos, qui ad eam confugiebant.

Quia « in hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus et mandata eius faciamus » *(1 Io* 5, 2), Serva Dei curam proximi fundavit amore Domini forti, continuo, simplici et ardenti, cuius voluntas erat ei suprema lex cuiusque familiaritatem quaerebat in deprecatione, in religionibus, in longis Sanctissimi Sacramenti adorationibus, in fervida Missae assiduitate. Magni fecit praesentiae Dei exercitium, cultum divinum, cantum sacrum, ad quem erat peculiariter apta. Singulari pietate coluit Spiritum Sanctum, Sacrum Cor Iesu, Virginem Mariam a Rosario. Ut in Christi imitatione proficeret, constans quoque fuit in sui castigatione, in sensuum custodia, in commodorum contemptione, in exercitio paupertatis, castitatis et oboedientiae erga Ecclesiam, cuius fidelissima fuit filia, et erga suos superiores. Quae Sorores docebat, ipsa egerat perfecte : « Filiae meae, suadeo vobis imprimis sanctam oboedientiam, quae verae religiosae est virtus propria : eam non solummodo in rebus magnis, sed etiam in parvis et indifferentibus explicate. Assuescite oboedire prompte, numquam de dato praecepto dubitantes »,

Has laudabiles mentis positiones, quas non communi prudentia et mira humilitate in variis vitae casibus expresserat, Serva Dei servavit usque ad diem 8 mensis Augusti, quo pie mortua est, in oppido *Montughi* in finibus archidioecesis Florentinae, anno 1921. Congrega-

tionem reliquit plus ducentas Sorores habentem, in 21 domibus distributas.

Eius corpus translatum est Podium ad Caianum, ubi iusta funebria magno cum populi concursu celebrata sunt.

Fama sanctitatis, quam Serva Dei sibi viva pepererat, non solum perseveravit, sed crevit post eius mortem, etsi rarae et gratuitae fuerunt dissensiones.

Qua re Ordinarius Pistoriensis, obtenta a Sancta Sede immunitate canonis 2039, § 1. C.I.C. anni 1917, initium fecit Causae beatificationis et canonizationis per celebrationem Processus Ordinarii Informativi (annis 1952-1957), quem secutus est Processus Additicius, apud eandem Curiam episcopalem instructus. Deinde edita sunt Decreta super scriptis Servae Dei tributis (die 5 mensis Martii anno 1970) et super Introductione Causae (die 18 mensis Novembris anno 1981). Concessa dispensatione celebrationis Processus Apostolici super Servae Dei virtutibus in specie, Congregatio pro Causis Sanctorum Actores Causae rogavit ut documenta supplerent necessaria ad *Jieroicitatem* virtutum probandam. Ubi hoc factum est, die 25 mensis Ianuarii a. 1985 proditum est Decretum super vi et auctoritate Processuum. Postea Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 25 mensis Februarii habito anno 1986, felici cum exitu Servae Dei virtutes exquisiverunt.

Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 6 Maii eodem anno acta, Ponente Causae Em.mo ac Rev.mo Domino Cardinali Iosepho Caprio, agnoverunt Servam Dei Mariam Margaritam Caiani virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum more exercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis rata habens praecepit ut Decretum super heroicis virtutibus Servae Dei rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, hodierna die, accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto et Causae Relatore meque Antistite a Secretis Congregationis, ceterisque de more convocandis, iisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis Servae Dei Mariae Margaritae Caiani, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 5 Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

VIEDMEN.

Canonizationis Servae Dei Lanrae Vicuña, alumnae Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Vos amici mei estis, si facietis quae ego praecipio vobis » *(Io* 15, 14). Haec Salvatoris verba tuta norma sunt cursus vitae sanctorum, germanorum Domini amicorum, qui constanter cohaerendi et sine condicione cum rebus caelestibus studiosi, vocem eius audiunt, eum sequuntur et redamant totos seipsos offerendo.

Eiusmodi propositum se Deo omnino donandi, omni tempore etiam generosos animos iuvenum illuminavit et ad culmina virtutis provexit, quae interdum metum afferunt vel personis grandioris aetatis.

In horum fortium iuvenum numerum, qui celeriter et animose ad christianarum virtutum perfectionem pervenerunt et consummati in brevi expleverunt tempora multa (cf. *Sap.* 4, 13), referenda est puella Laura Vicuña, cuius vita simplex et evangelicis laudibus dives, circumscripta est spatio duodecim annorum, novem mensium et septemdecim dierum.

Primogenita Iosephi Dominici Vicuña, militis, et Mariae Mercedoniae Pino, Serva Dei orta est die 5 mensis Aprilis anno 1891 Sancti Iacobi in Chile, quo tempore illa natio in uno ex maximis suae historiae discriminibus erat. Baptizata die 24 mensis Maii eodem anno, et appel-

lata Laura a Carmelo, paulo post, familiam est secuta per multas exilii aerumnas usque *Temucum,* ubi et soror Iulia Amanda nata est et pater mortuus, subitanea corporis offensione correptus (anno 1893). Postea, transcensis Andis, mater, sortis et educationis filiarum studiosa, eam in diversa loca terrae Argentinae duxit, donec anno 1900 in pago *Juniri de los Andes* constitit.

Ibi Serva Dei fuit alumna interna parvi et pauperrimi ephebei pro puellis Filiarum a Maria Auxiliatrice, in quo diligenter et feliciter scholam frequentavit et secundo fortique animo itineri perfectionis se commisit. Non pauci casus adversi, quos in infantia subierat, eius indolem mitem, serenam et vivacem non potuerant mutare neque frangere naturalem ad bonum virtutesque inclinationem. Quin, a primis diebus quos in ephebeo egit, ostendit iudicii maturitatem aetate maiorem et pietatis invitamentum singulare. Cor eius simplex et purum non acquiescebat nisi in rebus divinis eiusque religio, sincera et ardens, inde ab initio apparuit gravis, non simulata nec immoderata.

Maxima cum diligentia ad primam sancti altaris communionem se praeparavit; accurate catechismo studebat, nitens quam optime exsequi quod discebat. Sibi statuit vigilem agendi rationem et omnium virtutum exercitium. Oboedientior et obsequentior erga moderatores quam antea, affabilis et officiosa in aequales, in cogitatione et in usu religionum constans et fervida, ex quibus praeferebat praesentiae Dei exercitium. Die 2 mensis Iunii a. 1901 tandem, cum animi aestu et elatione, ad mensam eucharisticam accessit : qui dies in eius brevi vita maximi momenti et ponderis fuit. Sanctum Dominicum Savio imitans, de quo audiverat in ephebeo quemque peculiari veneratione colebat, quaedam consilia cepit, quae matura perseverantia servavit : « Mi Deus, te amare volo tibique servire per totum tempus vitae meae; ideo dono tibi animam meam, cor meum, totum id quod sum » ; « malo mori quam te offendere peccato; qua re volo me reprimere in omnibus rebus, quae me a te disiungant » ; « propono facere quae scio et possum, ut tu cognoscaris et ameris utque iniurias expiem, quae cotidie in te ab hominibus inferuntur, praesertim a familiaribus meis ; mi Deus, da mihi vitam amoris, continentiae, castigationis ». Sanctus Ioannes Bosco aflirmaverat : « Prima Communio sancti altaris bene recepta solidum morum fundamentum agit per totam vitam ». Ita et Servae Dei accidit. Exinde, quasi brevitatis annorum suorum praesaga, maiore cum alacritate laboravit ut talenta a Deo accepta multiplicaret et, veluti accensa impensa et dulcissima perfectionis aviditate, insignes pro-

gressus fecit in imitatione Christi, quem magis magisque cognoscere exoptabat et ex toto corde, ex toto intellectu et ex tota fortitudine amare (cf. *Me* 12, 30).

Ut utiliter divinae gratiae responderet, attente verbo Dei et moderatorum auscultabat et obtemperabat fideliter; multum dabat spatium precationi privatae, adorationi Sanctissimi Sacramenti, pietati erga Sacrum Cor Iesu et Virginem Mariam; flagranti fervore cotidie se Pane eucharistico alebat et saepe cum gaudio ad sacramentum reconciliationis accedebat. Accuratissime scholae et disciplinae munia explebat. Ad quemlibet laborem parata erat, benevola, sincera et gratiosa in aequales ; materna in sororem minorem natu ; prompta ad ignoscendum, prudens, reverens et humilis erga omnes.

Die 8 mensis Decembris anno 1901 accepta est in Congregationem Filiarum Mariae et die 29 mensis Martii a. 1902 ab Excellentissimo Domino Cagliero sacramentum confirmationis recepit. Eodem anno petivit, frustra quidem, ut inter postulantes Instituti Mariae Auxiliatricis admitteretur ; obtinuit autem ut privatim vota paupertatis, castitatis et oboedientiae susciperet, quo similior esset Iesu et Mariae. « Volo, Iesu, tota tua esse, etsi in saeculo mihi erit manendum ». Haec fuit precatio Servae Dei, cuius sui recusationis et magnanimitatis educatrices et aequales multa habebant indicia, etsi ea operam dabat ut cotidianas castigationes tegeret, quas non solum suscipiebat quotiescumque se dabant, verum etiam exquirebat et sollerti amore excogitabat.

Blandimenta, illecebras, minas et vexationes vicit eius, qui pluries eius pudicitiae insidiari conatus est; eo amoris Domini et christianae fortitudinis pervenerat, ut parata esset ad vitam terrenam profundendam, dummodo caelestem servaret illibatam (cf. *Mt* 10, 28).

Pro fide in mundum propaganda, pro peccatorum conversione et animarum salute ferventer precabatur et Deo ademptiones et paenitentias libenter offerebat. Volens munus salvificum Ecclesiae naviter participare, perfecte exsequebatur sponsiones per baptismum et confirmationem factas, se sanctam faciebat, contra peccatum contendebat, cupiebat esse olim missionaria. Multum passa est pro matris conversione itemque multum deprecata est. Ut id assequeretur, consensu confessarii Domini Augusti Crestanello, die 13 mensis Aprilis anno 1903 vitam suam Deo devovit, quae celeriter confici coepit. Per longum morbum singularia praebuit exempla convenientiae perfectae cum divina voluntate, patientiae, fortitudinis, vehementissimae caelestium rerum appetitionis, quod est pie vita defuncta die 22 mensis Ianuarii anno

1904 obmurmurans : « Gratias, Iesu ! Gratias, Maria ! nunc laeta morior » : granum frumenti cecidit in terram (cf. *Io* 12, 24), pro certo habens oblationem suam esse acceptam et fructus esse laturam. Et ita quidem accidit.

Fama sanctitatis, quam viva sibi comparaverat, post eius mortem multum increbruit ; qua re apud Curiam episcopalem Viedmensem anno 1955 actus est Processus Ordinarius Informativus, quem secutus est anno 1956 Processus Rogatorialis Taurinensis.

Die 27 mensis Aprilis anno 1960 editum est Decretum de paucis Servae Dei scriptis. Causae Introductionem, die 25 Februarii anno 1982 factam, secuta sunt die 15 Octobris anno 1982 Decreta super non cultu et die 13 mensis Decembris anno 1985 super vi et auctoritate Processuum.

In Congressu Peculiari, die 18 mensis Decembris a. 1985 habito, Consultores Theologi agnoverunt Servam Dei Lauram Vicuña virtutes exercuisse heroum in modum.

Etiam Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 8 Aprilis anno 1986 acta, Ponente Causae Em.mo Cardinali Agnello Rossi, fassi sunt Servam Dei heroum more coluisse virtutes théologales, cardinales et adnexas.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super Servae Dei heroicis virtutibus rite appararetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto et Causae ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis Servae Dei Laurae Vicuña, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum publici fieret iuris inque acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 5 mensis Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

ROTA ROMANA

ALEXANDRIAE AEGYPTI

Nullitatis matrimonii (Barakat-Dadone)

Citatio edictalis

Cum ignoretur locus actualis commorationis d.ni Francisci Dadone conventi in causa de qua supra, eundem citamus ad comparendum aut per se aut per Procuratorem legitime constitutum coram Tribunali Rotae Romanae « Piazza della Cancelleria 1, Roma)) in diem 28 novembris 1986, hora nona, pro concordatione vel subsignatione sequentis dubii :

An constet de nullitate matrimonii, in casu, ob exclusum a viro convento bonum prolis.

Ordinarii locorum, Parochi et fideles, qui notitiam habuerint actualis commorationis praedicti domini Francisci Dadone, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur.

Die 22 Iulii 1986.

Hyginus Ragni, *Ponens*

Ioannes Verginelli, *notarius*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

24 giugno 1985. S. E. mons. Guido Del Mestri, Arcivescovo tit. di Tuscamia, Nunzio Apostolico, *Membro della Congregazione per i Vescovi.*

1 giugno 1986. S. E. mons. José T. Sánchez, Segretario della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, e P. José Salguero, O.P., *Membri del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali.*

16 » » S. E. mons. Vincentas Sladkevicius, Vescovo tit. di Abora e Amministratore Apostolico di Kaisiadorys, *Membro Vescovo diocesano della Congregazione per i Sacramenti.*

21 » » S. E. mons. Antanas Vaicius, Vescovo tit. di Sulletto e Amministratore Apostolico di Telsiai e Klaipéda, *Membro Vescovo diocesano della Congregazione per il Clero.*

9 luglio » S. E. mons. James Francis Carney, Arcivescovo di Vancouver, *Membro Vescovo diocesano della Congregazione per il Clero.*

8 » » Mons. Milan Simcic, *Sotto-Segretario della Congregazione per il Clero.*

14 » » I Signori: Antonio Alberti-Poja; Arnaldo Angelini; Silvio Golzio; Maria Luisa Paronetto-Valier; Vitaliano Rovigatti; Salvatore Zingale, *Membri effettivi della Consulta dello Stato della Città del Vaticano «in aliud quinquennium».*

6 agosto » Mons. Edouard Massaux, *Consultore della Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

11 » » I monsignori Ivan Peri e Giuseppe Baldanza, *Capi Ufficio nella Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

25 » » S. E. mons. Morkos Hakim, O.F.M. Vescovo di So'hag dei Copti, *Membro della Pontificia Commissione per la revisione del Codice di Diritto Canonico Orientale.*

ONORIFICENZE

Protonotari Apostolici soprannumerari:

22 luglio 1985. Mons. Santos M. de la Serna y Maningo (Cebú).
14 settembre » Mons. Albert Gabriel Dorélien (Port-au-Prince).

22 gennaio 1986. Mons. Carlo Jani (Roma).
4 marzo » Mons. Umberto Maria Ottolini (Grosseto).
17 » » Mons. Pietro Parducci (Pisa).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

16 giugno 1984. Mons. Thomas F. A. Brfady (Brooklyn).
» » Mons. Howard B. Basler (Brooklyn).
» » Mons. John J. Condón (Brooklyn).
» » » Mons. Achille J. D'Anca (Brooklyn).
» » » Mons. Vincent F. Fullam (Brooklyn).
» Mons. James P. Grâce (Brooklyn).
» » » Mons. James E. Gotimer (Brooklyn).
» » Mons. Robert M. Harris (Brooklyn).
» Mons. Edward W. Jolley (Brooklyn).
» » » Mons. Vincent A. Keane (Brooklyn).
» Mons. Francis X. Mulhall (Brooklyn).
» » » Mons. Walter C. Murphy (Brooklyn).
» » » Mons. Lawrence J. McAlister (Brooklyn).
» Mons. Edward J. McGinness (Brooklyn).
» » » Mons. James J. McKenna (Brooklyn).
» » » Mons. Edward W. Offenheiser (Brooklyn).
» » Mons. Anthony J. Praitano (Brooklyn).
» » Mons. Anthony F. Passarella (Brooklyn).
» » » Mons. Joseph C. Pfeiffer (Brooklyn).
8 luglio » Mons. Samuel L. Lombardo (Buffalo).
» » Mons. Alton J. LaRusch (Buffalo).
» » Mons. Francis V. Engl er (Buffalo).
» » » Mons. Maximilian A. Panczakiewicz (Buffalo)
» » Mons. Paschal L. Acquavia (Buffalo).
» » » Mons. George J. Brennan (Buffalo).
» Mons. Anthony J. Jasinski (Buffalo).
» » Mons. William G. Stanton (Buffalo).
» » » Mons. Joseph J. Hassler (Buffalo).
» » Mons. Arnold J. Schneider (Buffalo).
» » Mons. Thomas J. Beasley (Buffalo).
» » » Mons. Francis Braun (Buffalo).
» » » Mons. Gerald L. Green (Buffalo).
» » » Mons. Francis B. Juchnowski (Buffalo).
» » Mons. William A. Schwinger (Buffalo).
» » » Mons. Paul J. Whitney (Buffalo).
» Mons. Antoine P. Attea (Buffalo).
» » Mons. Maximilian M. Kozminski (Buffalo).
» » Mons. James F. Campbell (Buffalo).
8 settembre 1985. Mons. Jvan Pavkovic (Krizevci).
29 » » Mons. Stanislaw Paras (Czestochowa).
16 dicembre Mons. Thomas Bartley (Down and Connor).
» » » Mons. Robert Murphy (Down and Connor).
11 gennaio 1986. Mons. Hartmut Wahl (Würzburg).
U » Mons. Enzo Rossi (Alatri).

14	gennaio	1986.	Mons. Luigi di Lelio (Alatri).
»	»	»	Mons. Filippo Frasca (Alatri).
24	»	»	Mons. Guido de Jesús Urbina Gélvez (Nueva Pamplona).
6	febbraio	»	Mons. Rudolph Lurney (Saskatoon degli Ucraini).
»	»	»	Mons. Casimir A. Kucharek (Saskatoon degli Ucraini).
28	»	»	Mons. Carlo Ponticelli (Napoli).
»	»	»	Mons. Ciro Genio (Napoli).
»	»	»	Mons. Salvatore Maglione (Napoli).
»	»	»	Mons. Umberto Tramma (Napoli).
6	marzo	»	Mons. Giovanni Battista Daidone (Acireale).
12	»	»	Mons. Michael O'Flaherty (Kerry).
26	»	»	Mons. Thomas Waldron (Tuam).
7	aprile		Mons. Hugh Cletus Elhatton (Saint John - N. B.).
9	»	»	Mons. Carlo Maria Vigano (Pavia).
»	»	»	Mons. Francisco Vives Nunez (Opus Dei).
»	»	»	Mons. Mario Lantini (Opus Dei).
»	»	»	Mons. Tomás Gutiérrez Calzada (Opus Dei).
	»	»	Mons. Amadeo De Fuenmayor Champin (Opus Dei).
14	»	»	Mons. Giuseppe Merisi (Milano).
»	»	»	Mons. Francesco Coccopalmerio (Milano).
18	»	»	Mons. Algirdas-Kazimieras Gutauskas (Vilna).
25		»	Mons. Romeo Caselgrandi (Carpi).
28	»	»	Mons. Giovanni Battista Romanazzi (Monopoli).
30	»	»	Mons. Marc Michaudville (Mont-Laurier).
»	»		Mons. Guy Beausoleil (Mont-Laurier).
»	»	»	Mons. Jean-Guy Brière (Mont-Laurier).
»	»	»	Mons. Jacques Fortier (Mont-Laurier).
5	maggio	»	Mons. André Boissonnet (Montauban).
12	»	»	Mons. Salvatore Borg (Gozo).
17	»	»	Mons. Alfredo Amistoso (Borongan).
26		»	Mons. Ettore De Marinis (Chieti).
»	»	»	Mons. Francesco Di Felice (Atri).
»	»	»	Mons. Ermenegildo Camozzi (Bergamo).
4	giugno	»	Mons. Kazimierz Myszkowski (Ohelmno).
17	»	»	Mons. Kazimieras Dobrovolskis (Vilkabiskis).

NECROLOGIO

2	agosto	1986.	Mons. Ricardo Bianco Granda, Vescovo tit. di Oincari.
4	»	»	Mons. Nerses Tayroyan, Arcivescovo tit. di Militene degli Armeni.
5	»	»	Mons. Arthur Douville, Vescovo emerito di Saint-Hyacinthe *(Canada).*
11	»	»	Mons. Edoardo Pecoraio, Arcivescovo tit. di Cuma.
13	»	»	Mons. Pius Benincasa, Vescovo tit. di Buruni.
25	»	»	Mons. Joseph Ludwig Buchkremer, Vescovo tit. di Aggaz.

An. et vol. LXXVIII 1 Octobris 1986 N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

PORTUS IGUASSUENSIS

Detractis nonnullis territoriis, seu « Departamentos » e dioecesi Posadensi, in Argentina, nova dioecesis conditur « Portus Iguassuensis » cognominanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Abeunt alterna vice anni et saecula ; interim autem Ecclesia Christi verbis nixa : « Euntes ergo in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae... *(Mc* 16, 15), creditum opus sine intermissione conficit in animorum salutem : qui enim crediderit et baptizatus fuerit, is salvus erit (cf. *ib.).* Quae est etiam causa cur Nos, Petri locum obtinentes, ea omnia agamus, quibus, quantum in Nobis est, sancta Christi religio «currat et clarificetur» *(II Thess.* 3, 1). Cum ergo Venerabilis Frater Georgius Kemerer, Episcopus Posadensis in finibus Argentinae, audita Conferentia Episcoporum eiusdem Nationis, ab hac apostolica Sede petierit, ut, diviso suae dicionis territorio, nova constitueretur dioecesis : id enim plurimum ad regionem vulgo « Misiones» evangelizandam conferre posse; Nos, post auditam sententiam Venerabilis Fratris Ubaldi Calabresi, Archiepiscopi tituli Fun-

dani eiusdemque Apostolici Nuntii in Argentina, remque qua oporteret consideratione reputatam, haec statuimus. A dioecesi Posadensi territoria civilium regionum seu Departamentos separamus, quorum sunt nomina: Eldorado, General Manuel Belgrado, Iguazú, Montecarlo, San Pedro et Guaraní, exceptis tamen territoriis municipii cui nomen San Vicente, et portione territorii municipii El Soberbio, ad occidentem fluminis eiusdem nominis sita, quae dioecesi Posadensi adnexa manent, quamvis intra fines regionis seu Departamento vulgo Guaraní pateant. Ex his autem omnibus terris novam dioecesim constituimus, *Portus Iguassuensis* appellandam, cuius Sedes episcopalis in urbe vulgo Puerto Iguazú ponetur, templum vero cathedrale illud erit quod est B. M. V. de Carmelo dicatum, facti nempe iuribus atque privilegiis talium templorum propriis. Eam praeterea subicimus tamquam suffraganeam Sedi metropolitanae Corrientensi, cuius sacro Praesuli erit Episcopus Portus Iguassuensis obnoxius. Episcopus modo constitutae dioecesis Collegium Consultorum condat in auxilium sibi in commodumque animorum; congruae autem ac dignae Episcopi sustentationi provideatur Curiae emolumentis, fidelium collationibus, et bonorum portione quae dioecesi Posadensi erant, iuxta can. 122 C.I.C. Ad Seminarium quod attinet, atque sacrorum alumnorum formationem, serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis atque regulis sacrae Congregationis pro institutione catholica. Suo vero tempore alumni qui fuerint optimi Romam mittantur studiis philosophicis atque theologicis erudiendi; item sacerdotes qui studia sua complere debeant; hi omnes Pontificio Collegio Pio Latino Americano excipiantur. Regimen novae dioecesis, electio Administratoris dioecesani, sede vacante, fidelium iura et onera, hisque similia, Iure Canonico temperen tur adamussim. Simulatque praeterea dioecesis Portus Iguassuensis constituta fuerit, eo sacerdotes illi Sedi censeantur adscripti, ubi ofiicium ecclesiasticum habeant; ceteri vero sacerdotes Seminariisque tirones, ei in cuius territorio legitimum habeant domicilium. Ultimum, documenta et acta ad novam circumscriptionem spectent, ad Curiam eius mittantur, ibique religiose serventur, in archivo rerum religiosarum. Ceterum, Venerabilem Fratrem Ubaldum Calabresi, cuius mentionem fecimus, ad haec omnia ad exitum deducenda legamus vel quem ipse delegent, factis nempe iustis facultatibus rei gerendae. Re vero acta documenta exaranda curabit, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis cito mittet.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 118.873.

II

SREVEPORTUENSIS

Nonnullis distractis territoriis a dioecesi Alexandrina-Sreveportuensi nova conditur dioecesis Sreveportuensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pro grege sibi credito sollerti vigilans studio, quo aptius animorum saluti consuleret, Venerabilis Frater Villelmus B. Friend, Episcopus Alexandrinus-Sreveportuensis, audita Conferentia Episcopali Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, ab hac Apostolica Sede petivit ut, suae ecclesiasticae circumscriptionis territorio dismembrato, iam nova dioecesis constitueretur. Probe enim Nos scientes id in animarum bonum esse cessurum, expostulationi esse concedendum arbitramur. Itaque de consilio Venerabilis Fratris Pii Laghi Archiepiscopi titulo Maurianensis atque in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis Pro-Nuntii Apostolici, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi pro Episcopis praepositorum, vi et potestate Nostra apostolica haec quae sequuntur statuimus. A dioecesi Alexandrina-Sreveportuensi territorium separamus Comitatuum, quorum sunt nomina vernáculo sermone : Caddo, Bossier, Webster, Claiborn, Lincoln, Union, Morehouse, West Carroll, De Soto, Bienville, Jackson, Ouachita, Richland, Red River et Sabine ; quibus novam dioecesim *Sreveportuensem* appellandam condimus, cuius scilicet fines erunt iidem, quibus memorati Comitatus simul sumpti circumscribuntur. Novae **Ecclesiae** sedem in urbe Shreveport collocamus, templumque ibidem situm Sancto Ioanni Berchmans dicatum,

honore ac dignitate Ecclesiae cathedralis honestamus. Recens conditam dioecesim suffraganeam facimus archidioecesis Novae Aureliae eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Novae Aureliae pro tempore subicimus. Mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta, fidelium stipes, pars bonorum quae novae dioecesi e divisis bonis dioecesis Alexandrinae-Sreveportuensis provenient iuxta canonem 122 C. I. C. Episcopo autem pro tempore Sreveportuensi debita .iura damus atque obligationes imponimus quae ad residentes Episcopos pertinent. Consultores dein deligantur dioecesani ad iuris normam, qui ipsi Episcopo assint opera atque consilio. Ad sacrorum tironum formationem quod attinet, serventur praescripta iuris communis, spectatis autem normis Decreti Concilii Vaticani II <(Optatam totius » et regulis a Congregatione pro Institutione catholica statutis. Simul atque novae dioecesis Sreveportuensis constitutio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes illi Ecclesiae censeantur adscripti in cuius territorio beneficium vel officium ecclesiasticum legitime habeant; reliqui vero sacerdotes, clerici, seminarii alumni ei, in cuius territorio legitime habeant domicilium. Quod ad novae dioecesis regimen spectat necnon ad bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, ad electionem, ad fidelium iura aliaque huius generis, adamussim serventur quae sacri canones praescribunt. Documenta insuper et acta quae conditam dioecesim respiciunt, ad eius Curiam episcopalem mittantur, ibique custodiantur in archivo rerum religiosarum. Dioecesis Alexandrina-Sreveportuensis, immutato nomine, exinde Alexandrina cognominetur. Ad ea tandem explenda quae per has Litteras statuimus, Venerabilem Fratrem Pium Laghi deputamus, factis facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quemlibet virum, modo is sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Re denique ad exitum adducta, documenta conficiantur quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum die sexto decimo mensis Iunii anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi
In Secret. Status tab., n. 178.665.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servo Dei Isidoro De Loor a S. Iosepho e Congregatione Passionis Iesu Christi Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Praeclara illa aeternae sapientiae verba : ((Voluntas eius in iis qui simpliciter ambulant » *(Prov.* 11, 20) bene profecto in eos recidunt qui Deo, summo rerum auctori, evangelica humilitate accesserunt (cf. *Matth.* 11, 25) ; quos inter, pro certo habemus, annumerandus est venerabilis Dei Servus Isidorus De Loor, quem in sua Religione Fratrem Isidorum cognominarunt a S. Iosepho. Hic enim breve vitae aevum tanta simplicitate, pietate atque candore traduxit, ut omni genere virtutum cum christianarum, tum etiam religiosarum, mire floruerit. Si vero de eius vita quaeratur, natus est egregius hic vir in urbe Vrasene, quae est in dioecesi Gandavensi, in Belgis, die duodevicesimo mensis Aprilis, anno MDCCCLXXXI, ab Aloisio De Loor atque Camilla Hutsebaut, idemque sequenti die baptizatus est. Parentes autem christiana fide insignes, vitae genere agricolae, Isidorum, sic ut reliquos duos filios, ad iustum Dei timorem educarunt, hoc est : ad paroeciale templum frequentandum, ad preces pie fundendas, ad artem suam sereno corde exercendam. Post vero scholas elementarias celebratas vicini pagi S. Gillis, Isidorus ad primam Eucharistiae Communionem admissus est, fortasse feria V ante hebdomadam dominicae a Passione Christi, anno MDCCCXCII; ad Confirmationem vero, die quinto et vicesimo mensis Maii, anno MDCCCXCIV. Strenuus ac fortis iuvenis mature coepit patri adesse in agriculturae operibus; quin, quo paternis agris colendis aptior fieret, vespertinis horis acroases de re rustica audiebat, magno sane fructu. Ceterum, . cum naturae sensu raperetur, laeto semper gaudio praedia petebat, interdum conditoris Dei laudes canente anima. Nimirum Isidorus sacramenta iam saepius excipiebat, quam ut consuetudo eius aetatis ferret; orationi instabat ; dies festos sanctius agebat, utpote qui saltem bis Missae sacro interesset, et ad sanctuarium Gaverlandense, Christi Matri dicatum, saepe pergeret peregrinator assiduus. Neque conceptum pectore ignem in se uno condebat, sed cum aliis communicare certabat,

maxime per religiosam institutionem : fuit enim christianae doctrinae ludi magister insignis sive Vrasene, sive etiam in pago S. Gillis ; atque in utroque loco dante Deo gregem puerorum ad se convertit, quorum indolem ac naturam penitus noscens, mentes ad Dei praecepta conformabat. Quamquam autem procedente aetate gliscebat in illo studium adipiscendae perfectionis seque Deo devovendi, nequiit tamen ante id consequi quam frater eius germanus minor natu a militia domum rediit. Qua profecto occasione, P. Bouckaert e O. SS. R. ab eo in consilium adhibitus, cum boni iuvenis ingenium tenerrimamque pietatem erga Redemptorem cognovisset, Congregationem Passionis Iesu Christi ei amplectendam suasit. Itaque venerabilis Dei Servus, mense Aprili, anno MDCCCCVII, Ere, in dioecesi Tornacensi, est novitatum ingressus, ut fratrem coadiutorem ageret; atque die octavo mensis Septembris, eodem anno, vestem Passionistarum propriam induit. Confecto vero cum laude unius anni curriculo, sic ut lege cautum erat, die tertio decimo mensis Septembris, anno MDCCCCVIII, ad ius illius temporis vota religiosa nuncupavit, tribus usitatis addito quarto, videlicet « promovendi pro viribus religiosum cultum et gratam memoriam Passionis D. N. I. C. » iuxta Regulas S. Pauli a Cruce, quod est votum Congregationis Passionis Iesu Christi praecipuum. Ceteroquin, Isidorus, ad promissum illud omnino respiciens, religiosam vitam totam exegit, ea adimplendo in corpore suo, quae Christi Passioni deessent, pro corpore Eius, quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24). Quare, humilibus officiis fungens fratrum coadiutorum propriis, fuit ordine : coquus, olitor, ostiarius, et interdum etiam rogator. Spiritu praeterea imbutus conditoris sui mero, fugacem aetatem egit prorsus orationi intentus, in solitudine ac silentio ; ac tam perfecte se ad summi Numinis voluntatem conformabat, ut palam <(frater a Dei voluntate)) diceretur. Quod profecto tum maxime patuit, cum anno MDCCCCXI dextrum oculum cancro captum heu ! amisit. Qua occasione crucem suam fortissime sustulit, volenti Dei omnino adhaerens. Ceterum, anno MDCCCCXII, mense Augusto, ad pagum Kortrijk missus est, qui est in dioecesi Brugensi, ibique, in coenobio scilicet suae Congregationis ac tranquillitatis pienissimo, ad mortem usque vixit, primum coquum, deinde ostiarium agens. Gradiebatur interim egregius Dei famulus per omnium virtutum gradus, ob perfectum erga Regulam ac Moderatores obsequium insignis, ac desiderio inserviendi fratribus animasque lucrandi. Neque tamen ibi diu vixit : cum enim late spatienti cancro etiam pleuritis accessisset, re desperata, vix post mensem in

immortalem patriam sereno occasu inmigravit, ceu flos recisus, die sexto mensis Octobris anno MDCCCCXVI, amplius quinque et triginta annos natus, primo omnium nationum bello circum furente. Simplex autem fortisque Dei famulus signum factum est « quod omnia Ecclesiae membra ad officia vocationis christianae impigre adimplenda efficaciter attrahere potest ac debet)) *(Lumen gentium,* 44). Cuius cum fama sanctitatis in dies longe lateque manasset, multaque prodigia a Deo patrata, eo deprecante, dicerentur, turbis ad eius sepulcrum undique accurrentibus, in Brugensi Curia Processus ordinarii, annis MDCCCCL-MDCCCCLII, instructi sunt. Post haec, die nono mensis Novembris, anno MDCCCCLX, Causa a decessore Nostro f. r. Ioanne XXIII introducta est; atque per annos MDCCCCLXI-MDCCCCLXIII Processus Apostolici in eadem Curia acti. Praeterea, post iustam rerum disceptationem apud Congregationem pro Causis Sanctorum, factum a Nobis decretum est, idemque die decimo secundo mensis Iulii, anno MDCCCCLXXXIV rite vulgatum, quo ediximus Venerabilem Isidorum De Loor heroum more exercuisse virtutes ; ad miracula vero quod attineret eius intercessione patrata, unum sufficere ad eius beatificationem decrevimus : sanationem videlicet Irenes Ottevaere De Zaeytyd ab epatite fulminanti, quam dicunt, subitaneam, perfectam, perpetuam; quam ceu verum miraculum haberi oportere die decimo altero Ianuarii, anno hoc, affirmavimus. Hodie ergo, quem diem ad sollemnem beatificationem cum Isidori, tum etiam Friderici Albert, Clementis Marchisio, Raphaëlae Ybarra dixeramus, Romae, in foro S. Petri, turba ingenti fidelium circumstante, per Sacrum haec sollemnissima verba protulimus : ((Nos vota Fratrum Nostrorum Anastasii Alberti Ballestrero, Archiepiscopi Taurinensis, Aemilii-Iosephi De Smedt, Episcopi Brugensis, Aloisii de Larrea y Legarreta, Episcopi Flaviobrigensis, nec non plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Fridericus Albert, Clemens Marchisio, Isidorus De Loor et Raphaela Ybarra, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Friderici Albert, die tricésima Septembris, Clementis Marchisio, die sexta decima Decembris, Isidori De Loor, die sexta Octobris, Raphaëlae Ybarra die vicesima tertia Februarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Simul vero statuimus ut quae gessi-

mus sancta sint ac rata habeantur nunc et in posterum, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Septembris, anno Domini MDCCCCLXXXIIII, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco gj! Sigilli
In Secret. Status tab. n. 142.288.

II

Venerabili Famulae Dei Verginiae Centurione Bracelli Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Ii, qui in saeculo vivunt, « ibi a Deo vocantur, ut suum proprium munus exercendo, spiritu evangelico ducti, fermenti instar ad mundi sanctificationem velut ab intra conferant, sicque praeprimis testimonio vitae suae, fide, spe et caritate fulgentes, Christum aliis manifestent » *(Lumen gentium,* 31). Haec ipsa, quae quidem in universum de laicorum vocatione sunt enuntiata, satis constat tot iam saecula in Ecclesia reapse ad effectum ab innumeris viduis adducta esse. Illae enimvero, auribus Deo vocanti datis, non modo ad Christum hominibus vita et opere manifestandum quam maxime contulerunt, verum etiam ad sanctificationem mundi suique ipsarum elaborandam : tum domum suam pie regentes et mutuam vicem parentibus reddentes, tum in Deum sperantes necnon obsecrationibus orationibusque nocte ac die instantes (cf. *Tim* 5, 4-6). Quoniamque earum in numero iam nunc est Famula Dei Verginia Centurione Bracelli sine dubio habenda, quae et omnia sua dedit sicut dilaudata in Evangelio pauper vidua et eodem ducta spiritu totam vitam sancte se gessit, de ea idcirco maxime dataque opera placet hic loqui. Genuae nata est a coniugibus Georgio Centurione ac Laelia Spinola, antiquo nobilique eiusdem urbis genere, die II mensis Aprilis anno MDCXXXVII, duobusque post diebus illic abluta est aquis baptismi. Cumque firma ac germana pietate inde a principio instituta esset, cito puella ad vitam monasticam se propensam praebuit, sed ad severiorem patris voluntatem omnino necesse fuit ut quindecim vix annos nata

iuveni nuberet Gaspari Bracelli, qui etiam si egregiis natus erat maioribus, tamen in voluptates procumbere solitus erat et in ludos. Instiusmodi namque vitia, inito matrimonio, etiam extrinsecus prodierunt celerius, eoque — pro dolor ! — perventum est ut prorsus pessumdatus quinque annorum spatio se confecerit, idque domo procul, in ultimo positus vitae discrimine. Tunc magnus Verginiae animus fulgere coepit. Quae enim vehementi dulci indulgenti amore maritum prosequi numquam destitit, ei potissimum affuit ad mortem accedenti, eiusdem animum adeo tractavit, ut, aliquid etiam doloris laxando, eum ipsum cum Deo benignissimo unoque omnium Servatore penitus r econcilia veri t. Quo mortuo, Verginia, viginti annos nata, irrevocabile .nuncupando castitatis votum Deo se totam devovit atque in perpetuum. Secundis firmiter reiectis nuptiis sibi a patre subiectis, se ad precationem contulit et ad paenitentiam, duabusque filiis educandis operam dedit, quas in matrimonio suo genuerat. Vacuum autem tempus apostolatui ab eiusmodi vidua tribuebatur, de quo postea, filiabus collocatis, omnis adhibita est cura. In primis nimirum « Opus de egentibus templis rusticis » sedulo aggressa est, ocius vero, ad pauperes animum et operam convertendo, quattuor condidit scholas pueris ad rectos mores instituendis et labore exercendis; deindeque et senibus et aegrotis prospicere coepit; denique ob belli calamitates, ob subsequentes annonae difficultates et ob pestíferas contagiones, profugis aliisve quoquo damno affectis in urbem Genuam redundantibus, illa serva Dei, ad immensum augendo caritatem suam, mulieres ((Auxiliares Dominarum Misericordiae » instituit easdemque rite gubernavit. Posthac etiam ((Centum Dominas Misericordiae, Christi Pauperum Custodes » comparavit, quae egenis astarent in domibus eorum. Eaque insuper, « Domina Misericordiae » merito electa, haud praetermittebat pro sua consuetudine ultimas suburas invisere, illas conscendere actuarías miseris onustas in servitium ductis; seque in valetudinarium immittebat, ubi et Evangelium docebat et catechesim impertiebat et mariani rosarii preces cum populo fundebat. Eius quoque auctoritas apud civiles et ecclesiasticas Potestates, quas dividere parvulae causae consueverant, magni habebatur. Feliciter curavit ut Genuae Regina B. V. M. declararetur ; seseque in id interposuit, ut Ianuensis Archiepiscopus « pium XL horarum ritum » institueret, utque « Missiones pro populo)) illic praedicarentur eiusque rei causa missionarii S. Caroli conderentur; ipsisque contrariis ibidem factionibus tunc inter se odium habentibus exstitit pacis nuntia. Haec omnia bene gesta veluti eodem vergentia

paulatim factum est in summa ut in « Opus Refugii » tandem aliquando confluerent, quod ortum est deinde ad receptaculum puellis derelictis ac periclitantibus idoneum comparandum. Easdemque tamen Verginia in domum suam prius recepit, postea autem frequentiores factas in aedem deduxit conducticiam, deincepsque alia in aedificia, ad id usque tempus, quo suam aedificavit domum, quae et domus princeps novi Instituti « Sororum Dominae Nostrae a Refugio » appellati est facta; et adhuc ambae ex eo serius exortae Congregationes supersunt, quarum altera Genuae sedem habet nomine « Sorores Dominae Nostrae a Refugio in Monte Calvariae », altera, seu « Filiae Dominae Nostrae ad Calvariae Montem », Romae sedem habet. Serva Dei, quam summatim commemoravimus, die xv mensis Decembris anno MDCLI Genuae de hac vita decessit, et quidem desideratissima tum ab omni populo, tum ab ipso venerabili Stephano Durazzo, Archiepiscopo Ianuensi bo. me., qui tamquam adiutricem optimam eam in pastorali regimine habuerat. Etsi post mortem fama sanctitatis ab eius memoria numquam disiuncta est, vix tamen in Archidioecesi Ianuensi die xv mensis Decembris anno MCMXXXI informativus quem dicunt inchoatus est processus Causae Beatificationis ordinarius, qui est ad annum MCMLVII productus; quo ipso anno et de introducenda Causa Decretum die xx mensis Ianuarii tandem editum est. Deinde igitur, super herois Famulae Dei virtutibus apud Congregationem pro Causis Sanctorum recognitione instituta atque disceptata, non modo ipsi Consultores Praelatique in Congressum die xvin mensis Octobris congregati anno MCMLXXXIII, sed venerabiles etiam Patres Cardinales die xx mensis Martii insequenti anno, Coetu Congregationis Ordinario eiusdem rei causa celebrato, proposito de eiusmodi virtutibus dubio ((affirmative » responderunt. Cuius optati exitus certiores facti, Nos, qui commune Patrum Cardinalium votum ratum habuimus, libenter die VII mensis Aprilis anno MCMLXXXIV declaravimus Servam Dei Verginiam Centurione Bracelli christianas virtutes re vera heroum in modum coluisse. Ad signum praeterea quod attinet extraordinarium, quo opus est ad beatificationem, sanatio proposita est, quae, Famula Dei intercedente, divinitus patrata dicebatur, seu sanatio Sororis Dominicae Cabutto. Haec enim Religiosa, invocata tali Serva Dei, ipso die xviu mensis Novembris anno MCMLI Genuáe celerrime et perfecte et penitus a graviore sanata est inflammatione vulgo ((meningite tubercolare » nuncupata, ab aliisque id genus corruptionibus corporis. Quare, cum periti ac peritiores agnovissent

eiusmodi sanationem praeter leges naturae factam esse, in id et Patribus Cardinalibus omnino consentientibus, die vi mensis Iulii anno MCMLXXXV Nostro Decreto ediximus memoratum miraculum, venerabili Verginia Centurione Bracelli intercedente, a Deo patratum esse. Cumque in votis esset ut, Nobis hoc ipso anno Genuam peregrinantibus Apostolicae Visitationis causa, illic, ubi Serva Dei nata est extremumque effudit spiritum, etiam sollemnis eius beatificatio peropportune conficeretur, Ipsi proinde hodierno praestituto die mane in Ianuensi maxima Area a Victoria appellata, ingenti adstante cleri ac populi multitudine, inter Sacra sub diu hanc beatificationis formulam elocuti sumus : « Noi, accogliendo il desiderio dei nostro fratello Sua Eminenza il Cardinale Giuseppe Siri, Arcivescovo di Genova, di molti altri Fratelli nell'Episcopato, e di molti fedeli, dopo avere avuto il parere della Sacra Congregazione per le Cause dei Santi, dichiariamo, con la Nostra Autorità apostolica, che la Venerabile Serva di Dio Virginia Centurione Bracelli, può essere d'ora in poi chiamata Beata e che si potrà celebrare la sua festa, nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno, il 15 dicembre, giorno della sua nascita al cielo. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo ». Quae igitur per has Litteras constituimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis nihil obstantibus.

Datum Genuae, sub anulo Piscatoris, die xxu mensis Septembris, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

& AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 16Jf.866.

III

Venerabili Dei Servo Iosepho Mariae Rubio Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Christus Dominus, Pastor bonus (cf. *Io* 10, 11 s.), quem Pater sanctificavit et misit in mundum (cf. *Io* 10, 36), missionem suam sacerdotalem in Ecclesia perpetuare voluit et sacramentum ordinis propterea instituit. Presbyteri proinde, muneris unici Mediatoris Christi (cf. *1 Tim* 2, 5), in suo cuiusque gradu

ministerii participes effecti, omnibus verbum divinum annuntiant, personam Christi agentes sacrificium Missae offerunt, pro fidelibus paenitentibus vel aegrotantibus ministerio reconciliationis et allevationis funguntur, familiam Dei, ut fraternitatem in unum animatam, colligunt (cf. S. Cyprianus, *Epist.* 11, 3) et per Christum in Spiritu ad Deum adducunt. In verbo demum et doctrina laborant (cf. *1 Tim* 5, 17), credentes quod in lege Domini meditantes legerint, docentes quod crediderit, imitantes quod docuerint (cf. *Lumen gentium,* n. 28). Sanctitatem ergo propria ratione consequuntur Presbyteri munera sua sincere et indefesse in Spiritu Christi exercentes *(Presbyterorum ordinis,* n. 13). Gaudet autem Mater Ecclesia quod in sinu suo non pauci fuerunt Presbyteri qui saeculorum decursu, in humili saepe et abscondito servitio praeclarum sanctitatis specimen reliquerunt. Quorum laus est in Ecclesia Dei (cf. *Lumen gentium,* n. 41). Quibus eximiis viris absque dubio adnumerandus est Iosephus Maria Rubio, Presbyter e Societate Iesu, qui nostra aetate splendidum praebuit exemplum vitae et ministerii sacerdotalis. Natus et baptizatus est Dei Famulus die xxn Iulii anno MDCCCLXIV, in pago Dalias (in finibus Almeriensibus, in Hispania), primogenitus e tredecim filiis agricolae Francisci Rubio et Mercedis Peralta, qui prolem inde ab infantia spiritu christiano imbuerunt. Anno MDCCCLXXV Iosephus se Almeriam contulit ut studiis mediis ibidem vacaret, sed cum divinam vocationem pectore intimo ad sacerdotium perciperet, iam anno subsequenti Seminarium minus illius dioeceseos et post triennium Seminarium maius Granatense ingressus est, in quibus ob praeclarum ingenium, studiorum diligentiam morumque probitatem, omnium admirationem excitabat. Anno autem MDCCCLXXXVI, cum canonico Ioachimo Torres Asensio, theologiae professore et olim Concilii Oecumenici Vaticani I theologiae perito, qui eius tutelam acceperat, Matritum petivit, ubi, studiis demum absolutis, die XXIV Septembris anno MDCCCLXXXVII sacerdotio est auctus. Statim post receptam ordinationem sacerdotalem, Servus Dei in curam pastoralem animarum incubuit, primo in vico Chinchón, post biennium vero in pago Estremerà, et quidem tali cum sedulitate et sanctitatis splendore ut eius memoria in his locis adhuc magnam venerationem habeat. Anno MDCCCLXXXX, Matritum reversus, munera professoris in Seminario, cappellani Religiosarum Bernardinarum et Curiae notarii summa cum laude explevit. Iam autem a iuventute Iosephus voluerat quidem invitationem Domini sequi, qui eum ad vitam religiosam in Societate Iesu vocabat, sed sequens consilia prudentium

virorum et ipsorum quoque Superiorum Ordinis, statuerat exspectandum sibi esse donec canonicus Torres Asensio, qui senescens eius auxilio indigebat, e vivis cessisset; quo pie defuncto, novitiatum Societatis Iesu die xi Octobris anno MCMVI Granatae ingressus est et ibi, tirocinii tempore emenso, vota religiosa simplicia quidem sed perpetua die XII Octobris anno MCMVIII suscepit. Insequenti anno Hispali egregio modo moderatus est Marianae iuvenum Congregationi, Consociationi Sociorum Adorationis Nocturnae, necnon Communioni expiatoriae militum, Apostolatui Orationis, Conferentiis S. Vincentii a Paulo et scholae vespertinae pro operariis institutae; sed praesertim tempus indefesse insumpsit in frequentissimo ministerio confessionum sacramentalium et praedicationis, in quod sive in ecclesia proprii domicilii sive alibi magno cum fructu incubuit. Tandem, Tertia Probatione Manresae peracta, anno MCMXI nominatus est ((operarius » in Domo Professa Matritensi ubi, ministeriis, quae dicuntur, usque ad finem vitae functus est. Etiam in urbe principe Hispaniae Servus Dei quam maxime assiduus fuit in sacramentalibus confessionibus audiendis, in rectione spiritali exercenda, in Verbo Domini annuntiando. Sed simul quam plurimis aliis operibus pastoralibus tali cum exitu se dedidit, ut iure merito ((apostolus Matritensis » appellatus fuerit. Intentissima cura omnique qua potuit ope conatus est pauperum et derelictorum, quorum perplurimi tunc temporis in suburbiis inveniebantur, miseriam cum materialem tum spiritalem lenire. Quo id efficacius, universius et stabilius assequeretur, in plurimis viris et mulieribus cuiusvis aetatis et condicionis suscitavit religiosorum officiorum conscientiam, et post congruam formationem, eos sibi in operibus apostolatus adiunxit. Eodem consilio actus, pro viribus etiam sodalicia promovit quae ((Marias de los Sagrarios » et « de los Caballeros y de la Señoras de la Guardia de Honor » appellantur, et manus apposuit cuiusvis generis inceptis quae captivis, illitteratis et humana ope destitutis favebant. Dum autem dominici gregis necessitatibus tantopere providebat, Servus Dei simul erat « contemplativus in actione » seu vir altae orationis, qui cotidie ardenter adorabat Dominum sub speciebus eucharisticis latentem et teneram pietatem erga sacratissimum Cor Iesu ipse habebat et aliis inculcabat; immo ex hoc ardenti vitae interioris studio amor proximi profluebat et omnem industriam apostolicam spirituali afflatu et vera efficacia augebat. Nil mirum proinde si hic optimus sacerdos et religiosus iam tempore vitae fama sanctitatis floruit; quae post eius piissimam mortem, qua die n Maii anno MCMXXIX

in oppido Aran juez abreptus est, in dies magis percrebuit. Qua re, annis MCMXXXXV-MCMXXXXVII cum Processus Ordinarius apud Curiam Matritensem, tum Processus Rogatoriales Hispalensis atque Granatensis acti sunt. Die vero xxiu mensis Decembris anno MCMLII editum est Decretum de scriptis Servo Dei tributis, et die xxiu Ianuarii anno MCMLXin Decretum Introductionis Causae. Deinde, annis MCMLXV-MCMLXVIII celebratus est Processus super virtutibus in specie, et die XI mensis Aprilis anno MCMLXX prodiit Decretum de horum Processuum vi et auctoritate. Postea, cum apud Congregationem pro Causis Sanctorum in suetis coetibus de virtutibus Servi Dei disceptatum esset votaque tum Consultorum Theologorum tum Patrum Cardinalium faventia fuissent, Nos haec rata habuimus et per Decretum die XII Ianuarii propositum declaravimus Venerabilem Servum Dei Iosephum Mariam Rubio heroum more virtutes exercuisse. Denique, post instructum Processum canonicum et praescriptas medicorum, theologorum et Patrum Cardinalium disceptationes, sanationem puellulae Mariae Victoriae Guzmán Gaseo, tertium aetatis annum agentis, a septicemia cum gravissimo statu toxico-infectivo, precibus Iosephi Mariae Rubio tributam, Decreto die xxi mensis Martii anno MCMLXXXV vulgato ediximus miraculo effectam esse. Post haec omnia est statuta dies ad sollemnem Beatificationem celebrandam. Hodie igitur, in Basilica Vaticana Sancti Petri, hanc sumus inter sacra formulam elocuti : ((Nos, vota fratrum nostrorum Angeli Suquía Goicoechea, Archiepiscopi Matritensis, Felixberti Camacho Flores, Archiepiscopi Aganiensis, Aloisii Mariae De Larrea y Legarreta, Episcopi Flaviobrigensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Didacus Aloisius de San Vítores, Iosephus Maria Rubio et Franciscus Gárate Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali : Didaci Aloisii de San Vítores die secunda aprilis. Iosephi Mariae Rubio die secunda Maii, Francisci Gárate die nona Septembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Octobris, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £& Sigilli
In Secret. Status tab., n. 169.881.

IV

Beata Maria Virgo sub titulo « Virgen Bisila » confirmatur archidioecesis Malaboënsis caelestis patrona.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Continenter magna cum veneratione fideles Beatissimam Virginem Maria prosequuntur atque sollicitudines ad eam curasque deferre consuerunt. Nos quoque singulari erga ipsam permoti pietate, vehementer gaudemus si eiusdem laudes honoresque apud Dei plebem dilatantur. Eandem quidem rationem ineuntes, cum populus tum clerus Malaboënsis archidioecesis vera sanctaque religione Beatam Mariam Virginem sub titulo « Virgen Bisila » in sanctuario eodem nomine nuncupato colunt. His respectis rebus, efflagitavit Venerabilis Frater Raphael M. Nze Abuy Archiepiscopus Malaboënsis, ut Nos Caelestem Matrem, quam fideles sibi Patronam, se probante, delegissent, auctoritate Nostra apostolica comprobaremus, ad normam ((Instructionis de Calendariis Particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30. Nos, pro comperto quidem habentes omnia ad iuris praescripta esse acta, arbitrantes praeterea rem posse communitatis Malaboënsis fidem augere atque pietatem, animo quam aequissimo expostulationibus concedimus. Itaque, iis probatis quae Congegatio pro Cultu Divino de re statuit factis a Nobis facultatibus, placet Beatam Mariam Virginem sub titulo « Virgen Bisila » archidioecesis Malaboënsis caelestem patronam esse et haberi, cum iuribus atque privilegiis, quae hunc honorem consequi solent secundum rubricas, quibusvis contrariis non obstantibus. Denique, Mariam, Ecclesiae Matrem, pectore ab imo precamur ut populum tam earum sibique devotum Ipsa custodire velit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvi mensis Maii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco Sigilli
In Secret. Status tab., n. 172.881.

V

Maria Virgo ab omni peccati labe expers confirmatur Guineae Aequatorialis Patrona apud Deum.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Quanto obsequio quantaque veneratione Mariam prosequamur Christi Matrem Ecclesiaeque universae Reginam, iam ex omni Nostra tum vita tum loquendi agendique ratione patet : nihil enim agimus ex quo non etiam cum Dei Christique laude beatissimae Matris eius, floris camporum stellaeque lucidae caeli, spectemus honorem, cum sit clementissima illa Mater fons gratia profluens, atque exemplum filiis egregium virtutis. Qua re, cum Venerabilis Frater Raphael M. Nze Abuy, Archiepiscopus Malaboënsis idemque Conferentiae Episcoporum Guineae Aequatorialis Praeses, Nobis preces admovent, ut electionem B. M. V. Immaculatae in Patronam Guineae Aequatorialis, quam populus fecisset, ipse vero ceterique totius nationis Episcopi probavissent, ad normam Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30, confirmaremus; Nos, considerato omnia acta fuisse ad iuris praescripta, bene fieri censuimus, si optatis tum sacrorum Praesulum, tum fidelium concederemus. Haec cum ita sint, iis probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino hac de *re censuerit factis olim a Nobis facultatibus, sive electionem sive probationem confirmamus Beatae Mariae Virginis sub titulo Immaculatae Conceptionis in Patronam totius nationis Guineae Aequatorialis cum iuribus atque privilegiis debitis, certa spe fore ut non solum pietas populi illius amatissimi gliscat in pectoribus erga Matrem tam sanctam, sed etiam ut Illa e caelo filiis assit, a periculis prohibeat, iter illorum ad inmortalem patriam benevola muniat : nullus enim umquam peribit, si Matrem tantam dilexerit, respexerit Illa. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvi mensis Maii, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

& AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 177.169.

VI

Imago B. Mariae Virginis Perdolentis, quae in loco dioecesis Coslinensis-Colubregani v. d. Skrzatusz veneratur, pretioso diademate coronatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Polonus populus, sicut omnes noverunt, Beatissimam Virginem Mariam per saeculorum decursum peculiari veneratione est prosecutus, ut significanter ostendunt sacrae eius imagines in templis et in viis collocatae. Inter quas illa profecto annumeretur oportet gratiosa, quae in Ecclesia-sanctuario loci v.d. « Skrzatusz » collocata, a Christifidelibus sub appellatione Beatae Mariae Virginis Perdolentis veneratur religioso pientissimo cultu, caelestium gratiarum copiam precantibus sibi suisque. Qua animarum utilitate permotus certaque spe ductus futurum esse ut multiplicata erga Virginem Mariam obsequia in christianorum bonum cederent, petiit Venerabilis Frater Ignatius Jez, Episcopus Coslinensis-Colubreganus, cum suis sane cleri populique vota componens, ut facultas sibi daretur Nostro nomine et auctoritate imaginem illam pretioso diademate coronandi. Nos autem, collatis cum Congregatione pro Cultu Divino consiliis, eiusmodi precibus secundare voluimus. Hisce itaque Litteris auctoritateque Nostra apostolica, Venerabili Fratri quem diximus partes committimus imagini Beatae Mariae Virginis Perdolentis, in Ecclesia-sanctuario loci supra dicti servatae, pretiosam coronam Nostro nomine imponendi, iuxta ritus formulamque praescriptam. Confidimus sane Nos fore ut illius sanctuarii fideles totiusque dioecesis ad Dei Genetricem colendam magis magisque incitentur. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Iunii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

88 AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco (Ji Sigilli
In Secret. Status tab., n. 175.704.

VII

In Guineana Republica conditur Nuntiatura Apostolica.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Maximam de universa Christi Ecclesia curam agentes, Nos, qui in pastoralibus expediendis negotiis probatam huius Sanctae Sedis consuetudinem sequimur, libenter inter alia etiam in Nuntiaturis Apostolicis apud varias Nationes condendis operam Nostram ponimus, adeo ut per Legatos Nostros tum publicae amicitiae rationes apte confirmentur et in tuto ponantur, quae singulis Dicionibus cum Apostolica Sede intercedere coeperint, tum bonum religionis et civitatis commune magis magisque hic illic inter homines foveatur. Nunc igitur, cum Respublica Guineana et Sancta haec Sedes amicitiae vinculis inter se iam re coniungantur, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, quod ratum facimus, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce Litteris sueto more expeditis hac ipsa die Nuntiaturam Apostolicam instituimus in Republica Guineana necnon iura privilegia indulta ad eam quoque proinde deferimus, quae cuiusque huius ordinis Legationis sunt propria. Quod denique reliquum est, quae statuimus hisce Litteris Nostris, et volumus nunc et in posterum suos habere effectus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi mensis Iunii, anno Domini MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

© AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 119.026.

HOMILIAE

I

In Petriana basilica habita, ob decretos Beato Francisco Antonio Fasani Sanctorum caelitum honores.*

1. Nella liturgia dell'odierna domenica, che segue a breve distanza la Pasqua, risuona la breve domanda di Cristo risorto indirizzata a Simon Pietro. La domanda sull'amore: « Mi ami? ... mi ami tu più di costoro? ».[1]

Questa domanda appartiene al mistero pasquale. La risurrezione di Cristo orienta l'uomo verso ciò che « non muore », verso ciò che è più forte della morte. Ciò che permane eternamente. Che costituisce la sostanza stessa della immortalità. Che appartiene alla vita in Dio.

Proprio questo è amore.

Alla domanda di Cristo sull'amore, Simon Pietro risponde : « Certo, Signore, tu lo sai che ti amo ». E la terza volta « Signore, tu sai tutto ; tu sai che ti amo ».[2]

2. Non è una domanda facile quella sull'amore. E non è facile nemmeno la risposta a questa domanda.

Simon Pietro sa di amare, ma si richiama a ciò che Cristo conosce di lui, più che alla testimonianza della propria coscienza.

Non è facile per l'uomo questa domanda, e non è facile la risposta. Eppure si tratta di una domanda fondamentale. Dalla risposta dipende in definitiva il valore della vita umana. Davanti a Dio che è « Amore », il valore di tutto viene misurato con l'amore. Davanti a Cristo, che « ci ha amato e ha dato se stesso per noi »,[3] il valore della vita umana viene misurato soprattutto con l'amore : col dono di se stessi.

L'amore decide in definitiva della santità dell'uomo.

3. È di questo amore che ha dato prova esemplare il francescano conventuale Francesco Antonio Fasani, che oggi la Chiesa annovera ufficialmente nel numero dei Santi.

Egli ha fatto dell'amore insegnatoci da Cristo il parametro fonda-

* Die 13 m. Aprilis a. 1986.

[1] *Gv 21,* 15.

[2] *Ibid.* 21, 17.

[3] Cfr. *Ef* 5, 2.

mentale della sua esistenza. Il criterio basilare del suo pensiero e della sua azione. Il vertice supremo delle sue aspirazioni.

Anche per lui, la « domanda sull'amore » è stata il criterio orientatore di tutta la vita, la quale pertanto non è stata altro che il risultato di una volontà ardente e tenace di rispondere affermativamente, come Pietro, a quella domanda.

Con l'atto di canonizzazione or ora compiuto, la Chiesa stessa, oggi, intende rendere testimonianza a frate Francesco Antonio Fasani, attestando che egli ha veramente e sinceramente risposto di sì a quella cruciale domanda del Signore : una risposta che, prima ancora che dalle sue labbra, è venuta dalla sua vita, interamente dedicata a corrispondere, con eroica fedeltà, all'amore col quale Gesù lo aveva prevenuto dall'eternità.

Un amore, quello di Gesù, che — lo abbiamo ricordato nei giorni del Triduo pasquale — non si arrestò davanti al sacrificio supremo della vita. Un amore, quello di frate Francesco Antonio, di totale adesione all'esempio del Signore. U nuovo Santo ha dimostrato con la sua vita — come gli Apostoli — che sempre « bisogna obbedire a Dio piuttosto che agli uomini »,[4] anche al prezzo di sofferenze e di umiliazioni, che non gli mancarono, al di là della stima e dei consensi che la sua generosità seppe accattivarsi presso. i contemporanei. La sua letizia, pertanto — come quella degli Apostoli — era motivata dal fatto di soffrire e faticare per il Signore, quando non addirittura di ((essere oltraggiato per amore del suo nome ».[5]

4. San Francesco A. Fasani ci si presenta in modo speciale come modello perfetto di Sacerdote e Pastore di anime. Per più di 35 anni, agli inizi del 1700 egli si dedicò nella sua Lucera ma con numerose puntate anche nelle zone circostanti, alle più svariate forme del ministero e dell'apostolato sacerdotale.

Vero amico del suo popolo, fu per tutti fratello e padre, eminente maestro di vita, da tutti ricevuto come consigliere illuminato e prudente, guida saggia e sicura nelle vie dello Spirito, difensore e sostenitore coraggioso degli umili e dei poveri. Ne è testimonianza il riverente ed affettuoso titolo col quale lo salutarono i contemporanei e che è tuttora familiare al buon popolo di Lucera : egli, allora come oggi, è sempre per loro il « Padre Maestro ».

[4] *At* **5, 29.**

[5] **Cf** *At* **5, 41.**

Come Religioso, fu un vero ((ministro)) nel senso francescano, vale a dire il servo di tutti i frati : caritatevole e comprensivo, ma santamente esigente per l'osservanza della Regola, e particolarmente per la pratica della povertà, dando egli stesso inappuntabile esempio di regolare osservanza e di austerità di vita.

Pueris quoque curam adhibuit necnon caminorum purgatoribus, quibus omnibus una cum corporis adiumento bonum verbum et aeternarum veritatum eruditionem praebebat. Episcopus Segusiensis creatus, in episcopalibus aedibus sacellum aperuit ut pueris sanas animi relaxationes lususque offerret.

Anno 1855, peregrinus profectus est in pagum vulgo *Ars,* in Gallia, ibique cum S. Ioanne Maria Vianney collocutus est te, ab eo consensum et incitamentum ad ineundum suum officium apostolicum habuit.

Officia et munera ipsi concredita interea augebantur : anno 1863 designatus est carcerum cappellanus; anno autem 1866 ephebei urbis rector; ab anno 1869 ad annum 1871 moderator spiritus sororum S. Ioseph loci v. d. *Oulx;* anno 1874 seminarii dioecesani rector electus est. Apostolicis Litteris, die 15 Ianuarii a. 1878 Romae datis, Episcopus Segusiensis dioecesis promotus est.

Quemadmodum suae spiritus et mentis culturae studebat, scilicet oratione, meditationibus, sacrae doctrinae studio spiritualibusque exercitiis, quibus quotannis vel una cum clero dioecesis vel privatim incumbebat, ita etiam morum et litterarum institutionem clericorum necnon religionem populi fidelis curabat.

Sexies dioecesim pastor peragravit usque ad paroecias in monti-

bus valde dissitas ; adventus autem eius semper quasi cordium morumque renovationem secum ferre videbatur, eo quod verbum Pastoris ardenter appetebatur et christifideles ad sanctuaria confessionibus audiendis destinatis frequentes conveniebant.

Plane percipiens temporis necessitates et postulata tum religionem tum populi vitam spectantia, illis obviam ivit et plura apostolatus consilia cepit.

Pastorales litteras complures scripsit, et conventus clericorum promovit. Libris ephemeridibusque catholicorum typis imprimendis favit, dioecesanam etiam ephemeridem instituens; in ephemeride, quod vulgo inscribebatur « Corriere di Torino », commentaria scripsit societatibus opificum adiuvandis, catholicorum scholas strenue defendit suisque opibus suffulsit scholas, quas religiosi v. d. « Fratelli delle Scuole Cristiane » Segusii moderabantur. Contra grassantem Liberalismum, qui vocatur, Ecclesiae iura conculcantem, verbo et scriptis strenue dimicavit.

Domus eius semper omnibus patebat, praesertim sacerdotibus ex dissitis paroeciis Segusium adeuntibus, qui semper sibi apparatam mensam episcopi inveniebant.

Magnis calamitatibus in dioecesi ingruentibus, cholera morbo saeviente, incendiis, magnis imbribus niviumque molibus de monte devolutio vicos omnino subruentibus, opem ab aliis dioecesibus efflagitavit. Eodem modo, cum eadem calamitas alias regiones vexabat, auxilia petebat a dioecesanis suis fratribus subventurus. Etiam extra dioecesim pastoralis suae divitias navitatis impertiebat.

Anno 1888, cum interesset sacris ritibus diei festo S. Francisci Salesii apud sanctuarium B. Mariae Virginis Auxiliatricis, postremum animam agentem magnum amicum suum S. Ioannem Bosco vidit.

Ad puellas et adulescentes feminas derelictas adiuvandas, iam a primis sui sacerdotii annis, animum intenderat novum pro illis condere opus, quod die .15 Augusti a. 1862 ad exitum perduxit. Animadvertens autem quasdam puellas divino afflatu ad religiosam amplectendam vitam propensas, die 8 Decembris a. 1874 illas virgines primum sollemni ritu cultui divino sacravit. Anno 1882, cum septimum celebraretur saeculum a nativitate sancti Francisci Asisinatis, impertimus est benedictionem primae religiosae domui Instituti, cui nomen fuit ((Congregazione delle Suore di S. Francesco di Susa ».

Auctis in die vocationibus ad religiosam vitam, novas domos, ut derelictis puellis necnon senibus subveniret, condidit et aperuit, aegro-

tis domi degentibus auxilium suppeditavit, infantium scholas et pastorale opus apud paroecias instituit.

Die 2 Februarii a. 1903, ipse episcopali decreto approbavit, pro Segusiensi dioecesi, institutum suum, apparavitque illi constitutiones.

Seetator et fidelis imitator exstitit S. Francisci Asisinatis, praesertim paupertate et humilitate. Primo ortu dives, semper pauper vixit sponte et libenter. Quod ex apostolico munere lucrabatur, magna ex parte pauperibus elargiebatur. Bona paterna et familiaria conferebat ad acquirendam et renovandam v. dictam *Ritiro delle povere figlie* et ad alia instituta vel condenda vel fulcienda, ac numquam emendicare erubuit, ut sibi vestes compararet vel ut Romam « ad limina » peregrinare posset.

Insigne amoris erga SS. Eucharistiam et Deiparam Virginem claruit exemplar.

Cum, anno 1898, pervulgatum est propositum erigendi, pueris cunctae Italiae suam parvam stipem conferentibus, simulacrum aeneum, in perexcelso monte *Rocciamelone* B. Mariae Virgini, nive candidiori, dicandum, ut ipsa Italiae fines tueretur, Servus Dei incepto plausit et ardenter illi favit. Anno 1899 simulacri illius sacrae interfuit benedictioni, et egregie rem verbis extulit.

Senectutis incommodis ingravescentibus, mense Ianuario a. 1903, subita offensa ei significavit proximam fore ultimam horam.

Die 26 aprilis moratus est adhuc cum adulescentibus Segusiensis ephebei, dulcia quaedam dispertiens. Illorum puerorum praefecto : « Tibi — ait — iuvenes committo. Opus pulcherrimum, sanctissimum, praeclarum quod in vita efficitur; enitendum est omni ope, ut iuventus pie christiane educetur ». Hoc eius fuit testamentum.

Finis vitae iam impendebat. Die 2 Maii eodem anno 1903 expetivit Sacramentum Unctionis infirmorum necnon Sanctissimum Viaticum. Postridie mane sacerdotes, ultimam eius pastoralem benedictionem postulantes, cubiculum eius stipabant. Optavit ut *Te Deum* recitantur, cui laudis et grati animi hymno se coniunxit, remissa iam voce.

Dum versiculus « Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari » recitatur, extremum spiritum effudit et obdormivit in Domino, die 3 Maii a. 1903, septuaginta tres annos natus.

Anno 1919 corpus eius, quod die 15 maii 1903 conditum est in coemeterio urbis Segusii, sollemniter translatum est in ecclesiam

B. Mariae Virginis Immaculatae, quam ipse aedificaverat, prope domum v. d. ((Ritiro delle povere figlie ».

Fama eius sanctitatis in dies crebrescente, annis 1930-1939 in Segusiensi curia, Processus ordinaria auctoritate instructi sunt, Romamque transmissi. Die autem 28 Ianuarii a. 1944 editum est decretum super scriptis Servo Dei tributis, ac deinde die 26 Iulii a. 1953 Pius XII commissionem Introductionis Causae propria manu signavit. Processus apostolicus super virtutibus in specie annis 1956-1958 constructus est, et de validitate omnium Processuum die 5 octobris a. 1962 exiit decretum Apostolicae Sedis.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, quaestio agitata est apud hanc Congregationem pro Causis Sanctorum super virtutum heroicitate; et quidem primum, die 12 Decembris a. 1981, in Congressu Peculiari Patrum Consultorum; deinde, die 19 Novembris insequentis anni, in coetu Ordinario Patrum Cardinalium, ponente seu Relatore Em.mo et Rev.mo Cardinali Silvio Oddi, super dubio videlicet num Servus Dei Eduardus Iosephus Rosaz christianas virtutes heroum in modum coluisset.

Facta deinde de praemissis omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem die 29 Novembris a. 1982 et die 22 Martii a. 1986 relatione, Sanctitas Sua, ut decretum super heroicis virtutibus Servi Dei rite appararetur mandavit.

Hoc tandem die, ad se accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Silvio Oddi, causae ponente seu relatore, meque Secretario Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque adstantibus, Summus Pontifex sollemniter pronuntiavit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Eduardi Iosephi Rosaz, Episcopi Segusiensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in Acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 22 mensis Martii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. © S.

& Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

III

REMEN.

Canonizationis Servi Dei Fratris Arnoldi (in saec.: Nicolai Iulii Rèche), Religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum (1838-1890).

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum » *(Mt 2, 2).* Quicumque obviam Christo se dare vult et eius fieri discipulus potest Magos sibi proponere mira exempla ad imitandum; ii enim ad caeli arcana signa attenti, horum nuntium obsequenter acceperunt et prompte atque fidenter profecti sunt ad locum, ubi divinus erat Puer; ardenti studio moti perveniendi quo contendebant, lumen stellae sequi perrexerunt, incommoda et labores itineris nec timentes nec expavescentes. Et, quoniam qui quaerit, invenit (cf. *Mt* 7, 8), ad exitum spei venerunt.

Si quis verus Christi amicus fieri vult et assequi coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se (cf. *Iac* 1, 12), non sufficit ut alacriter semen verbi accipiat (cf. *Mt* 13, 20-21), sed ei opus sunt perseverantia, constans sedulitas, patiens exercitium in via perfectionis conficienda, quandoquidem « nemo mittens manum suam in aratrum et aspiciens retro, aptus est regno Dei » *(Lc* 9, 62), « qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit » *(Me* 13, 13).

Constantia boni et perseverantia Christum sectandi propriae fuerunt etiam vitae Servi Dei Fratris Arnoldi, qui a pueritia usque ad mortem, numquam destitit defixis oculis Iesum aspicere, fidei auctorem et consummatorem (cf. *Heb* 12, 2), in oboedientia eius praeceptis proficere et servire placens Deo cum reverentia et metu (cf. *Ib.,* 12, 28).

Servus Dei Frater Arnoldus natus est die 2 mensis Septembris anno 1838 in pago *Landroff,* intra fines dioecesis Metensis, a Claudio Rèche et Anna Clausset, probis piisque christianis, eique eodem die aquis baptismatis renato indita sunt nomina Nicolaus Iulius.

Pia et pura acta pueritia, per quam precationem et Virginem Mariam amare didicerat, opus obiit ut in victum conferret egenae familiae. Quam ob rem, ludis elementariis peractis, villae se locavit. Quamvis diligentissime in occupationes incumberet, saepe tamen paroeciam frequentabat et sacris celebrationibus intererat atque in Christianae doctrinae institutione assiduus erat, quam cognitam suos docebat aequales.

Anno 1851 primum ad sanctam altaris communionem accessit, et anno 1854 sacramentum accepit Confirmationis.

Unum et viginti annos natus auctoratus est tamquam raedarius prope quoddam castellum in loco *Raville Fouligny* domestico sermone appellato; postea operosam artem mulionis exercuit (annis 1859-1861) in aedificanda ecclesia Carlopolitana *(CJiarleville).*

Eo tempore alios in rebus spiritus progressus fecit. Maiore fervore coniunctionem coluit cum Deo, precationem, opera apostolatus. Quo firmius cor suum in Domino retineret, rigide vivebat et varias explicabat voluntarias paenitentias. Omnes magnam eius opinionem habebant, bonitatem eius indolis admirati, fidelitatem, simplicitatem, indefatigabilem laboris tractationem, obsequium in iussa, altam nec communem religionem.

Interim frequentare coeperat oratorium, quod dicunt, Fratrum Scholarum Christianarum; hicque in eo vocatio ad vitam consecratam maturuit et consilium vires impendendi in iuvenum educationem. Ita missam fecit operam aedificandae ecclesiae lapideae, ut ad struendam Ecclesiam viventem accederet, mysticum Christi corpus.

Allectus igitur proposito Sancti Ioannis Baptistae de la Salle, rogavit ut in Institutum Fratrum Scholarum Christianarum admitteretur. Die 13 mensis Novembris anno 1862 ingressus est novitiatum Theodonis Villae, et die 25 mensis Decembris eodem anno vestem religiosam sibi induit nomenque sibi sumpsit Fratrem Arnoldum.

In novum locum sese serene inseruit; quin a primo die ostendit se omnibus viribus sanctitatem appetere et Domino magnum dare amoris testimonium, cum cuperet impigre et sine intermissione praecepto evangelico respondere : « Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » *(Mt* 5, 48).

Fundamento nisus solido virtutum quas in saeculo erat adeptus, diem ex die prompte et cum delectatione sua munia est exsecutus, sicque patienter et humiliter mirum spirituale aedificium excitavit. Novimus iam per novitiatum vitam eius visam esse continuam deprecatio-

nem, ignem ardere non desinentem, splendidum fidelitatis erga Regulam exemplum.

Die 19 mensis Septembris anno 1863 vota annua nuncupavit, quae sedulo quotannis iteravit usque ad annum 1963, cum vota trium annorum suscepit; denique perpetuam professionem fecit die 6 mensis Septembris anno 1871.

Lutetiae Parisiorum, anno 1868, magistri diploma est assecutus. Primum ei delegatum munus, officium fuit professoris in ephebeo Remensi (annis 1863-1877). Cum haud dubia et solida intellegentia praeditus esset, non tamen ingenium denotavit aptum ad docendum; inhabilis namque erat iniungendae alumnis disciplinae. Verum ad officium suum summa cum cura se contulit et constanti utilitatis suae derelictione, atque ad studium noctu quoque se applicabat. Quando autem religionem et Christianam doctrinam docebat, alumni capiebantur et eius amabilitate atque fervore, quo ardescebat, se formari sinebant. Dicere solebat : « Deus vult nos ab omnibus abstrahere rebus, etiam a felici nostri ministerii exitu » ; hinc tacitus dolebat et scholas pergebat praeparare perinde ac si auditores silentio audirent.

Admirabili sedulitate et industria militibus aegrotis assedit bello Gallico et Borussico annis 1870-1871.

Etsi saepe dixerat se pusillum hominem esse, non idoneum ad se regendum, attamen anno 1877 ei creditum est grave munus Rectoris Novitiatus oppidi *Thillois* lingua vernacula vocati, cuius sedes inde est Remos traducta. Oboedivit <(ne gratiis caelitus acceptis impedimento esset » ; fuitque magister spiritus peritissimus et valentissimus, cum virtutum suarum exemplo emineret, quae virtutes referebant quas eius Instituti sanctus Fundator exercitaverat. Firmiter, benigne, humiliter novitios ad vitam religiosam formavit, aptiorem se reddens ad suum munus explendum studio optimorum spiritualitatis Christianae scriptorum. Cotidianae eius catechismi institutiones, orationes, privo ta colloquia, indicaverunt illum esse prudentem educatorem, qui non solum soliditate doctrinae, perspicuitate expositionis et facultate quadrandi in alienas necessitates ornatus erat, verum etiam vivebat plene ex iis, quae docebat, et ad eadem convenienter. Alumnos amavit redamatus, qui uno consensu verum eum habebant Dei virum et fulgidum imitandum exemplum. Studiosus adducendi novitios ad sanctitatem studebat omnia omnibus fieri, semper in eis aderat, eis consilia dabat, eos adiuvabat, hortabatur ; pro eis deprecabatur utcum-

que poterat. Lenitudine quasi materna qui aegrotabant quique in difficultatibus versaban tur curabat.

Eius sodales Fratres, lumen mirantes eius virtutum, firmitatem et industriam fidei eius, diligentiam quam in perfecte respondendo voluntati Dei ponebat et Superiorum, « sanctum Fratrem Arnoldum » eum appellabant ; neminem enim latebat illum magnos et continuos progressus facere in Christi imitatione. Et re vera quo melius divino Magistro similis fieret, coniunctionem cum Deo colebat, precationem privatam et communem, ardentem erga Eucharistiam pietatem, erga Domini Passionem et Sacrum Iesu Cor. Evidenti cum sanctimonia ex liturgia vivebat, divino Missae sacrificio rebusque intererat divinis. Peculiari cultu Spiritum Sanctum reverebatur et tenero filii amore Matrem Dei, quam cotidie prosequebatur etiam Rosarii recitatione. Copiose intellegentiam suam et spiritum alebat verbi divini studio et meditatione, cui verbo ((tanta vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis robur, animae cibus, vitae spiritualis fons purus et perennis exstet » (Conc. Oec. Vat. II. Const. Dogm. De Divina Revelatione *Dei Verbum,* 21).

Austere et constanter paenitentiam explicavit : cotidie disciplinam accipiebat, cilicium induebat, parum dormiebat et in nudo pavimento ; numquam corpus calefaciebat et cibis amaros immiscebat pulveres. Durus in se, inter sodales Fratres laetitia exsultabat omnesque urbana lenitate et suavitate tractabat. Singularis eius caritas in proximum, quam multimodis et multos annos ostendit, e caritate Dei oriebatur,, quem toto corde amabat et in quo a iuventute omnem suam collocaverat spem; cuius gloriae causa ad quamlibet iacturam et ademptionem paratus erat eodemque spectans attenta vigilantia quamvis peccati speciem vitabat, ceteris suadens ut idem facerent ; ideo dictitabat : ((Qui diligitis Dominum, odite malum» *(Ps* 96, 10). Et quoniam ((habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem » (S. Cyprianus, *De unitate Ecclesiae, PL* VI, 519), filius fuit fidelis et observantissimus Ecclesiae, Summi Pontificis et ecclesiasticae hierarchiae.

Notis visus est vir, praeterquam natura aequabili indole praeditus, serenam et constantem continentiam meditatione et exercitatione assecutus, plenum rerum terrestrium fastidium, altum prudentiae gradum, eximiam integritatem in interiore et exteriore approbatione spiritus et regularum sui Instituti; quas regulas is appellabat ((prae-

stantissimam nostri sancti Fundatoris reliquiam ». Aequali cum studio et diligentia vota religiosa servavit.

Mense Martio anno 1890 nominatus est Rector Communitatis Senum, quae ex Sacro Corde cognomen traxerat, Remis. Post admirabilem ostensam sapientiam et magnam caritatem in hoc officio exsequendo, die 23 mensis Octobris, mane, eodem anno, sanguine in cerebrum congesto correptus est. Quamvis quasi moriens esset, attamen tarde in aediculam processit, et postquam breviter Dominum suum amatissimum salutavit, est gestus in cellam. Paulisper illic est suo confessario collocutus, a quo absolutus Unctionem recepit infirmorum. Dein animus eum reliquit, ipseque iustorum mortem obiit eodem die vesperi.

Fama sanctitatis, quam vivus praesertim inter Fratres Scholarum Christianarum erat consecutus, post eius mortem perseveravit, fota etiam gratiis et favoribus eiusdem Servi Dei precibus ascriptis. Tametsi statim post mortem actum sit de causa beatificationis instituenda, nihilo minus Processus Ordinarius Informativus apud Curiam Remensem nonnisi anno 1938 potuit iniri, qui anno 1962 est conclusus. Ab anno 1938 ad annum 1940 sunt etiam instructi tres Processus Rogatoriales apud Curias Metensem, S. Rosae de Osos et Bogotensem. Die 4 mensis Maii anno 1981 editum est Decretum super Introductione Causae, concessa vacatione celebrationis Processus Apostolici. Interim proditum erat Decretum super revisione scriptorum (die 21 mensis Decembris anno 1968). Horum Processuum vis et auctoritas die 5 mensis Februarii anno 1982 agnita est.

Consultores Theologi felici cum exitu de virtutibus a Servo Dei exercitis disceptaverunt in Congressu Speciali die 13 mensis Februarii anno 1986 acto. Die 20 mensis Maii eodem anno Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria congressi, Ponente Causae Em.mo ac Rev.mo Cardinali Opilio Rossi, professi sunt Servum Dei Fratrem Arnoldum virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum in modumexercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione Summo Pontifici Ioanni Paulo II, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus Decretum rite appararetur.

Quod cum esset factum, hodierna die, accitis ad Se cardinalibus Praefecto Congregationis praedictae necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus,

Beatissimus Pater edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico Servi Dei Fratris Arnoldi (in saeculo: Nicolai Iulii Rèche), in casu et ad effectum de quo agitur.*

Datum Romae, die 5 Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINA *Praefectus*

L. S S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

IV

G AND A VEN.

Canonizationis Servi Dei Eduardi Poppe, Sacerdotis saecularis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Christus, quem Pater sanctificavit seu consecravit et misit in mundum (cf. *Io* 10, 36) ; <(dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimerei ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum » *(Tit* 2, 14), et sic per passionem intravit in gloriam suam (cf. *Lc* 24, 26) ; simili modo presbyteri, unctione Spiritus Sancti consecrati et a Christo missi, in seipsis opera carnis mortificant et hominum servitio totaliter se devovent, et sic in sanctitate qua in Christo ditati sunt ad perfectum virum (cf. *Eph* 4, 13) progredi valent » (Conc. Oec. Vat. II, Decretum de Presbyterorum Ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis*, 12).

Haec praeclara Concilii Vaticani II sententia egregium sacerdotalis vitae Servi Dei Eduardi Poppe compendium constituit, quippe qui apostolus exstitit verbo, exemplis et scriptis : non enim sibi soli vivere studuit, sed aliis proficere sanctificando semetipsum, adversa licet semper valetudine laboraret.

Servus Dei Eduardus Poppe natus est die 18 mensis Decembris anno 1890 in oppido *Temse* vulgo appellato, in Flandriis Orientalibus, intra fines dioecesis Gandavensis. Insequenti die in ecclesia paroeciali est baptizatus et nomina ei indita Eduardus Ioannes Maria.

Est primo ad christianam religionem educatus in pia et industria familia; quae educatio est confirmata in scholis elementariis, quas is frequentavit apud Fratres a Caritate Gandavenses in oppido *Temse*.

Die 20 mensis Martii anno 1902 ad primam Communionem est admissus et die 24 mensis Iunii, eodem anno, sacramentum Confirmationis accepit.

Anno 1907, cum is, multae familiae maximus natu, vix septemdecim esset annorum, pater mortuus est. Exinde re mansit pater familiae.

Pater moriens matri suaserat ut sineret Eduardum pergere studere, quo sacerdos fieret. Patris mors gravem in eo mutationem effecit ; amota namque agendi ratione pueri et incuriosa, coepit rebus familiaribus operam dare. Ipsa mater ab eo consilium petebat. Dum studebat, familiae moderabatur.

Seminarium Minus *Sint-Niklaas-Waas* frequentavit ab anno 1905 ad annum .1910, cum profectus est stipendia meriturus, ut hoc officio fratrem liberaret.

Interea, dum stipendia faciebat, in studia philosophica, incumbebat in Studiorum Universitate Lovaniensi. Stipendiis confectis, die 13 mensis Martii anno 1912 ingressus est Institutum Lovaniense, quod a Leone XIII nomen tenebat, ibique tonsuram accepit die 20 mensis Octobris eodem anno. Lovanii commentarium legit « De vera pietate erga Mariam » a Sancto Ludovico M. Grignion de Montfort conscriptum, quod in omne tempus vitae eius ardentis in Mariam religionis signum impressit.

Anno 1913 ad dignitatem lectoris philosophiae pervenit, et mense Septembri, eodem anno, est admissus in Seminarium Maius Gandavense, ubi Ordines Maiores anno 1914 suscepit.

Mense Augusto prius bellum totius orbis terrarum exortum est, et Eduardo prodeundum fuit, ut nova militiae onera obiret, quandoquidem in Belgicam exercitus Germanicus invaserai. Belgico exercitu disiecto, post varios casus, intravit in Seminarium Mechliniense, in quo multos Lovanienses condiscipulos invenit. Anno 1915 iterum introivit in Seminarium Gandavense, ubi sacerdos ordinatus est Calendis Maiis anno 1916.

Mense subsequenti nominatus est Vicarius paroeciae Sanctae Co-

lettae Gandavi. Studiose operam dedit fovendae Mensae eucharisticae fréquentation! et per Christianae doctrinae praeceptrices catechesis institutionem digessit.

Vix duo processerant anni, cum Episcopus eum rectorem praeposuit domui Sororum Sancti Vincentii in pago *Moerzeke.* Ut onerosam exsequeretur oboedientiam, quae omnia eius incepta tollebat, ecclesiam introivit, *Te Deum* recitavit et ad illum Flandriarum remotum pagum est profectus.

Anno 1919 gravi cordis morbo est correptus, unde ad vitae discrimen est adductus.

Etsi infirma valetudine utebatur, anno 1920 acer fuit auctor ((Cruciatae Eucharisticae », in Belgica constitutae a Patribus Premonstratensibus Abbatiae Averbodiensis.

Anno 1922 nominatus est Magister spiritus clericorum qui militabant in CIBI (« Centre d'Instruction des Brancardiers et Infermiers ») Leopoldiburgi. Ipse Cardinalis Mercier, concorditer cum Episcopo Gandavensi, eum elegerat ad hoc anceps et difficile munus.

Annis 1922-1923 navitas in ministerio sacerdotali Servi Dei maxima fuit. Anno 1923 reversus est ad matrem et ad suos, qui in pago *Moerzeke* manserant; sed Calendis Ianuariis est nova cordis crisi correptus, qua est lectulo aifixus. Die 10 mensis Iunii a. 1924 e lectulo surrexit ut Missam celebraret, sed est inopinata apoplexi correptus, quae eum stravit. Mortuus est post brevem corporis et animi colluctationem, ultimis sacramentis confirmatus. Natus erat triginta tres annos, quinque menses et viginti tres dies. Die 2 mensis Februarii Servus Dei se Deo voverat pro cleri sanctificatione. Cardinalis Mercier, certior factus de hac re, eum iusserat a Domino petere sanationem : sed Dominus aliter statuerat.

Exsequiae Eduardi Poppe maximo ei fuerunt honori. Eius corpus mortuum sex dies est in publicum propositum, quibus diebus fidelium multitudo sine intermissióne illud visit ; plurimi etiam religiosi et sacerdotes.

Religio Eduardi Poppe fuit potissimum eucharistica, mariana et ecclesiastica. Ardentem Eucharistiae aluit amorem, quae centrum fuit vitae eius; Pientissimus etiam fuit erga Virginem Mariam et voto privato spoponderat se pietatem in eam esse propagaturum.

Periculiari modo se dedidit formandis candidatis ad sacerdotium et sanctificandis sodalibus fratribus presbyteris.

Vir ardentis fidei et alacer in studio eam vulgandi, Servus Dei ex

eadem fide vivebat magna mensura, etiam expressa, quam praesertim ostendebat per pietatem. Deum toto amore diligebat et propter eum hominum amore fiagrabat, de proximi salute sollicitissimus. Spes eius perfecta erat et supernaturalis; singulariter Deo fidebat; quod quidem contemptu omnium rerum temporalium significabat, bona exspectans aeterna.

Eduardus Poppe constantem et continuam spiritus ascesim exercuit, qua, sine dubitatione — maiore vehementia ut annis progrediebatur — adductus est ad strenuum omnium virtutum exercitium.

Forma moralis et spiritualis Eduardi Poppe eximia visa est hominibus eiusdem aetatis. Post mortem, admiratio et veneratio eius increbuerunt et vagatae sunt ultra angustum spatium, in quo eius vita acta erat.

Eam ob rem anno 1946 initium cepit Processus Ordinarius Informativus in dioecesi Gandavensi, in qua is natus erat, maximam vitae suae sacerdotalis partem egerat et mortuus erat. Processus terminatus est anno 1952.

Die 13 mensis Februarii a. 1959 editum est Decretum super scriptis ; quod secuta est Causae Introductio apud Sanctam Sedem (die 6 mensis Aprilis anno 1966), et dein Decretum de non cultu et celebratio Processus Apostolici (annis 1967-1970) apud eandem Curiam episcopalem Gandavensem. Processuum vis et auctoritas agnita est die 28 mensis Aprilis anno 1975.

Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 25 Martii anno 1986 acto, felici cum exitu de virtutibus a Servo Dei exercitis consuluerunt. Deinde, in Congregatione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi, Ponente Causae Em.mo Cardinali Silvio Oddi, die 10 mensis Iunii eodem anno, professi sunt Servum Dei Eduardum Poppe virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum more exercuisse.

De hisce omnibus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis libenter excipiens, mandavit ut Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus rite conscriberetur.

Quod cum factum esset, accitis ad se hodierna die Cardinalibus infrascripto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus sollemniter declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, 'necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis in gradu*

heroico Servi Dei Eduardi Poppe, sacerdotis saecularis, in casu ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc Decretum in vulgus ederetur et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 30 Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINA *Praefectus*

L. © S.

© Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

V

ROMANA SEU KAUNEN.

Canonizationis Ven. Servi Dei Georgii Matulaitis seu Matulewicz, Archiepiscopi tit. Adulitani, reformatoris Congregationis Clericorum Regularium Marianorum sub titulo Immaculatae Conceptionis B. M. V., Fundatoris Congregationum Sororum ab Immaculata Conceptione B. M. V. et Ancillarum Iesu in Eucharistia.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Servum Dei Georgium Matulaitis Matulewicz ortu et natione Lituanum, anno 1871 natum vitaque functum anno 1927, munera vicarii paroecialis, deinde magistri in Seminario Kielcensi, postea in Academia Ecclesiastica Petropolitana (in Russia), Episcopi Vilnensis èt demum Visitatoris Apostolici in Lituania, necnon Reformatoris Clericorum Regularium Marianorum et Fundatoris duarum Congregationum Sororum egregie explevisse heroicasque exercuisse virutes christianas constat ex Decreto Apostolicae Sedis die 11 mensis Maii a. 1982 edito.

Ut autem eidem Venerabili honores decernerentur Beatorum Caelitum, Causae actores exhibuerunt, ad iuris normam, miram quandam sanationem a Deo per ipsius Venerabilis intercessionem patratam. Quae quidem mirabilis sanatio contigit dominae Adelaidi Tamosiûnaitë, in Lituania ludimagistrae octoginta annos natae. Ipsa namque ad caeleste recurrens patrocinium praedicti Venerabilis, in instanti plene-

que convaluit anno 1974 a trombophlebitide ex venis varicosis sinistri artus inferioris.

Super huismodi miranda sanatione confici haud potuerunt praescriptae canonicae inquisitiones, propter peculiaria in supplici libello exposita adiuncta. Quamobrem, instante hodierno Administratore Apostolico Kaunen. et Vilkavisken. atque Praeside Conferentiae Episcoporum Lituaniae, Summus Pontifex Ioannes Paulus II benigne dispensavit ab instruendo apostolico processu super praedicta sanatione ita, ut ad effectum de quo agitur sufficerent depositiones quorundam testium scripto datae et iuramento confirmatae. Quibus depositionibus una cum iudiciis legalibus duorum ex officio deputatorum Peritorum confecta est *Positio* super miraculo, quaeque subiecta fuit studio Consultae Medicorum penes nostram Congregationem exstantis, die quidem 15 mensis Ianuarii anno 1986 coadunatae. Sodales autem eiusdem Consultae, re mature perpensa, censuerunt agi de instantánea perfectaque sanatione, quae per naturae leges et scientiam medicam explicari nequit.

Quam opinionem medicorum secuta est disceptatio theologica, et primum quidem, die 9 mensis Maii a. 1986, in Peculiari Congressu Consultorum, moderante Fidei Promotore Generali ; ac deinde, die 17 subsequentis mensis Iunii, in Ordinaria Congregatione Cardinalium et Episcoporum, ponente Em.mo Cardinali Aloisio Ciappi, in Palatio Apostolico Vaticano coacta. Et cum Rev.mi Consultores tum Em.mi ac Rev.mi Patres Cardinales et Episcopi, qui aderant, proposito dubio : *An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur,* adflrmando responderunt.

De hisce omnibus certior factus per subscriptum Cardinalem Praefectum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis pro Causis Sanctorum libenter excipiens, mandavit ut Decretum super praefata sanatione rite appararetur.

Quod cum factum esset, hodierna die, accitis ad se cardinalibus infrascripto et Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter edixit : *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Georgii Matulaitis seu Matulewicz, scilicet de instantánea, perfecta ac stabili sanatione dominae Adelaidis Tamosiûnaitë a trombophlebitide ex venis varicosis sinistri artus inferioris.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 30 mensis Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINA *Praefectus*

L. 8B S.

83 Traianus Crisan, Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

VI

SPOLETANA

Canonizationis Servi Dei Petri Bonilli, Sacerdotis fundatoris Instituti Sororum a Sacra Familia.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Sacra Nazarena Familia, Ecclesiae Dei imago, ((schola est ubi vitam Iesu incipimus comprehendere, schola videlicet Evangelii ... In hac schola intellegimus cur spiritualis disciplina sit nobis sequenda, si Evangelii doctrinam sequi volumus et Christi fieri discipuli. O ! quam libenter repuerascere vellemus et humilem atque altam scholam Nazarenam frequentare ! Quam ardenter optaremus iterum apud Mariam discere incipere veram vitae scientiam et superiorem veritatum divinarum sapientiam » *(Insegnamenti di Paolo VI, II* [1964], pp. 24-25).

Huius praestantissimae scholae, in qua Iesus magis exemplo docet quam verbo, sedulus et diligens discipulus fuit etiam Servus Dei Petrus Bonilli, qui a iuventute est eius mysterium contemplatus, scientiam didicit, nuntium explevit. Sacra Familia collustrante is sapientia et gratia profecit, percipiens oboedientiam voluntati caelestis Patris esse pacis et gaudii fontem supremum; Christum historiae medium esse et novae creaturae initium ; Mariam imaginem esse Ecclesiae et in fide et caritate exemplar spectatissimum (cf. Conc. Oec. Vat. II, Const. Dogm. de Ecclesia *Lumen Gentium,* 53) ; Ioseph virum iustum esse, vo-

catum ut perficiendo operi salutis ministrum se praeberet; silentium, secessum, humilitatem, paupertatem, laborem, meditationem, cordium coniunctionem et mutuum amorem talenta magni pretii esse ad caelorum regnum ingrediendum.

Haec Servus Dei vita sua nuntiavit et multis pastoralibus operibus, praedicatione et scriptis, tantum ita ostendens fervorem, ut merito possit insignissimis fautoribus pietatis erga Sacram Familiam inter Italicas gentes annumerari. Quin etiam animadvertit pietatem erga Sacram Familiam esse efficacem rationem pastoralem ad societatem et familias aetatis suae renovandas. Ipse namque scripsit: «Hac usus sum pietate non quidem ut ad aliquam precationem recitandam inducerem, sed tamquam instrumento ad societatem et familiam restaurandas. Familia, societatis fundamentum, impraesentiarum scilicet lacessitur, tum quia exauguratum est matrimonium, tum quia corrupta est educatio : qua re, ut bonum facerem solidum, verum, mansurum et universale, consilium cepi propagandi cultum Sacrae Familiae, eam proponendo familiae christianae ad imitandum uti exemplar utque subsidium in instantibus necessitatibus ».

Natus est Servus Dei a Sabatino Bonilli et Maria Allegretti Idibus Martiis anno 1841 Sancti Laurentii Trebiani in fertili et pacifica Umbria, terra ob locorum pulchritudinem illustri, ob historiae antiquitatem, vetustas urbes, multa artium monumenta, sed praesertim ob suos numerosos Martyres, Sanctos, Beatos, in quibus lucent Sanctus Benedictus et Sancta Scholastica, Nursini, Sanctus Franciscus et Sancta Clara, Asisinates, Sancta Clara a Cruce e Monte Falco, Sancta Rita Cassiana, Sancta Veronica Giuliani, Tifernás, Beata Angela, Fulginas.

Eodem die baptizatus est, quo natus, eique nomina indita sunt Petrus Stephanus Iosephus.

Die 17 mensis Novembris anno 1848 sacramentum Confirmationis accepit. Postquam est primo in familia educatus, in oppido *Trebia* institutus est, ubi a sacerdote Ludovico Pieri, iuventutis apostolo et pietatis erga Sacram Familiam fautore, in rebus spiritus rectus, sensit se divinitus vocari, et magno cum studio coepit se ad sacerdotium praeparare.

Anno 1857 vestem clericalem induit et accepit deinceps sacram tonsuram et Ordines Minores.

Anno 1860 votum castitatis privatim nuncupavit. Eodem anno, dum Ecclesia Italica in difficultatibus erat, in Seminarium archiepi-

scopale Spoletinum intravit, ibique moribus enituit et ardore in christiana perfectione proiiciendi.

Die 19 mensis Decembris anno 1863, in propinqua urbe Interamna, sacrum Presbyteratus Ordinem suscepit. At antea, cum etiam diaconus esset, die 31 mensis Augusti a. 1863 nominatus est parochus parvi et pauperis pagi *Cannatola* appellati, in quo diligentissimum ministerium exercuit a die 31 mensis Decembris subsequentis ad annum 1897.

His annis, incommodorum et laborum immemor, sedulum et industrium in suam paroeciam amorem ostendit, et ut bonus pater cum iis, qui ei crediti erant, gaudia, tristitias et angores communicavit. Confestim omnibus adhibitis viribus apostolatui se dedidit tamque multorum inceptorum auctor fuit pro religiosa et sociali provectione illius communitatis, ut nunc longum esset ea perfecte recensere. Dicemus tantum illum, salutis animarum sancto ardore flagrantem, quam optime exsecutum esse suum munus docendi, sanctificandi et gubernandi et probavisse se verum esse pastorem secundum cor Christi. Fuit igitur assiduus in verbo Dei nuntiando omnibus fidelibus ; et pari cum cura catechizabat, institutionem accommodans sapienter ad diversas populi classes; exercitiorum spiritualium praedicationi operam dedit, sacris orationibus quadragesimalibus, missionibus tum pro sua, tum pro aliis communitatibus. Bonus animarum medicus, peccatorum conversioni consuluit et fortiter ac constanter nitebatur vitia exstirpare atque aptis modis contra morum immodestias contendebat.

Semper paratus fuit ad consilia danda, ad hortandum et ad sacramentales confessiones audiendas. Ex Liturgia vixit et effecit ut ex Liturgia fervide viveretur, quae est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat (cf. Conc. Oec. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 10).

Ut cultum divinum decoriorem redderet, ecclesiam paroecialem restaurandam et amplificandam curavit, voluitque sacra refulgere dignitate et pietate, ut inde populus valens spirituale caperet alimentum. Quoniam « apostolatus consociatus exigentiae christifidelium tam humanae quam christianae feliciter respondet simulque signum prae se fert communionis et unitatis Ecclesiae in Christo » (cf. *Ib.,* Decretum de Apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 18), confraternitates loci recreavit novasque pias consociationes instituit pro iuvenibus, pro puellis, pro matribus christianis proque viris, ut se perficientes, vitam christianam communitatis fermentarent.

Mhil neglegebat, quod posset condicionem spiritualem populi me-

liorem facere ; hinc multas etiam religiones propagavit et, primam omnium, pietatem erga Sacram Familiam, quam coli volebat non solum precatione, sed magis etiam fructuosa sacramentorum frequentatione et virtutum, quae in domo Nazarena fulserunt, imitatione. Ut per Italiam hanc pietatem vulgaret, innumeros obiit labores, multos coeptus pastorales est orsus et sustinuit, quaedam commentaria condidit et moderatus est, quae typis exscribenda curabat in sua officina typographica.

Ut saepe accidit, tanta alacris sedulitas doloribus et aegritudinibus perfusa fuit; Deus enim virtutes amicorum suorum maxime in rebus adversis et in molestiis experitur. Hinc non stupescimus si etiam Servus Dei nec comprehensus est nec perceptus; nec mirum, si adversam et inimici ei non defuerunt et eius eiusque operum contemptio : sed omnem casum difficilem et asperum vicit, alis sublatus humilitatis et oboedientiae.

Admirabilem suam animarum et renovationis christianae societatis curam non minus fortier explicavit etiam in operibus instituendis, quae eius opes longe superabant, sed aliud signum fuerunt eius amoris in pauperes et parvos. Anno 1884 in pago *Gannaiola* pueris orbis atque derelictis educandis et adiuvandis Parvum Orphanotrophium Nazarenum aperuit, quod a. 1887 in Orphanotrophium femineum mutavit. Cum iuvenibus mulieribus, quae ei auxilio erant in orphanorum cura, anno 1888 condidit Institutum Sororum a Sacra Familia, quod eo firmiter et prudenter gubernante, celeriter crevit seseque ad diversas Italiae dioeceses et ad missiones exteras extendit. Anno 1893 aperuit hospitium pro puellis surdis mutisque et caecis, quod suis Sororibus regendum credidit.

Cum Providentiae consilio hoc hospitium in urbem Spoletium sedem transtulit, Servus Dei, ut par erat, est illud secutus; idcirco, relicta amatissima paroecia, nominatus est canonicus paenitentialis aedis cathedralis (anno 1897) ; deinceps muneribus oeconomi et rectoris Seminarii archidioecesani est functus. Opera, quae condiderat, regebat, idemque animadvertebat ad locorum communitates religiosas adque pias consociationes.

Fervore sui proprio magnam temporis partem in confessionum ministerio insumebat. Omne sibi delegatum munus impigre explevit accurate et studiose, laetus servire Ecclesiae et, ut melius poterat, bonum Christi odorem diffundere. Propter merita sua anno 1908 a

Summo Pontifice S. Pio X titulo honorifico Cubicularii Secreti supernumerarii decoratus est.

Numquam, nec Spoletti, ut iam in pago *Cannaiola,* tendere destitit ad sacerdotalem perfectionem, et quia alacritas subeundi montem perfectionis ((vires subministrat, poenam exhibet leviorem » (S. Laurentius Iustinianus, *De disciplina et perfectione monasticae conversationis,* cap. 6. *Opera,* Venetiis, 1721, p. 73, col. 1), Servus Dei, impetu et tenaci voluntate labores oppetivit, quos eiusmodi ascensus postulat et, in accepta vocatione perseverans, gradatim propositum est assecutus. In hac re ei profuerunt firmitas et constantia animi, mobilitas intellegentiae, sollers spiritus, sed ante omnia magna fides et ardens caritas. Gnarus neminem venire ad Patrem nisi per Filium (cf. *Io* 14, 6), studuit cotidie crescere in Christi cognitione et amore, cuius et praecepta diu meditabatur et accurata diligentia nitebatur in se lineamenta exprimere.

Libenter in precatione insistebat; fervidam alebat in Eucharistiam pietatem, quam non solum diu adorabat, verum etiam noctu. Tanta sanctitate Missam celebrabat, ut praesentes admiratione afficeret; quin ultimis vitae annis, cum plerumque non amplius posset se sustinere, quando ad altare erat divinum sacrificium oblaturus, mirum in modum vires recuperabat, nec senex nec confectus valetudine videbatur.

Multa apostolica opera, in quae semper sincera et infatigabili incubuit cura, eum a vita interiore non abstraxerunt, sed — ut iustum est — eum adiuverunt ad profitendum in intima cum Domino coniunctione et ad progressus faciendos in sanctitatis via. Inde animarum sedulitatem cum amore silentii temperavit, cum solitudine, cum contemplatione ; et quo graviora impensioraque erant pastoralia negotia, eo magis intellegebat necessitatem orandi sine intermissione (cf. *Lc* 18, 1) viresque semper novas hauriendi ex coniunctione cum Domino (cf. *Io* 15, 5). Ne frustra laboraret, non solum attentissimus fuit ad explicanda quae ceteros docebat, sed voluit etiam omnes antecedere opera danda Deo, Ecclesiae, proximo, praesertim egeno et dolenti. Sicut acerbitates et difficultates eius apostolicam virtutem non minuerunt, ita felices exitus animum eius non inflaverunt, qui semper simplicem et humilem se servavit, abalienatum ab honoribus et a rebus fluxis, occulationis studiosum. Immo saepe, se cum aliis Fundatoribus eiusdem aetatis comparans, discruciabatur quod non satis imitatus erat eorum sollertiam et peritiam in serviendo Ecclesiae et pauperibus. Enimvero uti sui aedificii spiritualis fundamentum humili-

tatem posuerat et absolutam gratiae misericordiaeque divinae fiduciam; quam ob rem nullum sibi meritum tribuebat, agnoscens bonum factum in solam Providentiam conferendum. Et quamvis omnes ei non communem prudentiam ascriberent in se et in aliis moderandis, libenter alienum consilium accipiebat et per omnia voluntati Superiorum obsequebatur, tum etiam, cum iussa recipiebat gravia et suo iudicio contraria. Putamus hunc habitum non paucis aegritudinibus ei constitisse, qui indole fortis erat et impotens sui; at tantus erat crucis Christi amor, ut numquam destiterit se ipsum abnegare (cf. *Mt* 16, 24), se reprimere, ad omnia descendere, ut tota vita sua Deo gloriam daret. Hac affectione occurrit incommodis longae et aerumnosae senectutis et magis etiam caecitatis, qua anno 1929 correptus est.

Ultimos egit annos multis affectus doloribus in solitudine diaetae suae, observatus et dilectus a Sororibus suis, a sacerdotibus et ab iis, quibus bene fecerat.

Magna est perfusus laetitia anno 1932, cum Sancta Sedes semel Congregationem approbavit, quam ipse condiderat.

Usque ad extremum dierum suorum verus vir Dei fuit, intentus in faciendam voluntatem Patris ad omnia, docilis ad Christi et Ecclesiae doctrinam, fidelis divinorum mysteriorum dispensator, constans in precatione et in parce ac duriter se habendo, laetus vitam devovere pro regni Dei prolatione in mundum.

Etiam eius Sorores, quas accurate formaverat ad amorem oboedientiae, paupertatis, plenae Dei fiduciae, usque ad finem eius moderatione et consilio usae sunt. Pro his in testamento spirituali (anno 1931), inter alia scripsit : « Estis in Instituto, ubi caritas virtus esse debet praecipua : caritas inter vos et caritas in proximum. Institutum condidi potissimum ut in eo essent Sorores quae aegrotis servirent, senibus, personis desertioribus. Scitote virtutem veram esse non posse, si hic deest amor erga proximum usque ad sacrificium deductus ».

Vehementissime exoptans e corpore dissolvi ut tandem cum Christo esset (cf. *Phil* 1, 23), pie et placide obiit die 5 mensis Ianuarii, primo diluculo, anno 1935, in urbe Spoletio.

Fama sanctitatis, quam Servus Dei vivus erat consecutus, amplis significationibus prorupit per eius exsequias, et insequentibus annis perrexit se effundere et consolidari. Quam ob rem Archiepiscopus Spoletinus Causam iniit beatificationis, celebrato Processu Ordinario Informativo (annis 1944-1947). Die 26 mensis Iulii anno 1953 editum est Decretum super scriptis Servo Dei tributis : quod secutum est De-

cretum super Introductione Causae (calendis Iuliis anno 1964). Postea, apud eandem Curiam Spoletinam, instructus est Processus Apostolicus (annis 1966-1968). Die 16 mensis Ianuarii anno 1970 proditum est Decretum de horum Processuum vi et auctoritate.

Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die 11 mensis Martii a. 1986 acto, felici cum exitu de virtutibus Servi Dei consuluerunt.

Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 17 mensis Iunii habita anno 1986, Ponente Causae Exc.mo ac Rev.mo Domino Cetorino Petro Alberti, Archiepiscopo Spoletano et Episcopo Nur sino, professi sunt Servum Dei Petrum Bonilli virtutes théologales, cardinales et adnexas heroum more exercuisse.

De hisce omnibus facta demum per subscriptum Cardinalem Praefectum fideli relatione Summo Pontifici Ioanni Paulo II, Sanctitas Sua vota Congregationis pro Causis Sanctorum rata habuit et confirmavit iussitque ut decretum super heroicis Servi Dei Virtutibus conscriberet^.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus Beatissimus Pater declaravit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Bonilli, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Datum Romae, die 30 Iunii A. D. 1986.

PETRUS Card. PALAZZINI, *Praefectus*

L. *m* S.

ffi Traianus Crisan; Archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DECLARATIO. . . . .

CRACOVIENSIS

De Beata Hedvige Poloniae Regina

1. In millenaria Poloniae christianae historia, beata Hedvigis illustribus rebus gestis quasi lux splendens emicat ac virtutibus christianis refulget. Etenim ex stirpe regum Polonorum Piast descendit, ex

quibus exstitit Mieszko I, qui fidem christianam in regnum suum introduxit. Insuper ab Andegavensibus Galliae regibus originem ducit, inter quos sanctus Ludovicus IX, Francorum rex et cruciferorum dux ad Terram Sanctam recuperandam, excelluit. Beata Hedvigis, gloriosa maiorum gesta secuta, fidem catholicam in suo regno defendit atque propagavit, in Lithuaniam vero evangelicae veritatis lucem introduxit. Ut historiae peritorum fert opinio, beata Hedvigis regina symbolum est seu figura eorum omnium quae in millenaria Poloniae traditione maximi habentur, quamque fidelis Dei populus per saecula cultu prosecutus est.

2. Hedvigis, Ludovici Magni Andegavensis et Elisabeth de Bosnia filia, in Hungaria die 18 mensis Februarii a. 1374 nata, Poloniae regnum a. 1384 obtinuit ac Jaghielloni, magno Lituaniae luci, a. 1386 nupsit. Jaghiello in baptismate Ladislaus vocatus est et conversionem Lituaniae ad fidem catholicam se procuraturum promisit; quod et fecit. Hedvigis una cum Ladislao episcopatum Vilnae a. 1387 fundavit. Inde Hedvigis a Ioanne Dlugosz « Catholicae fidei in Lituania plantatrix » definita est {*Eist. Polon.*, 1. XII, t. III, Cracoviae 1876, 532).

